COLLECTIO
DECLARATIONUM
SACRAE CONGREGATIONIS
CARDINALIUM SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM,

QUAE CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PATRUM DECRETA, ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES SECULO XVIII. IN CAUSIS PROPOSITIS PRODIERUNT.

HUIC ACCEDUNT

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE PRAESERTIM NOVISSIMAE

AD CONCILII TRIDENTINI DECRETA SPECTANTES, DECRETA GENERALIA CETERARUM CONGREGATIONUM; NECNON SELECTAE VETERES DECLARATIONES, MENTES, MODI ET INSTRUCTIONES SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII INEDITAE

OPUS

AD MAJOREM FACILITATEM ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS, ET TRACTATUS DISPOSITUM, ACCURATEQUE COLLECTUM, AC IN TRES PARTES DE DECLARATIONIBUS, DE TITULIS CAUSARUM, DEQUE CONCLUSIONIBUS DIVISUM OPERA, ET STUDIO

JOH. FORTUNATI DE COMITIBUS ZAMBONI

PRAESULIS SUMMI PONTIFICIS PII PP. VII.

TOMUS V.

MUTINAE MDCCCXV.

APUD SOCIETATEM TYPOGRAPHICAM.

„ Incomprehensibilis et ineffabilis divinae miseratio potesta-
„ tis, Nos hac providentiae ratione in Apostolicae Sedis admi-
„ nistratione constituit, ut paternam de omnibus Ecclesiis sol-
„ licitudinem gerere debeamus. Siquidem Sancta Romana Ec-
„ clesia, quae a Deo sibi concessum omnium Ecclesiarum re-
„ tinet principatum, tanquam diligens Mater, singulis debet
„ Ecclesiis instanti vigilantia providere. Ad ipsam enim, qua-
„ si ad Caput, et Matrem ab omnibus est concurrendum: ut
„ ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, et a suis
„ oppressoribus releventur."

S. Honorius II. Papa Epist. 7. ad Petrum Cluniacensem Abbatem (apud Labb. an. 1124.)

EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

LADISLAO KÖSZEGHY

EPISCOPO INSIGNIS ECCLESIAE EPISCOPALIS CSANADIENSIS

APOSTOLICI REGNI HUNGARIAE

Johannes Fortunato Zamboni.

Non dubito quin alteri melius quam TIBI, EXCELLENTISSIME, ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME PRAESUL, inscribere possim praesens V. Volumen, quo Decretorum S. Congregationis Concilii continuatur collectio, eorum nempe Decretorum, quibus auctoritatem, et jurisdictionem suam per totum catholicum orbem exercet Summus Pontifex in dirimendis quaestionibus, in solvendis dubiis ipsi S. Congregationi undequaque propositis. Hoc Decisionum Thesaurum Tibi inscriptum merito omnes fatebuntur, qui Tuam devotionem Apostolicae Sedi cognoscunt, et quibus compertum est Te a prima aetate illam amplexum esse Societatem, quae sedulo

ipsius Sedis, et Pontificis auctoritatem fovebat, tuebatur, Institutum nempe Societatis Jesu. Nulli videbor vel assentator, vel superflua congerens, si modo paucis Tibi scribendo, immorer in re cum Tibi et cunctis bonis carissima, tum recordatione dulcissima hisce temporibus digna. Nullum latet quomodo Societas Jesu benemerita fuerit de religione, de societate, de literis, mihique et cunctis quibus pietas et doctrina Tua in compertum est. Satis constat quomodo dignus fuisti, qui tanto Instituto nomine Tuo honorem et decus contulisti, in iis quam et maxime, quae fidelitatem observantissimam Romano Pontifici, Apostolicae Sedi respiciunt, quaeque nostris temporibus tam miserrime impugnata sunt, nec tantum ab Acatholicis, verum et a nostris huc nimis tot plagis petita. Ast in tanto discrimine rerum, in eversione omnium prorsus provinciarum, in tanta defectione, Societas Jesu exemplum praesetulit singulare, et in historia Ecclesiastica admiratione dignissimum. A tot hostibus profligata, extremo subjiciens fato, se dissolutam, et sinente Deo, ictam vidit, dispersosque per orbem filios, et fructus quam uberrimos jam colligebat, divulsos, arefactos, amissos vidit et deploravit. Ast cuncti filii summo decreto obedientes, submissi fuere exitio, rati se ostendere jugiter dignos Ecclesia, et Societate, cui nomen dedere. Secum ferentes ubique animum ipsum, testimonium

virtutis nesciae flecti monstrarunt, et propria tuti innocentia, semper bono Ecclesiae et literarum inservientes, semper extranei, infensissimi illis motibus, quibus tota Europa convulsa fuit, donec Deo juvante, revocati sunt ad restituendam Societatem, quae a provvido et Summo Pontifice vocata est quodammodo in partem sollicitudinis omnium Ecclesiarum. Sociorum nunc superstitum gaudium sanctum nos vidimus, et admirati sumus, nec certo Tibi evenire potuit, versa tam bene rerum vice, eventum gratius et jucundius.

Tuorum laborum in Ecclesia Dei, et constantis ac sedulae sollicitudinis testes sunt pleraeque Hungarici Regni Provinciae, nec meis laudibus aliquid possum addere existimationi Tuae. Perracto laudabiliter studiorum curriculo Graecii in Stiria apud PP. Societatis Jesu, cui nomen dedisti, post illius dissolutionem accersitus ab illustri Canonico Praeposito Quinque Ecclesiarum Christorits, ut in vinea Domini tua cura uteretur, postquam ille ad Episcopatum Csanadiense evectus fuit placito Augustissimi Regis Apostolici Te una duxit, Canonici a Latere, suique Vicarii Generalis muneribus donavit, ex quo illi Dioecesi inserviens, summa cura, et pari felicitate omnium animos in Te devinctissimos reddidisti, expletis partibus omnibus Viri Ecclesiastici et Praesulis. Defuncto Episcopo Chri-

storits, insigne Capitulum Csanadiense ob Tua merita, et susceptas curas, preces humillimas et enixas tulit ad Majestatem Augustam Francisci I. Imp. et Regis, et in anno 1802. revera annuente ipso Caesare Imperatore, et Rege Hungariae Episcopus Csanadiensis denunciatus es. Episcopi munera tam praeclare ab Apostolo enumerata, labores magni in Dioecesi valide ampla, quae ad Serviam, et Transilvaniam usque vergit, perlustrationes singulis annis per totam Dioecesim peractae, vigilantia ad servandum depositum sacrum doctrinae et instructionis Gregis cui pascendo incumbis, sunt opera, quibus de Ecclesia Dei, de Dioecesi Csanadiensi, de cunctis bonis admodum benemereris. Uberiores jam collegisti fructus, et praecipue amorem, observantiam, fidelitatem subditorum Tuorum, ut hic sileam quod nomen, Tuumque Episcopale regimen gratum evadit, et honoratum ipsi Caesari Regi Hungariae, cunctis ipsius florentissimi Regni Proceribus, et Nationalibus aeque ac advenis, qui vel quidem parum Te noscunt, vel de Te audiunt Dioecesanos Tuos, vel saltem Hungaricos.

Hisce attentis, et hic cursim nudeque expositis reor omnes adprobaturos esse quod Tibi volumen hoc inscripserim, Teque acceptum iri, minimum ut testimonium exiguum illius observantiae, et venerationis, quam Tibi ex animo profiteor.

INDEX

Capitum Declarationum Sacrae Congregationis Concilii, quae in hoc quinto volumine continentur.

Palmarum Benedictiones *Vide Benedictiones etc.*

Parentes in Matrimonio *Vide Matrimonium* §. *VII.*

Parochia *Vide Ecclesia Parochialis.*

Parochia quoad Concursum *Vide Concursus.*

Parochialia Jura *Vide Archipresbyter* §. *IX. Capellanus Curatus* §. *I. Parochus* §. *IV.*

Parochialis Ecclesia *Vide Ecclesia Parochialis.*

Parochialis Missa Vide *Archipresbyter* §. *VI. Capellanus Curatus* §. *III. Dignitates Ecclesiasticae* §. *IV. Parochus* §. *V. Vicarius Curatus* §. *V.*

Parochiales Aedes *Vide Aedis.*

Parochorum Collegium.

1. Parochi erectionem Collegii in urbe Ariminensi faciendam tentarunt. Sed contradictores sese praebuerunt Cathedralis Ecclesiae Canonici, qui inhibitionem, ne quid super ea erectione innovare auderent, a Card. Romandiolae Legato obtinuerunt. Parochi preces porrexerunt S. C., quae Episcopo, ut instructam redderet, significavit, nempe Collegii Parochorum erectionem divini cultus ad incrementum proficere, nec non decori ecclesiastici Ordinis, et Civitatis splendori recte consultum per illud iri. Una cum relatione tenorem etiam literarum erectionis Collegii, ac nonnullarum Constitutionum, etiam pro recta illius moderatione, transmisit Episcopus. Sic S. C. edocta, pro hujus Collegii erectione respondit, addita declaratione, quod per hujusmodi erectionem singuli Parochi non eximantur a consuetis oneribus, et obsequiis erga Cathedralem: *Ariminen. Er. Coll.* 30. *Martii* 1743.

2. Collegium Parochorum Civitatis Faventiae conqueri nequit, eo quod in supplicationibus, quibus intervenit, Capitulum Cathedralis binas elevat Cruces, unam nempe ante Mansionarios, et alumnos Seminarii, alteram vero ante ipsos Canonicos, et post eas procedere tenetur, immemorabili id firmante consuetudine: *Faventina Praem. et Func.* 7. *Junii* 1760. *dub.* 9.

3. Idem Parochorum Collegium, et praedictum etiam Capitulum in supplicationibus, quae fiunt occasione Synodi, sub unica tantum cruce debent incedere; et crucem a Cathedrali elevandam esse deciditur: *Ibid. dub.* 10.

4. Nec non idem Parochorum Collegium supplicationi, quae fit in festo Divi Marci juxta ritum a Sacro Concilio Tridentino, et a Rituale Romano (1) praescriptum intervenire compellendum esse, non dubitatur: *Ibid. dub.* 11.

5. Parochi Civitatis Perusiae, qui

(1) *Sess.* 25. *cap.* 13. *de Regul.* ubi legitur „ Exempti autem omnes tam Clerici seculares, quam Regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur: iis tamen exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. “ Et in Rituale Romano *tit. de Processionibus* prescribitur ordo servandus in Litaniarum Majorum processione, quae in festo S. Marci celebratur.

Collegium, quod Urbanum vocant, constituunt, annuum ex eorum gremio eligunt Priorem, qui regimen oeconomicum totius Collegii habet. Ad Prioris officium electus anno praeterito fuit Parochus Laurentius Aumoni Leli, qui pessum datas Collegii res studuit reparare. Duodeviginti Parochi confirmare hunc cupiunt ad biennium contra Collegii constitutiones, quae ad annum ediserunt, et confirmationem vetant. Obsistunt alii Parochi (rationum redditioni obnoxii), confirmationique refragantur. Sed confirmatus ille fuit ad annum ex Consulto S. C. *Perusina Elec. Pr.* 8. *Maii* 1762.

Parochus Acatholicus *Vide Matrimonium* §. *XVIII.*

§. I.

Parochus quoad Administrationem Sacramentorum.

1. Jam ante S. C. definitione explicaverat, Parochos tempore pestis teneri in Ecclesia Parochiali residere, imo illos cogendos esse ad praescriptum *Cap.* 1. *Sess.* 23. *de refor.* (2); modo censet suae Parochiae incolis peste laborantibus Sacramenta baptismi, et Poenitentiae per se, vel per alios idoneos omnino ministrare teneri; et supradicta esse significanda Archiepiscopo, et aliis Episcopis per literas S. C., facta relatione Sanctissimo Domino Nostro approbavit: *Mediolanen.* 13. *Apr.* 1630.

2. Dubium, an administratio Sacramentorum in Ecclesia S. Mariae de Populo spectet ad solum Parochum reformari praecepit: *Forolivien. Jur. Par.* 18. *Novem.* 1684. *dub.* 3.

3. Exortis controversiis inter Monasterium Monialium S. Clarae Civitatis Laudensis subjectum Regularibus S. Francisci de Observ., et Parocho S. Blasii, intra cujus limites Monasterium existebant, ac Domus Monialium, de Sacramentorum tempore Paschali, et occasione infirmitatis susceptione, quum ageretur de personis secularibus, quae Moniales inserviebant, et in Mansionibus extra clausurae septa constitutis, sed exteriori murorum recintu cum Monasteriis inclusis, censuit S. C. memoratos famulos Monialibus inservientes satisfacere praecepto paschali in Ecclesia Parochiali teneri, et ad Parochum pro iisdem infirmis Sacramentorum administrationem spectare: *Lauden. Jur. Par.* 14. *Apr.* 1685.

4. Proposito dubio, an Canonicus Ecclesiae Cathedralis insimul, et Pa-

(2) ibi „ Quod si per edictum citati, etiam „ non personaliter, contumaces fuerint, li„ berum esse vult Ordinariis, per censuras „ ecclesiasticas, et sequestrationem, et sub„ tractionem fructuum, aliaque juris remedia „ etiam usque ad privationem compellere " In proposito casu ita loquitur Benedictus XIV. „ Illuc ab omnibus indubitanter ad„ mittitur, quod quicumque curam gerit a„ nimarum, ac residendi obligatione tene„ tur, non potest adesignato sibi residentiae „ loco recedere, ut pestis periculum effu„ giat: ideoque, saeviente licet peste, et re„ sidere debet, et residentiae non materia„ lis tantum, sed etiam formalis, ut in„ quunt, onera adimplere; operando ni„ mium, et laborando pro spiritualibus, et „ corporalibus concreditae sibi plebis neces„ sitatibus. Gravissima pestis, quae Medio„ lanum invasit, dum S. Carolus Borromaeus „ illius Civitatis Archiepiscopus sedebat, „ die 12. Aug. 1576. saevire caepit: uti fir„ matur in notis ad ejusd. S. Archiepiscopi „ vitam a Giussano descriptam, *pag.* 275. „ *num.* 8. *Mediolanensis Edit. an.* 1751. „ Cum autem S. Praesul animo forte prospi„ ceret, non neminem fore, qui parum „ aestimans incumbentem sibi animarum cu„ ram, facile consilium cepisset, ut alium „ in suas vices substitueret, seque a resi-

rochialis habitans in domo intra fines alterius Parochiae sita, ex quo dicta Ecclesia Cathedralis aedibus Canonicalibus caret, in ultima infirmitate Sacramenta a Parocho Ecclesiae Cathedralis recipere, vel a Parocho domicilii teneatur? respondit S. C. recipere a Parocho Domicilii teneri: *Tyburtina Jur. Adm. Sacr. et Fun.* 12. *Maii* 1685.

5. Cum non constaret, an, et ad quem spectet administrare Sacramenta famulis, et inservientibus Monialibus Monasterii S. Matthaei Congregationis Lateranensis Spoleti positi, et degentibus in domo intra fabricam, et atrium Monasterii constructa, infirmis in eadem domo? spectare ad Parochum S. C. aperuit: *Spoletana Jur. Par.* 19. *April.* 1692. *dub.* 2.

6. Respondit S. C. ad quaesitum, an infirmis Canonicis Ecclesiae Cathedralis, quae et Parochialis est, degentibus intra fines alterius Parochiae, Sacramentorum administratio spectet ad Parochum Cathedralis, vel ad Parochum domicilii? danda esse decreta in Tyburtina Jur. Adm. Sacr. et fun. 12. Maii 1685. (3): *Tolentinaten. Jur. Par.* 11. *Sept.* 1694. *dub.* 1.

7. Pariter responsum reddit ad dubium, an Canonico Ecclesiae Cathedralis decumbenti in domo propria, et distincta ab aedibus Canonicalibus administranda sint Sacramenta a Parocho Ecclesiae Cathedralis, vel a Parocho illius habitationis, et domicilii? tradenda esse decreta in Tyburtina cit., et in Tolentinaten. (4): *Narnien. Jur. Par.* 26. *Sept.* 1699. *dub.* 1.

8. Putat Capitulum Cathedralis vigore asserti Statuti Capitularis Apostolica auctoritate Innoc. VIII. Pont. Max. confirmati sibi competere jus privativum administrationis Sacramentorum Canonicis infirmis in quacumque Parochia degentibus. Ast Parochis obloquentibus jus administrandi Sacramenta Canonicis infirmis spectare ad Parochos privative quoad Capitulum decretum S. C. fecit: *Novarien. Jur. Ad. Sacr.* 17. *Sept.* 1695. *dub.* 1.

9. Parochus Ecclesiae S. Petri in Vaticano plurium summorum Pontificum indulta exhibens praetendebat commorantes in omnibus Parochiis urbis baptizare. Et licet Parochis ceteris urbis refragantibus, et solos filiales posse aliquem baptismi irrorare autumantibus, S. C. Parocho S. Petri favet: *Romana Jur. Bap.* 15. *Maii* 1700. (5).

10. Jus administrandi Sacramenta Collegialibus inservientibus, et Colle-

„ dentiae loco subtraheret, dubium hoc ad „ Congregationem Concilii definiendum detulit; num scilicet residere teneretur, qui „ curae praeerat animarum, quamvis urgeret periculum contrahendi pestem, et ex „ illa occumbendi. Responsum autem fuit, „ residendi obligationem vel tum vigere, eaque obstringi non modo Parochos, sed et „ Episcopos; quemadmodum videre est in „ rescripto mensis Octobris, et Decembris „ ejusd. anni 1576. relatis apud Fagnanum „ *in Cap. Clericos num.* 37. *et seq. de Clericis resident*, quibus Pontificia quoque „ Gregorii XIII. accessit approbatio: unde, „ post hujusmodi rescripta, sive resolutiones, aditus locusque amplius relinqui non „ potest eorum Doctorum opinioni, qui affirmarunt, et docuerunt, licere ei, qui „ animarum curam exercet, a residentiae „ loco abscedere, modo Sacerdotem idoneum „ adinveniat, qui, accedente Episcopi licentia, vices ejus adimpleat; veluti recte „ perpendit Muratorius *in suo Tractatu de* „ *Peste lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 359. *primae edit.* „ *Mutinensis etc.*" *De Synod. Dioeces. lib. XIII. Cap.* 9. *num.* 2. *pag.* 600. *Edit. Rom. in fol.* 1755.

(3) *Vide num.* 4. *praes.* §.

(4) *Vide num.* 4. *et* 6. *praes.* §.

(5) *Vide not.* 4. *tom.* 1. *pag.* 209.

gium a nomine fundatoris nuncupatum *de Taegi* colentibus, privative spectat ad Parochum insignis Collegiatae S. Laurentii Majoris, cum facultate dicti Collegii Rectori, et alteri cujuscumque praefatum exercitium prohibendi: *Mediolanen. Jur. Par.* 28. *Julii* 1702.

11. Ratione exemptionis a jurisdictione, ac visitatione Episcopi Ecclesiae S. Mariae de Lacu, quae ad Monachos Camaldulenses Monasterii S. Mariae de Urano spectat, Parochus S. Christophori in Bassano in eadem Ecclesia, ac domo adnexa exceptis mansionibus inservientibus Colonis sacramenta administrare nequit: *Brittonorien. Exempt., et Eleemos.* 12. *Decem.* 1711. *dub.* 2.

12. Viatores degentes in Civitate Savonae, vel in ea decedentes Parocho Ecclesiae Cathedralis, quoad receptionem omnium Sacramentorum, minime vero Parocho illius Ecclesiae Parochialis, intra cujus districtum degunt, vel occumbunt, subjiciuntur: *Savonen. Jur. Paroch.* 24. *Sept.* 1712. *dub.* 1.

13. Peregrini in Civitate praedicta degentes, vel in ea deficientes Parocho Ecclesiae Cathedralis quoad omnium Sacramentorum receptionem, minime vero Parocho Ecclesiae Parochialis, intra cujus districtum vitam agunt, vel deserunt, subjiciuntur: *Ibid. dub.* 4.

14. Advenae, et Exteri quicumque, qui non habent animum permanendi in Urbe Savonae ibidem habitantes, seu degentes una cum eorum familiis Parocho Ecclesiae Cathedralis quoad omnium Sacramentorum, non autem Parocho Ecclesiae Parochialis, intra cujus limites degunt, subjecti sunt: *Ibid. dub.* 7.

15. Quod de Advenis praedictis sancitum est, servari etiam debet quoad Cives Savonenses, qui tamen omnino deseruerunt, Domicilium, et patriam remeantes, animo commorandi solum ad tempus, Domus Consanguineorum, seu etiam paternam inhabitant 13. *Decem. ejusd. anni dub.* 11.

16. Gubernator ejusque Vicarius, Magistratus, et Officiales, ac Stipendiati quicumque missi a Principe ad regimen Civitatis Savonae, habitantes in dicta Civitate, vel in domo publica, vel privata sumptibus publicis conducta una cum eorum familiis vitam colunt, vel e vita migrant, subjiciuntur Parocho Cathedralis Ecclesiae quoad omnium Sacramentorum receptionem, non autem Parocho illius Ecclesiae, intra cujus limites vivunt, ac vitam dimittunt: *Ibid. dub.* 12.

17. Quod si praedicti Cives Savonenses forent, et incolerent Domum propriam, vel privatam propriis sumptibus conductam Sacramenta recipere a Parocho, in cujus Paraecia habitant, debent: *Ibid. dub.* 15.

18. Officiales Belli quocumque nomine appellantur habitantes in Urbe Savonae, vel in stationibus, et domo publica, vel privata una cum eorum Familiis, aut in ea decedentes subjecti sunt Parocho Ecclesiae Cathedralis quoad receptionem omnium Sacramentorum, excluso Parocho Ecclesiae, intra cujus districtum in vita commorantur, vel vita privantur: *Ead.* 21. *Januar.* 1713. *dub.* 16.

19. Quod si dicti Officiales Cives Savonenses fuerint, Sacramentorum administratio ad Parochos respectivae habitationis spectat: *Ibid. dub.* 20.

20. Milites omnes incolentes saepedictam Civitatem, vel in Stationibus, et domo publica, vel privata, aut in ea morientes una cum eorum familiis Parocho Ecclesiae Cathedralis quoad omnium Sacramentorum receptionem

minime vero illius Ecclesiae, intra cujus districtum habitant, vel obeunt, Parocho subjiciuntur: *Ead.* 13. *Maii ejusd. anni dub.* 21.

21. Quod si praedicti Milites Cives Savonenses fuerint, Sacramenta propriis Parochis recipere debent: *Ibid. dub.* 24.

22. Inclusi in Carceribus Criminalibus Gubernatoris Civitatis Savonae, ibique vitam traducentes, vel supremum diem explentes sive sint Cives Savonenses, sive exteri subjiciuntur Parocho Ecclesiae Parochialis intra cujus districtum Carceres reperiuntur: *Ibid. dub.* 25.

23. E contra vero subjiciuntur Parochis Ecclesiarum, intra quarum limites existunt Carceres ii, qui in Carceribus Civilibus vulgo dictis *malae paghae* detinentur: *Ibid. dub.* 28.

24. Damnati ad mortem subjecti sunt Parocho Cathedralis Ecclesiae quoad Sacramentorum susceptionem, non autem Parocho Carcerum: *Ead.* 17. *Junii ejusd. anni dub.* 29.

25. Parochi, in quorum Parochiis sita sunt Monialium Monasteria, administrare debent Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tempore Paschali famulis, et famulabus Monialium in mansionibus in atriis Monasteriorum muro circum vallatis, et quae sunt contiguae Monasteriis, et habent portam, quae clauditur, sitis degentibus: *Ulissiponen. Occidentalis* 17. *Sept.*, 1722. *dub.* 2.

26. Et ad ipsos spectat Sacramenta administrare iisdem Famulis, et Famulabus in casu ultimae infirmitatis: *Ibid. dub.* 3.

27. Parocho S. Stephani competit jus administrandi Sacramenta in Domo, et inter septa Commendae Sacri Ordinis Theutonici Civitatis Viennae quoad Inquilinos ejusdem Domus; quo vero ad Familiares Commendatarii, Subditos, Vassallos, et Colonos Commendae S. C. rescripsit, quod scriberetur: Nuntio Apostolico et Archiepiscopo juxta instructionem: *Viennen. Jur. Par.* 13. *Julii* 1725. *dub.* 1. Deinde decrevit competere Capellano Commendae per Ordinarium adprobando jus administrandi familiaribus actu inservientibus tantum Sacramenta intra Septa Commendae, et sub obedientia Commendatarii viventibus juxta Bullam Gregorii VIII. Pont. Max., et quoad reliquos nequaquam eidem competere, jussitque quod iterum Nuntio Apostolico juxta instructionem (6): 8. *Febr.* 1727.

28. Ac idem Parochus non tenetur petere licentiam a Commendatario pro tempore ad effectum ingrediendi dictam domum, et Septa Commendae, ibique administrandi eisdem Inquilinis Sacramenta: *Ibid. dub.* 2.

29. Necnon dictus Parochus occasione administrandi Sacramenta Inquilinis ejusdem Domus ingredi debet cum pompa majori, quae fieri solet in urbe Viennensi, et scribatur eidem Nuntio juxta instructionem: (7) *Ibid.*

(6) Instructio redacta fuit ad capita sequentia; primo an adesset aliquis Sacerdos deputatus pro regimine Ecclesiae Commendae; secundo an hic Sacerdos esset approbatus ab Ordinario pro excipiendis Confessionibus; tertio an nominaretur a Comendatario; quarto quanta esset Familia Commendatarii; quinto an haberet bona Jurisdictionalia; sexto an quantus esset numerus Vassalorum, et an in eos Commendatarius exerceret jurisdictionem: *in Thesaur. tom. IV. pag.* 9.

(7) Instructio utriusque Dubii Nuncio Apostolico transmissa est, ut agat cum Domino Commendatario, ut a Septis Commendae abjiciat Faeminas, et Haereticos, ex quo non decet hos nomine suorum Familiarum comprehendi, quodque ulterius non gravetur competentem, sed non excessivum numerum Familiarum statuere, habita tantum consideratione sui ipsius uti Commendatarii non uti coeteris Militaribus, et Saecularibus Officialibus, et Dignitatibus exornati, cum Privilegium ipsi competat uti Sacri Or-

30. Parochus S. Crucis Urbis Novariae, an possit sive in vita, sive in morte administrare Tertiariis, quae aetatem agunt in eorum Hospitio adnexo Monasterio Monalium Cappuccinarum, intra limites suae Parochiae existenti, et Ordinarii jurisdictioni subjecto, Sacramenta administrare? respondit S. C. ad mentem: *Novarien.* 23. *Aug.* 1727. *dub.* 3.

31. Parochus Ecclesiae Cathedralis non potest praebere Sacramenta quibuscumque Clericis, et Sacerdotibus infirmis, et in alienis Parochiis commorantibus etiam privative quoad proprium Parochum domiciliarium, non obstante lege Synodali; quin immo jus administrandi Sacramenta privative ad Parochos domiciliares spectat: *Eugubina Jur. Par.* 2. *Apr.* 1729.

32. In disquisitionem venit, an integrum sit Parocho Cathedralis Ecclesiae baptizare in ea natos in alienis Parochiis, etiam fontem baptismalem habentibus, seu baptismi collatio ad unumquemque Parochum Fontem baptismalem in sua Ecclesia habentem privative quoad proprios Parochiae incolas spectaret? rescriptum fuit, ut solitum servaretur: *Fabrianen. Fon. Bap.* 21. *Junii* 1732. *dub.* 2. Nova deinde impetrata audientia, decretum est, ut Episcopus terminum praefigeret Parochis ad deducenda jura sua in S. C.: 2. *Maii* 1733. Expositis ab his juribus suis, recedit a decisis, et statuit, ut sublata etiam consuetudine, quisque Parochus habens fontem baptismalem, infantes in sua Parochia natos aqua salutis respergat: 14. *Novem.* 1738. *confirmat.* 20. *Mar.* 1734.

33. Retentio olei Sancti, illiusque ministratio in tota Urbe Vercellis, ejusque suburbiis non spectat dumtaxat ad Archipresbyterum Ecclesiae Cathedralis S. Eusebii, et ad Vicarium Perpetuum S. Mariae Majoris, sed tenentur alii Parochi etiam Urbani illud in suis Ecclesiis Parochialibus retinere, atque intra cujuslibet Parochiae limites administrare. *Vercellen. Jur. Par.* 18. *Novem.* 1747. *dub.* 1.

34. In Civitate Tolentini tres adsunt Parochiae non per regiones, sed per domos, et familias divisae, famuli, ac famulae Sacramenta recipere a Parocho illorum, quibus inserviunt, non debent, sed a Parocho originis: *Tolentina Jur. Par.* 13. *Julii* 1748. *dub.* 1.

35. Coloni pariter Monasterii Canonicorum Lateranensium, qui Parochialem Ecclesiam S. Catervi obtinent, originarii alterius Paroeciae a Parocho originis Sacramenta recipere debent: *Ibid. dub.* 1.

36. Haud licet Parochis Regularibus praesertim Cisterciensibus pro libito, et sine licentia Episcopi pro Paroeciis Dioecesis Olomucensis, etsi illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae, sive sint de jurepatronatus, modo unam, modo alteram Ecclesiam, sive Capellam, in qua Sacramenta a Parochis administrentur, fidelibus Dioecesis praedictae constituere: *Olomucen. Jur.* 7. *Junii* 1755. *dub.* 5. *Confirmat.* 2. *Aug. ejusd. anni.*

37. Interpretationi obnoxium est dubium, an Parocho S. Terentii, intra cujus Parochiae limites Palatium Episcopale existit, competat jus Sacramenta Sanctissimae Eucharistiae, et Extremae Unctionis Episcopo aegrotanti administrandi? S. C. respondit, ut servetur Caeremoniale (8): *Faventina Praecm. et Fun.* 7. *Junii* 1760. *dub.* 8.

38. Parocho Convitricium Urbis Se-

dinis Theutonici Commendatario, *Regist. Lit. lib.* 47. *die* 8. *Febr.* 1727.

(8) *Vide not.* 29. *tom.* 2. *pag.* 27.

tiae, quae ab illius jurisdictione immunes esse praesumebant, iisdem Sacramenta praebere facultatem incumbere decernitur ad formam transactionis habitae die 2. Aug. 1718. (9): *Setina* 18. *Maii* 1765. *dub.* 3.

39. Declaravit S. C. Parocho Ecclesiae Cathedralis cumulativum haud competere jus baptizandi subditos Paroeciae S. Mariae in Tebano absque licentia proprii Parochi. Nam Parochus S. Mariae in sui favorem allegat juris dispositionem, quae praevalet etiam assertae consuetudini, et Synodalibus Constitutionibus, de quibus Parocho Cathedralis suadere contendit: *Aesina Jur. Bapt.* 15. *Julii* 1797.

§. II.

Parochus quoad Coadjutores.

1. Inquiritur, si per Visitatorem Apostolicum datus sit Coadjutor alicui Parocho inhabili ad praebenda Sacramenta suis Parochiae incolis propter impedimenta suae personae, quia notabiliter claudus sit, aut caecus, ac iste sic inhabilis tuta conscientia possit relicto Coadjutore in Ecclesia Parochiali, extra Parochiam suam habitare, et fructus suos facere, qui supersunt, deducta portione illa, quae Coadjutori pro sufficienti victu fuit assignata? S. C. censuit non posse: *Ravennaten. anno* 1577. *dub.* 4.

2. Censuit S. C. cogendos esse Curatos ad subenda per se ipsos, et non per substitutos ea munia, ad quae tenentur; tolerandos autem, ut per substitutos suppleant in illis tantum casibus expressis per Canones, et Decreta Concilii, quibus permissum est eis, ut per Vicarios Coadjutores, vel subditos possint officio suo fungi (10). Casus autem, qui excipiuntur sunt Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens utilitas

(9) Qua pactum est. „ Che dette oblate, „ e Serventi siano obbligate nelli giorni „ Santissimi Pasquali di prendere la Comunio- „ ne nella detta Chiesa Maggiore Parrocchiale, „ e ricevere dal Sig. Arciprete, o Deputato da „ esso il solito Bollettino della Santissima Co- „ munione „ *Ead. Caus.* 27. *April.* 1765. §. 12.

(10) Quales sunt, *Sess.* 5. *cap.* 2. *vers. Archipresbyteri*, *Sess.* 6. *cap.* 2. *in fin. Sess.* 21. *cap.* 4. *in princ. Sess.* 22. *de Sacrific. Miss. cap.* 8. *in fin. Sess.* 23. *cap.* 1. *vers. Ad eadem omnino*, *Sess.* 24. *de reform. Matr. cap.* 1. *vers. qui aliter*, *et vers. praeterea eadem*, *et eadem Sess. de reform. cap.* 4. Qui casus contenti in citatis Trid. locis sunt.

Primus est plebem sibi commissam pascere, vel per se, vel per alios, justo cessante impedimento, salutaribus verbis, et docere, quae necessaria sunt ad salutem: *Sess.* 5. *cap.* 4.

Secundus est absentia ab Episcopo approbata, et concessa: *Sess.* 6. *cap.* 2. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

Tertius est insufficientia ipsius Parochi pro administrandis Sacramentis ob populi numerositatem: *Sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.*

Quartus est expositio, et declaratio eorum, quae in Missa leguntur, et potissimum Misterii, quod in ea peragitur, diebus praesertim Dominicis, et Festis peragenda: *Sess.* 21. *cap.* 8. *de Sacrif. Miss.*

Quintus est assistentia in matrimoniis contrahendis, et benedictio nuptiarum: *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.*

Sextus denique est praedicatio verbi Dei tempore, et diebus ibidem statutis: *Sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.*

Romae, ex edicto Card. Guadagni, Urbis Vicarii, publicato *sub die* 21. *Martii* 1749. jussu Bened. XIV., ut in libro existente in Secretaria Tribunalis ejusd. Vicarii „ Notizia per i Parrochi " Parochi, in quorum parochiis anima eorumdem Curae commissae millenarium numerum excedunt, tenentur, quacunque contraria consuetudine non obstante, Sacerdotem in sui adjutorium deputare, non pro incidenti aliquo temporis, aut necessitatis circumstantia, sed statim, et continuum, licet ad nutum amovibilem; approbandum tamen ab Examinatoribus ejusdem Vicarii, juxta Edictum ab eodem publicato *sub die* 4. *Julii* 1735.

Ecclesiae, vel Reipublicae, ut ex Concilio Trid. *Sess.* 23. *Cap.* 1. *de refor.* (11): *Nullius* 30. *Julii* 1591.

3. Occasione Visitationis SS. Liminum Episcopo consulenti Sedem Apostolicam, quae semper quaerentibus praestat veritatem, S. C. respondit, cogendos esse Rectores Ecclesiarum Parochialium existentium in Civitate, quarum plurimi sunt Parochiae incolae extra Civitatis moenia, ut si substituti, per quos cura eorum nomine parochorum exercetur, non sufficiant, alios etiam sibi ad curam hujusmodi extra Civitatem exercendam adjungant, quot necessarii fuerint. Quod si Rectores ob fructuum tenuitatem id oneris praeferre nequeant, cogendos esse Parochiae incolas ipsos juris remediis ad praestanda hujusmodi substitutis adjungendis congrua alimenta: *Aquilana* 5. *Febr.* 1604. *dub.* 1.

4. Quoad Parochorum coadjutores, qui ad nutum, et saepe absque causae cognitione removentur, Episcopus jure suo uti debet: *Civitatis Castellanae* 26. *Aug.* 1628. *dub.* 2.

5. Quoad Prioratum Noveisanum, atque ejus Villas hinc inde dispersas, et penuriam Sacerdotum, qui in eo, et in aliis Parochialibus Sacramenta administrent, Episcopus uti debet remediis ejusdem Sacr. Concilii, quod si hoc fieri nequit agendum cum Domino Nostro pro facultate, ut Episcopus ad aliquod tempus uti opera Sacerdotum Regularium de licentia suorum Superiorum valeat. *Vasionen. Visit. SS. LL.* 25. *Aug.* 1637. *dub.* 5.

6. Constitutis in binis Ecclesiis Parochialibus S. Luciae, et Sanctissimi Salvatoris Coadjvutoribus pro exercitio curae animarum cum suppressione nonnullorum beneficiorum in S. C. exhibita infrascripta dubia fuerunt. An uterque Coadjutor subjacere debeat Parocho Sanctissimi Salvatoris?

7. An uterque in sua Parochia respective residere teneatur?

8. An uterque praeter exercitium curae ad praesentiam in choro, aliaque divina officia, ad quae Beneficiati suppressi tenebantur, adstrictus sit? S. C. respondit ad 1. et 2. affirmative, ad 3. pariter affirmative, dummodo non sint actualiter impediti in cura animarum: 21. *Aug.* 1677. *dub.* 1. 2. *et* 3. Deinde vero Parochus praedictus nova excitavit dubia, quae excussa fuerunt.

9. An Coadjutores teneantur per se, et impediti per alium facere hebdomadam, canere missas, vesperas, et in choro assistere?

10. An Coadjutor deputatus in Ecclesia S. Luciae possit impedire Parochum SS. Salvatoris, ne ibi exerceat functiones Parochiales pro suo arbitrio?

11. An Coadjutores praedicti, qui habent congruam possint lucrari emolumenta funerum, Baptismorum, et matrimoniorum, quae sunt jura parochialia, et dari solita Parocho? Ad primum rescribitur dictos Coadjutores teneri per se; quando vero sunt legitime impediti, non teneri per alium; ad 2. negative, ad 3. pariter negative, nisi obstet contraria observantia; 16: *Decem* 1679. *dub.* 1. 2. *et* 3. Haec praefata Decreta confirmantur modo: *Veliterna Serv. Par.* 16. *Junii* 1702.

12. Condolentes nonnulli Ecclesiae Curatae S. Angeli oppidi Frosolani incolae, quod prae multitudine populi Joseph Antonius de Vago unicus Parochus praesto esse nequit omnium spiritualibus necessitatibus nisi mediante deputatione Coadjutoris in animarum cu-

(11) *Vide not. praecedentem*.

ra; Episcopus neglecta a Parocho facta deputatione hujusmodi Coadjutorem Sacerdotem Felicem de Christophoro deputavit. Ast deputationem hanc firmam non habuit S. C., et ut Ordinarius provideat ad formam Concilii (12): *Triventina Dep. Coad.* 11. *Januar.* 1716.

13. Parochus pro tempore Ecclesiarum Sanctissimae Trinitatis, et S. Jo. Baptistae oppidi Saxelli facta per eum obligatione in forma valida retinendi propriis sumptibus Coadjutorem ab Episcopo adprobandum in altera ex Ecclesiis ab eodem designanda, ad id faciendum cogi debet: *Aquen. Dism.* 2. *Aug.* 1721. *dub.* 2.

14. Martinus Clavero Corbella Parochus Ecclesiae S. Crucis Villae Matritensis in suum adjutorem assumpsit Sacerdotem Jo. Alvarez adprobatum sub conditione, quod ad merum Parochi beneplacitum venia esset duratura. Parochus inde alium Sacerdotem Johanni substituit causis soli Ordinario patefactis. Recurrit Johannes, et in disquisitionem venit, an similibus amotionibus necessarium sit exprimere, et justam facere Sacerdotis in adjutorum curae animarum assumpti amotionem? S. C. nulla definitione prolata ad D. Secretarium ad mentem rescripsit: *Toletana* 17. *Novem.* 1725.

15. Quum cura animarum Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae Pedonis resideret actualiter penes Praepositum, censuit S. C. ad eumdem spectare jus eligendi Coadjutorem in exercitio curae, quoties eo opus sit cum Ordinarii approbatione: *Mediolanen.* 26. *Apr.* 1732. *dub.* 2.

16. Consultatio instituta est, an Parochus pro tempore Ecclesiae Pamparati, de cujus dismembratione agebatur, adigi debeat retinere in Ecclesia S. Antonii Coadjutorem pro administratione Sacramentorum, et cujusnam sumptibus? respondit S. C. ad D. Secretarium juxta mentem: *Asten. Dism. Par.* 6. *Decem.* 1732. *dub.* 2. reproducta causa cautum fuit, ut novae adhiberentur diligentiae juxta instructionem, necnon Episcopus per se ipsum locum recognoscat: 29. *Aug.* 1733. *dub.* 2.

17. Denegata reintegratione Paroeciae qualitatis Ecclesiae S. Johannis, et alteri S. Mariae in Posterulae numeroso Terracinensium populo consulendum S. C. censuit per deputationem alterius Coadjutoris, qui ab Episcopo eligi debeat cum provisione scut. 20. annua, et onus habeat indigentiis Parochiae incolis occurrendi, et signanter degentium extra Civitatem juxta

(12) *Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* ubi statuitur „ Episcopi etiam, tanquam Apostoli„ cae Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis „ Parochialibus, vel Baptismalibus, in qui„ bus Populus ita numerosus sit, ut unus Re„ ctor non possit sufficere Ecclesiasticis Sa„ cramentis ministrandis, et cultui Divino „ peragendo, cogant Rectores, vel alios ad „ quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc „ munus adjungere, quot sufficiant ad Sa„ cramenta exhibenda, et Cultum Divinum „ celebrandum " Benedictus XIV., dum Archiepiscopus erat Bononiae loquens Parochis suae Dioecesis, huic dispositioni subjungit „ Ea verba, *vel alios ad quos pertinet*, Pa„ rochianos indicant, qui suppeditare debent „ necessaria iis, qui Sacramentis administran„ dis occupantur, cum solus Parochus id prae„ stare nequit, et reipsa tenuem ex benefi„ cio proventum desumit. Id statuit S. C. „ ejusdem Concilii Interpres die 16. April. „ anno 1639.: *Sacra etc. censuit, supposita* „ *numerositate populi, et tenuitate reditu*„ *um Prioratus, cui annexa est cura anima*„ *rum, cogendum esse ipsum Priorem sibi ad*„ *jungere pro administrandis Sacramentis*, „ *et Cultu Divino peragendo, Sacerdotem*: „ eique subministranda esse per populum ad „ vitam sustentandam necessaria " *Inst. Eccl. XLIV. num.* 7. *Tom.* 11. *pag.* 615.

modum ab eodem Episcopo praescribendum: *Terracinen. Dismemb.* 6. *Junii* 1739. *dub.* 3.

18. Vicarii S. Salvatoris aucto Populo ad mille capita postularunt, ut defuncto nuper Archipresbytero unius Ecclesiae dicti vici constituantur octo Sacerdotes, inter quos ipse Archipresbyter, et duo Capellani jam dudum constituti, ut omnes Archipresbytero operam suam praestarent, et in curam animarum, Ecclesiaeque servitium praesidio essent; assignato vero annuo stipendio eisdem ex reditibus Ecclesiae in ducat. annuis 400. excedentibus desumendo. Re ad S. C. delata deputandos esse duos tantum Coadjutores decernitur: *Thelesina* 8. *Febr.* 1744. *dub.* 1.

19. Assignandosque esse ducatos 50. pro quolibet ex Parochi reditibus firmatur: *Ibid. dub.* 3.

20. Coadjutori perpetuo Basilica S. Mariae Transtyberim exercere actus Parochiales jure proprio, et absque voluntate Vicarii Perpetui ejusdem Basilicae, et signanter assistere Matrimoniis, baptizare, et illorum nomina in Libris adnotare, et ex illis quascumque fides extrahere, necnon canere, seu legere Missam praesente Cadavere, administrare Sacramenta Sanctiss. Eucharistiae praesertim tempore Paschali, et alios quoscumque actus ad curae exercitium spectantes licet. Haec autem omnia gerere cum scientia, et ejusdem Vicarii perpetui arbitrio non debet. Nam cumulative ab illis cura Animarum exercebatur: *Romana Jur. Parochi* 29. *Aug.* 1744. *dub.* 2.

21. Dictoque Coadjutori perpetuo tam in subscriptionibus, quam in caeteris actibus adhibere Coadjutoris perpetui nomen tantum licitum est. *Ibid. dub.* 6.

22. Ferentinus Episcopus Archipresbytero, et Parocho Ecclesiae Collegiatae S. Agathae Oppidi Proxeudis surditate laboranti, ac inhonestam vitam ducenti Coadjutorem cum stipendio scutorum 24. ex Parochiae reditibus sumendo dedit. Reclamavit Parochus Meculus; quaesivitque, num Coadjutoris deputatio in Animarum cura ei ab Episcopo facta, sustineretur? et non sustinendam S.C. respondit: *Ferentina Coadjut.* 29. *Febr.* 1744. *dub.* 2.

23. Neque propterea stipendium illud 24. scutorum ab Episcopo Coadjutori assignatum ratum esse, decisum quoque fuit: *Ibid. dub.* 3.

24. Regulares dari in Caodjutores Parochorum Regularium, licet Abbatum, nequeunt a Superioribus Regularibus absque expressa Episcopi licentia; sed sunt in potestate Episcopi in adprobatione Confessariorum Regularium limitare eorumdem facultates non solum, quoad tempus, sed etiam quoad Personas, et Loca, in quibus debent Confessiones audire: *Omolucen.* 7. *Junii* 1755. *dub.* 4. confirmat. 2. *Aug. ejusd. Anni.*

25. Parochialem Ecclesiam S. Stephani Villae Pontis Sigestri obtinuit Dominicus Andreas Cameti, nec non inde post triennium Coadjutorem sibi adsciscere cum futura successione Andream Luceti, reservatis annuis ducatis 36. auri de Camera curavit; et facultas ei data fuit munera Parochialia obeundi Cameto a dicta Parochiali absente, seu apud illam residere nolente, seu non valente. At inde factis inter eos nonnullis controversiis haec S. C. decidit, non indigere coadjutorem gratia dispensationis a residentia locali, quia in Bulla Coadjutoriae non adest residendi Decretum: *Brugnaten. Coadjut.* 17. *Januar.* 1756. *dub.* 1.

26. In hoc primo dubio S. C. alia explanavit hisce concepta verbis: An usus Domus Canonicalis, quae est indivisibilis, debeatur tantum dicto Coadjuto residere nunc volenti, et nolenti quam domum idem Coadjutus nec animo, nec scripto umquam cessit Coadjutori: *Ibid dub.* 2.

27. Neque Coadjuto in casu praesenti competere facultative administrare Ecclesiam suam in spiritualibus, itaut Coadjutor nihil agere valeat, nisi eo requisito, et potestate tantum Vicaria, donec officium Coadjutoris duraverit: *Ibid. dub.* 3.

28. Denique ad dubia: An, et quomodo sit providendum in re administrationis etiam in temporalibus, ne bona Ecclesiae ulterioribus detrimentis subjiciantur?

29. An, et quomodo sit providendum Coadjuto, ne litigare continuo cogatur alimenta sua in summa 36. Ducatorum Auri de Camera sibi in Bulla reservata, addita obligatione Camerali, ac Fidejussione benevisa pro eisdem alimentis in tuto ponere? rescriptum prodiit, ut Partes utantur jure suo coram suis Judicibus: *Ibid. dub.* 4. *et* 5.

30. Parochus, seu Vicarius Perpetuus S. Mariae Llussano etiam sui populi nomine postulavit, ut sibi darentur Sacerdotes coadjutores in Curam Animarum in tribus Ecclesiis filialibus, ex quo Parochiae incolarum numerus duplo major auctus fuerit, et ob locorum distantiam, et viarum asperitatem, rusticis hominibus incommodum affert. Capitulum Barchinonense Decimator contradixit. Et S. C. praedictos Sacerdotes deputandos esse putavit: *Vicen. Paroch. de Llussano* 23. *Aug.* 1760. *confirmat.* 30. *Aug.* 1766.

31. Et quum quaereretur, a quibus praestanda esset congrua dictis Sacerdotibus Coadjutoribus, an scilicet a Parocho, vel a Capitulo Decimatore? rescriptum fuit, quod coadjuverentur probationes juxta instructionem D. Secretarii: *Ibid.* Ac inde iterum suspensa definitione ut dentur novae Literae juxta instructionem (13) dictum fuit: *Ibid.*

§. III.

Parochus quoad Congruam.

1. Quoad dissidium inter Petrum Mazzucca in Parochum Ecclesiae S. Nicolai, et Demetrium Maula itidem Parochum Ecclesiae S. Mariae Gratiarum Oppidi Barilis ex una, et Universitatem, et Populum dicti Oppidi factum ex altera, Tribunal A. C. absolvit Universitatem, ac Populum a solutione annuae medietatis unius modii frumenti, decima, seu *Honorie* nuncupata praestanda reservato jure Parochis consequendi congruam contra quos de jure. S. C. autem Parocho S. Nicolai deberi congruam censuit: *Melphien. Congruae* 27. *Junii* 1711. *dub.* 1.

2. Ac deberi illam a Paraeciae incolis statuit: *Ibid. dub.* 2.

3. Inde interrogata quoad quantita-

(13) Mens fuit, ut Episcopus vel per publica jura, vel per summarium Librorum, aut per alias certas probationes distinctum conficiat statum omnium redituum, et proventuum dictae Vicariae tam certorum, quam incertorum, ac onerum, quae a Vicario supportantur, itemque certam reddat quantitatem, quae tum pro Congrua Parochi, tum pro mercede Vicariorum necessaria est juxta morem regionis, et secundum rei de qua agitur circumstantias. Tandem rescire oportet cui monetae Romanae respondeat valor librae istius Regni. Hac auditis, citatisque omnibus interesse habentibus exequatur; et si alia ad rem conferre putaverit, exponet et animi sui sensum super omnibus adjiciet: *Regist. Lit. Lib.* 32. *die* 30. *Aug.* 1766.

tem, an, et in quibus effectibus, seu emolumentis assignanda esset? et arbitrio; et conscientiae Episcopi computatis de jure computandis respondit: *Ibid. dub.* 3.

Et dictam deberi pro tempore praeterito non a die cessatae solutionis praetensarum Decimarum, quae *Honoric* dicuntur; sed a die sententiae absolutoriae AC. quoad Honorias praecepit: *Ibid. dub.* 4.

5. Parocho, seu Vicario Curato Ecclesiae S. Petri Loci de Cellavegna, quum a Conventu S. Petri Martyris Ordinis Praedicatorum, cui Praepositura praedictae Ecclesiae unita fuerat a S. Pio V. Pont. Max., solverentur scuta sedecim circiter, quumque eidem alia scuta 80. circiter ex incertis obvenirent, S. C. postquam Card. Episcopo scribendum esse juxta instructionem jusserat (14) die 22. Maii 1722. quoad Congruam praedictam incrementum faciendum esse usque ad scuta 40. non computatis incertis sancivit S. C.: *Papien.* 6. *Martii* 1723. *dub.* 1. *et* 2.

6. Congrua Statuta Parocho Ecclesiae S. Mariae existentis in Locorum Puriae, et Datii, et per publicum instrumentum conventa in Libris 360. Imperialibus solvi eidem non debet ad rationem solidorum sedecim pro qualibet libra juxta libras Helveticas, sed ad rationem solidorum viginti monetae Mediolani: *Mediolanen. Congruae* 22. *Sept.* 1731. *dub.* 1.

7. Sua Constitutione Benedictus XIII. Pont. Max. mandaverat, ut Ecclesiae Parochiali S. Francisci Patrum B. Petri de Pisis in Monte Mario annua scuta 100., ne Parochis congrua deesset portio, a possessoribus praediorum, quae intra fines illius Parocecia sita sunt, contribuantur. Sed dicti Possessores expostulationem fecerunt, alienam fuisse Summi Pontificis mentem existimantes, si scivisset, quod Bartholomaeus Nerius pro conservatione duodecim Religiosorum, ut spirituali Agricolarum saluti prospicerent, reliquit. Hinc post quam oris aperitionem postulassent, quaesiverunt, num congruae assignatio, et taxae impositio sustineretur? rescriptum prodiit, ut *Firmetur status conventus: Romana Aper. Oris, et Congr.* 27. *Junii* 1733. *dub.* 2. Deinde exiit rescriptum ad Card. Praefectum pro concordia: 9. *Januar.* 1734.

8. Erecta in novam Parochialem Ecclesia S. Annae Villae Nemi inferioris, pluribusque adhunc effectum dismembratis Locis, assignati in congruam novo Rectori fuerunt annui reditus librarum 80. vel pro iis tradita fuerunt tot stabilia bona, quae annuum hunc reditum referrent. Disputatum deinde fuit, nunc haec congruae assignatio valida sit, et validam esse, quodam excepto praediolo in loco Parodii sito S. C. sententia fuit: *Dertonen. Dismemb.* 28. *Januar.* 1736. *dub.* 3.

9. Monasterium S. Clarae extra moenia Civitatis Conimbricae in maxima rerum angustia reperiebatur, quando postulavit congruae in annuis scutis 600. assignatae Parochis, seu Vicariis Ecclesiarum S. Petri de Govvea, et S. Mariae de Pena Cova eidem Monasterio unitarum, reductionem. Hujusmodi petitioni favet Episcopus, ut pauperibus Parochiarum, Ecclesiarum fabricae, sacrarum supellectilium indi-

(14) Instructio fuit ut exhiberentur Libri Conventus ad effectum calculandi reditus Praepositurae quoad ultimum decennium, quod exhiberentur Libri Parochiales, et quatenus non adessent, quod examinarentur Testes super reditibus Parochiae ultra congruam, quod tandem exquirerentur onera, ad quae Parochus tenetur: *in Thesaur. tom. II. pag.* 282.

;entiis, manutentioni aliarum Ecclesiarum subjectarum sumptibus Monasterii consuleretur, cui integri Parochiarum reditus applicarentur, relicta congrua in aureis de Camera ducatis 80. Re S. C. perpensa locum esse reductioni juxta votum Ordinarii sancivit: *Conimbricen. Congruae* 6. *Decem.* 1733.

10. Sequuta, ac adprobata a S. C. Vici Zuvini Dismembratione ab Ecclesia Praepositurali, et Collegiata S. Laurentii Oppidi Cuvii, inde examen subiit, An et a quibus subministranda sit congrua Parocho noviter erecto? S. C. scripsit suppeditandam esse congruam juxta Episcopi decretum in omnibus: *Comen. Dismem.* 13. *Martii* 1751. *dub.* 2.

11. Parochus Ecclesiae S. Petri Oppidi Castignani, qui et Prior est quatuor Praebendatorum ejusdem Ecclesiae de sua congrua conquestus est, quam ad scut. 20. detractis oneribus ascendere asseruit, praesertim quum in sua Parochia alii adsint Decimatores, quos improbat; supplementum igitur postulavit, et postquam protelata primum fuerat definitio, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem (15): *Montis Alti Congruae* 6. *Decem.* 1755. instantia Oratoris rejecta fuit. Episcopus enim retulerat Congruae quantitatem in 32. 99. detractis oneribus constare: 26. Junii 1756.

12. Paullus Petronius obtinuit Presbyteratum terrae Nojae pensionis annuae oneratae ducatorum 40., ac reditus vix annui ducatorum 118. non deductis expensis. Hic pensionem praedictam solvere renuit, et studuit perpendi, an congrua Conciliaris pro eodem Parocho una cum aliis oneribus, et expensis publicis, et privatis sit prius deducenda? S. C. annuit, decidens pensionem dempta congrua conciliari pro Parocho validam esse: *Barren. Pensionis* 30. *Junii* 1759. *dub.* 3.

13. Parochus Ecclesiae Castri Miciliani Petrus Megliorini congruae incrementum expetivit ab Abbate S. Quirici, et Judittae, qui Decimas percipit. Ast non probata congruae insufficientia quam recipit, ejus instantia fuit repulsa, rescriptumque non esse locum congruae accessioni: *Reatina Augmenti Congruae* 25. *Junii* 1763. *dub.* 10.

14. Cyprianus Petruccius Parochus Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris Tuderti suae Parochiae reditus, ex quibus detractis expensis vix supererat scut. 9. 63., necnon sua onera exponens, urget, ut dictae suae Parochiae uniretur haereditas Philippi Mattioli, quae ad scut. 638. ascendit, sub qua vivens degebat, cum onere celebrandi quolibet anno numerum Missarum pro arbitrio S. C.; quia Testator eam in tot Missarum celebrationem constituerat. Nullam edidit S. C. definitionem, et ut scribatur Episcopo juxta instructionem (16) mandavit: *Tudertina.* 5. *April.* 1783. Deinde annuit petitioni celebratis Missis viginti quatuor quolibet anno ad formam testamenti facto verbo cum Sanctissimo: 19. *Julii ejusdem anni, et die* 23. *ejusd. mensis Sanctissimus adprobavit.*

Parochus quoad Decimas *Vide Decimae.* Parochus Domicilii *Vide Matrimonium* §. *XVII.* Parochus quod Funerea, eorumque Quartam *Vide Emolumenta* §. *II. Quarta Funebris.*

(15) Instructio fuit, ut distinctae referret omnes fructus, et reditus tam certos, quam incertos Parochialis Ecclesiae: *Eadem Caus.* 26. *Junii* 1756.

(16) Quod transmittat consensum liberum, „ et absque reservatione Executoris Testamentarii, quod referat, quod aliud medium „ adsit, quo suppleri possit indigentiae Parochiae et referat de ipsius Parochiae reditu certo." *Ead. Caus.* 5. *April.* 1783.

§. IV.

Parochus quoad Jurisdictionem, Potestatem, et jura Parochialia.

1. In dubitationem vocatur, an Parochi Regulares a jurisdictione Ordinarii pro delictis, quae ipsi in respicientibus curam animarum, et Sacramentorum administrationem committunt, exempti existimantur? S. C. explicavit, Parochos Regulares subesse visitationi, et correctioni Episcopi in his, quae ad curam Sacramentorumque administrationem pertinent: *Golimbrien.* 16. *Julii* 1639. *dub.* 1.

2. Quaestio instituta est, an expediat renovare decretum Archiepiscopi Urbini, quo mandavit Parochum S. Luciae excercere jura parochialia in Ecclesia Societatis Spiritus Sancti, et Ecclesiam S. Luciae remanere liberam Monialibus, in qua conveniunt Parochus, et Moniales? censuit S. C. decretum non esse renovandum, nisi Societatis accedat consensus: *Urbinaten. Visit. SS. LL.* 10. *Mart.* 1663. *dub.* 2.

3. Cum esset ambiguum, an Monachi Ordinis Cisterciensium S. Benedicti Carthusianorum intra limites Dioecesis Olomucensis etiam quamvis exemptorum ad curam animarum personarum secularium expositi, quam subesse debeant jurisdictioni, et correctioni Diocesani Episcopi quoad dictam curam, quoad excessus extra claustra commissos ab hujusmodi Regularibus, et curam animarum non tangentes subjacere etiam debeant? S. C. servandam esse dispositionem Concil. Trid. *Sess.* 25. *Cap.* 14. *de Reg.* (17) respondens declaravit: *Olomucen. Jur.* 11. *Julii* 1665. *dub.* 2.

4. Ac Parochi praedicti Monasteriorum, ut supra exemptorum, nequeunt curam animarum exercere in dictis Parochialibus sine approbatione ipsius Episcopi: *Ibid. dub.* 3.

5. Quaeritur, an a Parochis Civitatis Papiae possint vigore consuetudinis cogi haeredes defunctorum, ut si quando aliquos fratres exempli gratia duodecim vocant ad associandum in funere cadaver defuncti, totidem omnino pares numero Clericos seculares debeant vocare? non licere, salvo tamen jure immemorabilis coram Judice probandae, constitutum est: *Papien.* 11. *Decem.* 1665. *dub.* 2.

6. Parochus Regularis in Ecclesia Parochiali Regularium potest praedicare sine licentia sui superioris, habita tamen Episcopi venia: *Narnien. Jurisd.* 13. *Julii* 1669. *dub.* 3.

7. Dictus Parochus valet concionari in eadem Ecclesia non obstante licentia Episcopi, ac etiam non petita benedictione: *Ibid. dub.* 4.

8. Communitas Serrae Ciani supplicat demandari observantiam decreti anni 1677. S. C., in qua declaratur non posse Parochum illius terrae impedire celebrationem Missae conventualis in sua Parochia, necnon exorat pro facultate, ut in Ecclesia S. Spiritus a Sacerdote celebrante in diebus festis promulgentur festivitates de praecepto, vigiliae, et similia? S. C. voluit, ut daretur Decretum diei 5. Febr. 1677. (18): *Nullius Provinciae Calabriae* 11. *Julii* 1682.

9. Nequit Parochus officium funeris

(17) *Vide not.* 262. *tom.* 3. *pag.* 294.

(18) Censuit S. C. dandum esse Decretum in hac ipsamet Causa editum tenoris seguentis *die* 5. *Febr.* 1677. ,, Quaeritur an Ordinarius ad ,, instantiam Rectoris Ecclesiae Parochialis ,, possit praecipere Rectoribus aliarum Ecclesiarum non Parochialium ejusdem Terrae, ac districtus, ne Missas celebrent, antequam absoluta fuerint Missa Conventualis, quae in ipsa Parochiali quotidie ce-

peragere in Ecclesia Archiconfraternitatis Mortis super cadavere defuncti in eadem Ecclesia tumulandi; etiamsi sit Parochus, intra cujus limites Parochiae Ecclesiae Archiconfraternitatis posita est: *Romana Fun.* 10. *Jun.* 1682. *dub.* 4.

10. Dubio ponderato, an Parocho Ecclesiae S. Jo. in Vico privative quoad Rectorem Ecclesiae S. Mariae de Populo sitae intra limites dictae Parochiae liceat quaerere eleemosynas intra ejusdem Ecclesiae Parochialis limites pro Sanctissimo Sacramento? respondit S. C. non competere Parocho jus quaestuandi in Ecclesia S. Mariae de Populo: *Forolivien. Jur. Par.* 18. *Novem.* 1684. *dub.* 1.

11. Ac eidem Parocho fas non est retinere claves capsulae eleemosynarum existentis in dicta Ecclesia S. Mariae: *Ibid. dub.* 2.

12. Benedicere insuper mulieres post partum in dicta Ecclesia S. Mariae non spectat ad solum Parochum: *Ibid. dub.* 4.

13. Et in dicta Ecclesiae S. Mariae solus Parochus non valet Missas celebrare in diebus solemnibus et funeribus, et pacem populo dare: *Ibid. dub.* 5.

14. Apertum non est, an Curati, seu Vicarii Ecclesiae Parochialis Hospitaletti teneantur recognoscere Episcopum Laudensem eorum Ordinarium? planum faciendum esse in casibus particularibus S. C. putavit: *Laud. Jur.* 1. *Decem.* 1691. *dub.* 11. *Confirmat.* 20. *Sept.* 1692.

15. Rectori Parochialis Ecclesiae S. Petri in Vinculis jus competit sepeliendi in sua Ecclesia Parochiali homines sub asserto titulo Confraternitatis erectae Sanctissimi Sacramenti: *Pisana Suppr. Soc.* 23. *Aug.* 1692. *dub.* 1.

16. In Ecclesia Societatis Laicalis S. Nicolai de Tolentino expositiones, et benedictiones Sanctissimi Sacramenti expleri debeat a Parocho S. Andreae, vel ab aliis Sacerdotibus de ejusdem licentia: *Ferrarien. Jur. Par.* 22. *Martii* 1698. *dub.* 2.

17. Parochis Urbis Foggiae licitum est funus ducere per publicas plateas, et a via recta deflectere, quae Ecclesiam funeris, et praesertim Regularium petit: *Trojana Fun.* 7. *Maii* 1701. *dub.* 1.

18. Praetendentibus Parochis Civitatis Foggiae occasione funerum ingredi Ecclesias Regularium, ac super cadaveribus exequias peragere: S. C. oraculum Regulares implorantes innixi immemorabili consuetudine responsum retulerunt Parochos ingredi licere, non autem exequias peragere: *Trojana Fun.* 17. *Jun.* 1702.

19. Jus faciendi Parochiales functiones in Collegio a nomine fundatoris nuncupato *de Taegi*, seu in ejus Ecclesia, ac sepeliendi Cadavera defunctorum in eodem Collegio, privative spectat ad Parochum insignis Collegiatae S. Laurentii Majoris cum facultate prohibendi dicti Collegii Rectori, et alteri cuicumque praedictum exercitium: *Mediolanen. Jur. Par.* 28. *Julii* 1702.

20. Citra approbationem Conservatorii (19) Sanctissimae Conceptionis instituti S. Clarae Casalis Pentae terrae S. Severini omnia jura parochia-

" lebratur: *die* 6. *Octob.* 1625. S. C. etc. " Censuit non posse ordinarium id prohibere: quo vero ad petitionem indicendi, et " promulgandi festivitates de praecepto, et " similia, illam rejecit " *Lib. Decret.* 32. *fol.* " 346.

(19) *Vide not.* 546. *tom.* 2. *pag.* 422.

lia in ejus Ecclesia, in oblatis, aliisque mulieribus degentibus in eodem sunt a proprio Parocho S. Mariae Capitis, intra cujus limites degunt, non ab illarum Capellano exercenda: *Salernitana Jur. Par.* 19. *Aug.* 1702. *dub.* 1.

21. Rector Ecclesiae Parochialis S.M. V. Maratonae potest eligere *in Bursarium* pro distribuendis plumbis illis, qui divinis intersunt, unum ex Presbyteris ejusdem Ecclesiae, ac etiam unum ex Vicariis, qui non sit actu impeditus in exercitio curae animarum: *Barchinonen. Er. Com.* 9. *Sept.* 1702. *dub.* 3.

22 Quod definiendum erat, an Parocho Ecclesiae Cathedralis liceat occasione funerum ingredi Ecclesiam Patrum Societatis Jesu cum stola, et cruce? S. C. decisionem ad S. C. Rituum commendavit: *Tusculana Fun.* 16. *Junii* 1703.

23. Parochi sub quacumque praetensione non possunt differre, vel impedire, ne tempore debito cadavera ad sepeliendum deferantur: *Novarien. Fun. et Jur.* 15. *Martii* 1704. *dub.* 5.

24. Parochis impedientibus licitum est haeredi post expectatum triduum a morte defuncti ducere funus ad Ecclesiam, in qua cadaver est sepulcro reddendum, praeterquam ante solis ortum, et de nocte: *Ibid. dub.* 6.

25. Parochi praedicti cogere non possunt haeredes ad peragendas in Ecclesia Parochiali omnes functiones Missae solemnis, accensis luminibus in singulis altaribus, et anniversariorum, quae fiunt in Ecclesia Reformatorum occasione funerum: *Ibid. dub.* 7.

26. Nec cogere haeredes, ut celebrari curent Missas pro defuncto a singulis Sacerdotibus Secularibus funus associantibus: *Ibid. dub.* 8.

27. Licitum non est Parocho S. Jo. Baptistae instar supplicationis ingredi intus Ecclesiam Monasterii S. Rosae S. Mariae de Grado Ordinis S. Dominici terrae Conchae: *Amalphitana Fun.* 14. *Jun.* 1704. *dub.* 2.

28. Administratores, vel patroni Hospitalis oppidi nuncupati *dell' Arciffe* exemptionem a jure parochiali audito, et consentiente Parocho, et Capitulo Ecclesiae Cathedralis ab Episcopo obtinuerunt. Modo exoptant hanc exemptionem a S. C. confirmari, quae censuit validam non esse, sed opportet supplicari Sanctissimo pro concessione privilegii exemptivi a jurisdictione Parochiali: *Olinden.* 14. *Martii* 1705.

29. Ad Parochum S. Eligii spectare S. C. resolvit domos benedicere in Sabbato Sancto, ac cetera jura parochialia exercere intra porticus S. Jo. Ecclesiae ad mare nuncupatae, intra dictam Paroeciam sitae, licet ad Religionem Hierosolymitanam pertinentis, cujus Vicarius intra porticus jura eadem gerere contendebat: *Neapolitana Jur. Par.* 12. *Apr.* 1710. *confirm.* 14. *Martii* 1711.

30. Supplicantibus Populo, et Hominibus Locorum Villae, et Soleii nuncupatorum degentibus sub Ecclesia Parochialis S. Georgii, quatenus facultatatis modernus Parochus dictae Ecclesiae, ac successores participes fierent peragendi Expositionem Venerabilis, et supplicationem qualibet Dominica tertia cujuslibet mensis ad removendas dissentiones inter eos, et populum Lesiae, ubi Ecclesia S. Martini Parochialis tamquam matrix subjectionem exigit; S. C. rescripsit, dilata, non retardata interim executione decretorum Ordinarii: *Novarien. Exp. Ven. et Proc.* 10. *Maii* 1710.

31. Curatus Ecclesiae S. Martini Oppidi Lesiae tanquam Matricis intendit habere subjectam et filialem Ecclesiam S. Georgii, cujus quidam Cu-

atus viceversa contendit suam Ecclesiam esse separatam, et independenem a dicta Ecclesia S. Martini; et udicium fuit S. C. de separatione ditarum Ecclesiarum non constare: *Novarien. Juris Paroc.* 30. *Aug.* 1710.

32. Non licet Parochis Urbis Lauae in comitatu Cadaverum ingredi ;cclesiam PP. Carmelitarum Discaleatorum cum Stola, et Cruce elevaa, et intra Ecclesiam dare ultimum ale; sed eisdem Parochis fas est dae ultimum vale extra Ecclesiam, eam, t supra, non ingredientibus. Nam atres desuper speciale Indultum Innoentii XI. exhibebant: *Lauden. Funer.* . *Maii* 1711. *dub.* 1. (20).

33. Stante exemptione a jurisdictioe, et visitatione Episcopi Ecclesiae S. lariae de Lacu pertinentis ad Monahos Camaldulenses Monasterii S. Maiae de Urano, Parochus S. Christohori in Bassano non potest in eadem ;cclesia, ac domo adnexa actus; ac inctiones parochiales exceptis Manonibus Colonis inservientibus, exerere: *Brictonorien. Exemp.*, *et Eemos.* 12. *Decem.* 1711. *dub.* 2.

34. Parocho Ecclesiae Rezzonici in ratorio publico S. Johannis Baptistae ı Terra Mastennae de Fratrum de rincanis jurepatronatus sito functiones ırochiales absque arbitrio patronorum ıque invitis explere non licet: *Comen. ır. Paroch.* 9. *Junii* 1714. *dub.* 2.

35. Ob controversiam inter Jo. Bapıstam Sagnanum Rectorem Ecclesiae ırochialis Casalis Zebbug, et servienes, sive Custodes Ecclesiarum B. M. ısumptae, ac S. Rocchi factam S. C. ıc decretum edidit; electionem nem, ac deputationem Assistentium pro acono, et Subdiacono in Missis, et speris solemnibus, quae in Ecclesiis B. M. V. Assumptae, et S. Rocchi sitis intra limites Casalis Zebbug celebrantur, ad dictum Parochum, non ad Servientes, seu Custodes dictarum Ecclesiarum spectare: *Melevitana Jur. Paroch.* 23. *Febr.* 1715. Deinde recessit a decisis, et ad Servientes spectare resolvit: 22. *Junii ejusd. anni*. Denique placuit S. C. respondere ad patronos spectare: 20. *Sept. ejusd. anni*.

36. In Venerabili Ecclesia, sive loco Pio S. Joseph intra limites Parochialis S. Silvestri existenti non potest illius Capellanus Rector nuncupatus, sive alius Sacerdos benevisus Priori, celebrare per annum Missas Solemnes tam pro vivis, quam pro defunctis; sed privative ad Parochum S. Silvestri hoc spectare; atque etiam Synodalem Constitutionem servari, mandatur: *Mediolanen. Jur. Paroch.* 24. *Aug.* 1715. *dub.* 1.

37. Et idem Capellanus licet adprobatus ab Ordinario potest in eadem Ecclesia administrare Sacramentum Eucharistiae absque expressa licentia Parochi, excepto tempore Paschali; et quoad Sacramentum Poenitentiae arbitrio Ordinarii: *Ibid. dub.* 2.

38. Et dubii: An dictus Capellanus possit in Novena ante Festum S. Josephi, et die Mercurii cujuslibet Hebdomadae Sacramentum Eucharistiae exponere, populoque adstanti benedictionem impertiri absque Parochi praedicti licentia? resolutio arbitrio Episcopi remittitur: *Ibid. dub.* 3.

39. Pariter dubium; an per Parochum S. Silvestri possint impediri alii Parochi, ne celebrent funus suae Incolarum Paroeciae, eligentium Sepulcrum in Ecclesia S. Josephi? non definitur modo ut Parochi audiantur: *Ibid. dub.* 4.

(20) *Vide not.* 185. *tom.* 3. *pag.* 235.

40. Ac potest Capellanus praedictus cum Ordinarii licentia, sive Parochorum, cui subsunt sponsi, in matrimonium illos conjungere; illisque benedictionem impertiri: *Ibid. dub.* 5.

41. In Congregatione diei 22. Junii 1686. Parochus Villae Lapidiae exposuit, quod priscis temporibus animarum cura exercebatur in Ecclesia S. Michaelis Archangeli; eadem vero collapsa ceperunt functiones Parochiales in Oratorio, seu Ecclesia Societatis S. Bernardini exequi. Quum autem Ecclesia S. Michaelis ob populi concursum erga Iconem B.M.V. eleganter fuisset instaurata; hinc idem Parochus exercendi jus habere asserit animarum curam in illa Ecclesia, ac Oblationes ministrandi. Sed re a S. C. perpensa, id jus ei competere, nec non domum contiguam incolendi, ac illius commoditate fruendi S. C. resolvit, respondituque quoad oblationes; ut dentur Decreta (21). Deinde fuerunt confirmatae dictae declarationes, ac prohibita fuit observantia Concordiae inter modernum Parochum, et Parochiae incolas initae; addendo, et quatenus adsit necessitas, injungendum esse Episcopo, ut desuper provideat prout de jure: 12. *Martii* 1695. Postmodum circa oblationes enunciatas quum decreta danda non in terminis rem declarent, S. C. censuit spectare earum administrationem ad Parochum cumulative cum Sanctesiis: 16. *April.* 1695. Modo eadem S. C. recedit a decisis sub diebus 22. Junii 1686. ac 12. Martii 1695., ac stetit in decisis quoad resolutionem diei 16. Apr. 1695. *Spoletana Par.* 16. *Novem.* 1715. *dub.* 1. *et* 4.

42. Quum populares oppidi Castelletti fundos nuncupatos *Li Gasperi, e Pietri Martiri* in emphyteusim conduxissent, ibique etiam domuculas pro eorum habitatione aedificassent, impendit quaestio inter Parochum dicti Castelletti Dioecesis Papiensis, et Parochum Castri Domustismae Dioecesis Placentiae de dictarum domorum situatione, ac de jurium parochialium exercitio. Litem S. C. enunclavit decidendo exercitium jurium parochialium respectu domorum, et habitantium fundorum enunciatorum ad Parochum Domustismae spectare. Nam in districtu territoriali ejus Paroeciae siti sunt: *Placentina, seu Papien. Jur. Par.* 5. *Junii* 1717. *Confirmat.* 31. *Julii ejusd. anni*.

43. Censuit S. C. Rectorem Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Matthaei Sarni in casu non obedientiae Canonicos multare posse: *Sarnen. Jur. Patr.* 15. *Januar.* 1718. *dub.* 8. *confir.* 25. *Januar.* 1721.

44. Parochus Ecclesiae Parochialis S. Petri Loci Pogni potest impedire, nisi licentia accedat Episcopi, celebrationem Missarum solemnium in Oratorio Societatis Orationis, et Mortis loci Praedarii peragendarum; sive pro vivis, sive pro defunctis etiam post Missam parochialem: *Novarien. Aggr.* 24. *Sept.* 1718. *dub.* 4.

45. Dictusque Parochus se in administratione oblationum, vel eleemosynarum, quae in dicto Oratorio Societatis colliguntur, immiscere, ac capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere nequit: *Ibid. dub.* 7. confirmat.; et additum, nisi aliter a Card. Episcopo demandetur: 13. *Januar.* 1720.

46. Neque idem Parochus potest se implicare in distributione subsidii dotalis, quod annuatim a Sodalitio praedicto traditur: *Ibid. dub.* 8.

(21) Et signate *in Fulginaten.* 6. *April.* 1647. *Vide* §. *VI. seq. n.* 4.

47. Die 30. Maii 1699. Parochos, et Vicarios Abbatiales Ecclesiae S. Laurentii in Dogliolo publicae venerationi exponere Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, ac indulgentias, et Jubilaea publicare, Episcopo inconsulto, minime licere S. C. decidit, et die 4. Febr. 1702. eadem S. C. recessit a decisis, exceptis iis, quae spectant ad curam animarum, expositionem Sanctissimi, et publicationem Indulgentiarum. Praefatum decretum esse servandum omnibus tertiis Dominicis cujuslibet mensis, et per totam octavam Sanctissimi Corporis Domini S. C. sancivit: *Nullius, seu S. Severini Juris*. 4. *Febr*. 1719. *dub*. 5. Deinde recessit a decisis quoad secundam partem: 17. *Junii ejusd. an.*

48. Parochi Ecclesiarum SS. Petri, Andreae, et Nicolai oppidi Novarum nequeunt in die Sabbati Sancti campanas ante signum Ecclesiae Collegiatae pulsare. Quum de hujus quadam superioritatis specie S. C. constare decrevisset: *Derthonen. Jur. Par.* 3. *Dec.* 1718. *dub.* 4. *confirmat.* 7. *Dec.* 1720. *dub.* 1.

49. Nec in feria sexta hebdomadae Sanctae possunt disco operire Crucem ante Ecclesiam Collegiatam: *Ibid. dub*, 5. *confirmat. ibid.*

50. Examen factum est, an, et quas functiones peragere possit Parochus Ecclesiae Avenalis in Ecclesia S. Angeli Cryptarum? S. C. voluit, ut hinc inde juxta instructionem probationes coadjuvarentur: *Auximana seu Camerinen. Jur.* 12. *Julii* 1721. *dub*. 3. Deinde concordia inter utrumque Episcopum Camerinensem, ac loci Paterni, aut Auximanum, inter quos de Ecclesiarum situatione controversia agitabatur, inita, S. C. eam approbavit: 5. *Decem.*, 1722.

51. Et postulatum ulterius est, an pro dictis functionibus peragendis requiratur licentia Episcopi Camerinensis, seu Parochi loci Paterni; easdem vices petitio passa est: *Ibid. dub*. 4.

52. Parocho S. Stephani competit jus exercendi jura parochialia in domo, et intra septa Commendae Sacri Ordinis Theutonici Urbis Viennensis, quoad inquilinos ejusdem domus; quoad vero familiares Commendatarii, subditos, vassallos, et Colonos Commendae rescripsit S. C. ut scriberetur Nuntio Apostolico, et Archiepiscopo juxta instructionem (22): *Viennen. Jur. Par.* 13. *Julii* 1725. *dub*. 1. Deinde censuit S. C. competere Capellano Commendae per Ordinarium approbando jus administrandi Sacramenta familiaribus tantum actu inservientibus intra septa domus Commendae, et sub obedientia Commendatarii viventibus juxta Bullam Gregorii VIII., et quoad reliquos negative, et scribatur eidem Nuntio juxta instructionem: 30. *Febr*. 1722.

53. Et idem Parochus non tenetur petere veniam a Commendatario pro tempore ad effectum ingrediendi dictam domum, et septa Commendae, ibique iisdem inquilinis alia jura parochialia excercendi: *Ibid. dub*. 2.

54. Dictusque Parochus, dum ingredi debet domum, ac septa Commendae occasione administrandi Sacramenta inquilinis ejusdem domus, introire debet cum majori pompa, quae in Urbe Viennensi fieri solet; jussitque S. C., ut scriberetur Nuntio Apostolico juxta instructionem (23): *Ibid*. 8. *Febr*. 1727. *dub*. 2.

55. Occasione delationis cadaverum sive Parochiae S. Crucis, intra cujus limites adest Monasterium Cappuccinarum, quod Ordinarii jurisdictioni

(22) *Vide not*. 6.

(23) *Vide not*. 7.

subest, et in quo ad Monialium confessiones excipiendas adest Sacerdos secularis; sive etiam aliarum Parochialium Urbis Novariae ad Ecclesiam exteriorem dictarum Monialium jus funerum cum Cruce, et stola pertinet ad Parochum S. Crucis privative ad Confessarium Monialium: *Novarien.* 23. *Aug.* 1727. *dub.* 1.

56. Et ad dubium, an possit Parochus praedictus in eadem Ecclesia, et in suffragium defunctorum, qui ibi tumulantur, explere anniversaria cum Officio, et Missam cum cantu, sive ex devotione haeredum, sive ex dispositione testatorum? S. C. rescripsit quoad anniversarium relictum a Pedrellio ab ipso Parocho peragi posse, quoad alia vero voluit, ut probationes coadjuvarentur: *Ibid. dub.* 2.

57. Idem Parochus S. Crucis in Sabbato Sancto benedicere potest cancellos, et januas Monasterii Monialium Cappuccinarum siti intra limites suae Parochiae, et jurisdictioni Ordinarii subjecti, prout etiam Hospitium Tertiariorum eidem adnexum: *Ibid. dub.* 3.

58. Minime vero valet in Ecclesia exteriori dictarum Monialium assistere Monasteriis, vel eorum denunciationes proclamare, aut benedictiones mulierum post partum, vel similes impertiri: *Ibid. dub.* 4.

59. Controversum etiam fuit, an eidem Parocho liceret exequias Tertiariorum degentium in eorum Hospitio praefato Monasterio adnexo peragere, qui tumulantur intra dictam Ecclesiam? et S. C. respondit ad mentem: *Ibid.*

60. Non ad fundatricem Capellae B. Johannae Principissae Portucalliae, seu ad personam ecclesiasticam ab ipsa deputandam, sed ad Parochum S. Faustini de Regoa una cum Œconomo ecclesiastico ab ipsomet Episcopo, et id casu vacationis Episcopatus a Metropolitano deputando, oblationum factarum, et faciendarum dictae Imagini administrationem spectare S. C. definiit: *Portucallien.* 11. *Januar.* 1727. *dub.* 3.

61. In praefata Capella Missas votivas privatas, aliasque ex particulari devotione, etiam per Sacerdotes dictam Capellam visitantes, non vero solemnes absque Parochi licentia celebrari posse statutum fuit: *Ibid. dub.* 4.

62. Sacerdotes sive seculares, sive Regulares ad celebrandas Missas votivas privatas a patrona Fundatrice, et successoribus in patronatu, independenter a dicto Parocho eligi posse sancitur: *Ibid. dub.* 5.

63. Parochus Ecclesiae S. Mamantis intra cujus limites propriam habet Ecclesiam, seu Oratorium sodalitium S. Mariae de Libertate invitari debet, ut praesideat tam Congregationibus faciendis, ac in urna nominum immissionibus, et extrationibus Priorum, et Officialium, quam in rationum redditione: *Bononien.* 15. *Maii* 1728. *dub.* 2.

64. Non autem idem Parochus debeat vocari, ut presideat Congregationibus peragendis causa distributionis dotis ab Angelo Michaele de Vabottis relictae, et cujuscumque in posterum relinquendae, necnon in his, quae ad temporalium rerum oeconomiam spectent: *Ibid. dub.* 3.

65. Dubio vero excusso, an idem Parochus invitari debeat quibuscumque Congregationibus circa spiritualia, ac Rituum versantibus? ut recurrat in casibus particularibus respondetur: *Ibid. dub.* 4.

66. Dictusque Parochus, cum ad Missam canendam, vel ad benedictionem impertiendam interveniat, jus sibi eligendi Diaconum, Subdiaconos, ceterosque Ministros non habet: *Ibid. dub.* 10.

67. Diebus festivis autem SS. Jaco-, et Annae, in quibus in Ecclesia ı Oratorio Societatis Imago B. M. de bertate exponitur cum Indulgentia enaria, Parochus impedire nequit, ibidem Sacramenta Poenitentiae et ıcharistiae administrentur, ac serva- constitutiones Synodales S. C. man- vit: *Ibid. dub.* 13.

68. Flagitatum fuit: an Parochi Ci- tatis Pisauri cogere possent haeredes functi ad exponendum funus juxta alitatem, et gradum personarum? sponsum jam fuerat, ad Episcopum, ıi auctoritate S. C. procedat prout jure: inde dubio reproducto con- matur decretum: *Pisauren. Quartae iner.* 15. *Maii* 1728. *dub.* 2. *confir- at.* 14. *Maii* 1729.

69. Licet Parochialis Ecclesia S. Ma- ıe de Fracta terrae Castelli, et al- ra Parochialis Ecclesia S. Johannis ıptistae terrae Carifii declarari Col- giatas, ac Dignitates Parochos obti- ere non valuerint; tamen instantibus sdem S. C. censuit tolerandum esse, dictarum Ecclesiarum Parochis, et esbyteris liceat ut sigillo cum inscri- ione *Collegium terrae Carifii*, *Col- gium terrae Castelli: Trivicana Col- gialit.* 1. *Sept.* 1731. *dub.* 4.

70. Parocho S. Antonii Castelli Mon- Barutii, in quo adest Ecclesia Ar- ipresbyteralis S. Mariae Magdalenae, ae majoritate gaudet, in supplica- ne tam intra, quam extra Ecclesiam gnum S. Crucis in die festo ejusdem Inventionis deferre licere sancitur: *Aquen. Praemin. et Jur. Paroch.* 8. *Martii* 1732. *dub.* 7.

71. Quaesitum exhinde est; num ei- dem Parocho, ac etiam aliis dicti Lo- ci Parochis die festo Sanctissimi Cor- poris Christi liceat supplicationem pe- ragere tam intra, quam extra suas re- spective Ecclesias cum Augustissimo Sacramento, illudque publicae adora- tioni in ea exponere? et responsum exiit, ut servaretur Decretum Episco- pi (24): *Ibid. dub.* 8.

72. Parocho Ecclesiae S. Laurentii terra Accumuli gerere omnia, et quae- cumque jura parochialia in publico O- ratorio B. Annuntiationis Villae Tini, intra limites dictae Paroeciae sito licet privative quoad Capellanum, seu Re- ctorem Beneficii in eodem Oratorio ere- cti; etiamsi Organtinus Rector potissi- mum exemptionis praerogativam obji- cebat, quod Oratorium illud in solo Ba- silicae Lateranensis aedificatum sit; sed Episcopus consuetudinem in favorem Parochi indicabat: *Asculana Jur.*, *et Funct. Paroch.* 29. *Aug.* 1733. *dub.* 1.

73. Dum Parochialem Ecclesiam S. Nicolai Clemens VIII. Pont Max. in Col- legiatam erexit, quatuor praeter unde- cim Canonicos et tres Dignitates fecit hebdomadarios Curatos, ut scilicet eas ob- tinentes quaecumque parochialia munia ab Episcopo per concursum examinati, et probati instituendi obirent. Controver- sia hinc inter hos, et Canonicos de ha- bituali Cura orta est. Episcopi decre-

(24) Postquam anno 1713. per sententiam ibunalis A C. adjudicatum fuerit Archipres- ero Ecclesiae S. Mariae Magdalenae jus pri- ivum indicendi, et convocandi omnes Pro- siones generales, et ad eas convenire de- e Parochos Ecclesiarum S. Antonii, et S. rtiani; anno 1724. hoc decretum edidit iscopus „ Sia lecito al Priore di S. Anto- nio di far la Processione del SS. l' ottava „ del Corpus Domini, e che con detta Pro- „ cessione possa arrivare circa alla metà del „ piano, che arriva al portone della Casa „ del Comune, ed a tal Processione vi debba „ intervenire tutto il Clero; ed essendo in- „ vitati l' Arciprete di S Maria Maddalena, „ ed il Rettore di S. Marziano, siano obbli- „ gati ad andarvi " *Eod. Caus.* 9. *Febr.* 1732. §. 4. *et* 5.

ta partes ambae postularunt. Ille itaque decrevit, ut quatuor Beneficiati hebdomadarii essent Curati, in quibus resideret jus parochiale privative quoad Capitulum, cui non competeret, neque actuale, neque habituale jus, et exercitium Curae in Ecclesia, neque in districtu Parochiae; utque eisdem hebdomadariis non impediretur, quominus se inscriberent Curatos proprios. Huic Decreto minime acquiescente Capitulo, de ejus validitate fuit disputatum; sed resolutio prodiit Decretum Episcopi validum esse: *Oriolen. Decret.* 23. *Januar.* 1734. *dub.* 2.

74. Et illud quoque Episcopi supra laudati Decretum, in quo statutum fuit, ut Curati possent in eorum Capellis, seu in aliis existentibus in Ecclesia Collegiata ac in Eremitoriis sitis intra limites Parochiae, celebrare Missas, ac alia Officia Parochialia tempore ipso, quo recitantur horae Canonicae, validum esse S. C. definivit: *Ibid. dub.* 3.

75. Nec non illud, in quo praecipiebatur, ut in locationibus redituum communium, venditionibus, et pignoribus, Curati, et Clerus concurrere debeant una cum Capitulo, tam in praeviis tractatibus, quam in ipsis contractibus, Episcopi Decretum esse validum determinavit: *Ibid. dub.* 4.

76. Ejusdem Episcopi Decretum, quo Capserius, et Collector redituum communium, et funerum exibere debent Curato hebdomadario particulam cujuscumque testamenti ad pias causas, ut disponere valeat mortuarium, mandabatur, esse servandum decisum est: *Ibid. dub.* 6.

77. Decretum pariter cujus vigore, quando defertur Sacrum Viaticum alicui Dignitati, seu Canonico per aliquam Dignitatem, seu Canonicum, Curatus hebdomarius assistat deferenti, qui in hujusmodi functione habeatur pro Curato, esse servandum S. C. statuit: *Ibid. dub.* 8.

78. Sed illud in suo robore manere haud debere Episcopi Decretum, quo demandatur, ut in congregationibus habendis de moralibus quaestionibus, si praesideat Regens, proximum ab eo locum occupet Curatus; reliquae vero sedes sint Communes tam Canonicis, quam Ecclesiasticis indiscriminatim, S. C. existimavit: *Ibid. dub.* 9.

79. Resolutum demum fuit, Episcopi saepefati Decretum, quo ille sanciebat, ut in actibus, et functionibus, in quibus per antecedentia Decreta cautum est praesidere debere Curatos, isti possent etiam imponere multam, quae tamen non excedat unum regale, valere debere sub lege, ut in usus pios multa erogetur; *Ead.* 5. *Junii ejusd. Anni dub.* 1.

80. Quum ambiguum fuisset; an, et quae jura praeminentiae spectant, et respective sint reservanda in favorem Ecclesiae Parochialis Vaccaritiae, ejusque Rectori a novo Rectore Villarum dismembratarum? S. C. respondit, in casu de quo agitur, praestandam esse quolibet anno libram cerae albae: *Dertonen. Dismemb.* 28. *Januar.* 1736. *dub.* 4.

81. Consultatione habita, an possint Parochi Ecclesiarum S. Catherinae, et S. Mariae Graecorum Terrae Caggiani extrahere fides, seu testimonia ex eorum libris parochialibus, sive dicta extractio competat soli Archipresbytero, qui illas esse Ecclesias filiales autumat? S. C. rescripsit, dilata, ut coadiuventur probationes hinc inde: *Satrianen. Jur. Paroch.* 17. *Novem.* 1736. *dub.* 7.

82. Parochus S. Mariae Ecclesiae loci Rapagnani non competit jus benedicendi populum cum Sanctissimo Sa-

ramento in Ecclesia, seu Oratorio Societatis nuncupatae *del Suffragio*, initis sodalibus; etiamsi Oratorium sium sit intra limites suae Parochiae: *Firmana. Jur. Paroch.* 2. *Junii* 1736. *dub.* 3.

83. Nec Parocho SS. Johannis, et Paulli ipsius Loci de consensu Parochi praedicti S. Mariae competit jus peragendi functiones in dicta Ecclesia, seu Oratorio: *Ibid. dub.* 4.

84. Parochi Terrae Suriani nequeunt peragere functiones tam parochiales, quam non parochiales, in Ecclesiis Confraternitatum Laicalium ipsius Terrae irrequisitis Officialibus, et Capellanis dictarum Ecclesiarum, *Hortana Jur. Paroch.* 5. *Julii* 1738. *dub.* 2. deinde instantibus Parochis, ut a proposito declinet S. C., distulit resolutionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem: 1. *Aug.* 1739.

85. Controversia facta est inter Fratres Ordinis Praedicatorum Conventus Civitatis Centucellarum, cui adnexa est Ecclesia Parochialis S. Mariae, ac inter sodales Societatis Orationis, et Mortis; hinc S. C. resolvit sodales dictae Societatis requisiti a Parocho Ecclesiae S. Mariae ad associandum aliquod cadaver; et abnuentes quum essent, Parochus invitare unum ex aliis sodalitiis valet: *Viterbien.* 16. *Dec.* 1741. *dub.* 4.

86. Exinde propositis hisce dubiis, nempe, an Parochus praedictae Ecclesiae possit subrogare Vice-Parochum in comitatu cadaverum tumulandorum, sive intra, sive extra Parochialem? et quatenus affirmative.

87. An ipso quomodolibet impedito faciendum sit funus supra dictis cadaveribus a Vice-Parocho cum solita emolumentorum partitione? servandam esse concordiam (25), et in casu interventus Vice-Parochi deberi solita emolumenta: *Ibid. dub.* 7. 8.

88. Parochum Receptitiae seu Consortialis Ecclesiae S. Jacobi terrae Laureae, quem Presbyteri de decimis participantes adjuvant, in casu curabilis, et temporalis suae infirmitatis, unum ex confessariis adprobatis absque licentia, et alia speciali adprobatione Episcopi in Vicarium temporarium constituere posse, resolutum fuit: *Policastren.* 14. *Martii* 1744. *dub.* 2. Reproducta causa deinde responsum exiit in decisis, dummodo eligatur unus de gremio participantium: 9. *Maii ejusd. an.*

89. Diruta Ecclesia S. Aegidii Capella eidem Sancto dicata in Ecclesia Parochialis S. Jacobi Majoris posita Religioni Hierosolymitanae tradita fuit, ut onera explerentur. Ex decreto S. C. Commendatori dictae Religionis absque Parochi arbitrio jurisdictio non competit, sed tantum facultas in ea omnes ecclesiasticas functiones Commendae incumbentes peragere curan-

(25) Concordia inita fuit anno 1703. qua inter caetera constabilitum fuit „ Che sia „ lecito alla predetta Confraternita della Mor„ te a tenore del privilegio concessole dall' „ Eminentissimo Sig. Card. S. Croce Vesco„ vo di Viterbo per suo Decreto, e Rescrit„ to fatto li 25. Maggio 1704. di seppellire „ tutti li Cadaveri di quelli, che si avran„ no eletta la Sepoltura in detta Chiesa, con „ che spetti al Parroco di fare l' esequie Fu„ nerali sopra il Cadavere, ma se invitato „ ricusasse di farlo sia lecito in tal caso al „ Capellano di essa Confraternita, e Chiesa „ della Morte di poterlo fare; nè possa il „ Parroco mandar altri in sua vece, purchè „ non fosse infermo o assente da Cività Vec„ chia, ed infra, che quando il Parroco non „ venisse personalmente a celebrare, possa „ farlo il Capellano di essa Chiesa della Mor„ te, alla quale spettino le suddette limosi„ ne senza che il Parroco abbia azione al„ cuna " *ibid. sub. die* 18. *Novem.* 1741. §. 1.

di, dummodo functiones parochiales non impediantur: *Placentina Jurisd.* 4. *Dec.* 1745. *dub.* 2.

90. Imo nec Parochus praeferendus est in celebratione dictarum Missarum, ac functionum. *Ibid.*

91. Placuit S. C. respondere, Parochum Ecclsiae S. Petri Fagnani se alteri Congregationi adscribere vel sese pro libito a cujuscumque Congregationis capite independentem statuere, non posse: *Faventina Praem. et Jur. Par.* 14. *Maii* 1746. *dub.* 3.

92. Dictumque Parochum, quem Plebanum haud esse S. C. firmaverat sacra olea a Cathedrali Ecclesia accepta, alicui ex Parochis Congregationis a nonnullis Parochialibus Ecclesiae Plebanae Ecclesiae S. Jo. Baptistae conterminis compositae, dispensare non posse, definitur: *Ibid. dub.* 8.

93. Neque in functione benedictionis fontis baptismalis, quae fit ipsamet die Sabbati Sancti assistentiam alicujus ex Parochis dictae Congregationis eumdem adscribere posse decernitur: *Ibid. dub.* 9.

94. Parocho oppidi Folli non licet Capellanum Curatum a terra Bastremoli ab ipso nominatum removere ad ejus arbitrium, et etiam absque causa ab Ordinario cognoscenda: *Lunen. Sarzanen. Jur. Am. Cap. Cur.* 2. *Sept.* 1747. *dub.* 1. *confirm.* 11. *Maii* 1748.

95. Ac dubium, an liceat eidem Parocho ad sui libitum expelere cunctas functiones parochiales in Ecclesia, et in dicto loco Bastremoli, ibique etiam ad sui libitum residere? S. C. non resolvit, sed ut scribatur Episcopo juxta instructionem (26), mandavit: *Ibid. dub.* 2. Deinde affirmativum quoad 1. partem, reservatis emolumentis Capellano Curato, et negativum ad 2. dedit responsum: *Ibid.*

96. Ad Parochum S. Petri oppidi Frusinonis, qui cum Archipresbytero Ecclesiae S. Mariae transegerat, quod Archipresbyter ipse in subalternis extra oppidi Ecclesiis jurisdictione potiretur pluribus illi praerogativis adjunctis, functiones parochiales in Ecclesiis, et locis extra moenia, et in parte territorii, quod in districtu suae Paroeciae S. Petri jacet, spectare: *Triventina Jur. Par.* 27. *Martii* 1751. *dub.* 2. *confirmat.* 8. *Maii ejusd. an.*

97. Rector Ecclesiae Parochialis S. Mariae de Longobardis terrae Forentiae in propria Ecclesia denunciationes matrimoniorum absque Archipresbyteri S. Nicolai licentia emittere potest: *Venusina* 22. *Martii* 1751. *dub.* 4.

98. Inter Fratres Schiavi, et Parochum Ecclesiae S. Hilarii Placentiae multae, et magnae contentiones fuerunt, ex quibus, ut Episcopus testatur, inimicitiae, contumeliae, maledicta gignuntur, ob id postulatur exemptio a proprio Parocho, itaut illi Parocho viciniori subjicerentur. Perpenso hinc dubio, an locus esset provisioni pro dicta exemptione? respondit ad mentem (27): *Placentina Exemp.* 10. *Julii* 1751. Nil praetermisit Episcopus, ut animi dissidentium mutuo reconciliarentur, sed frustra obsistentibus semper Schiavi, qui detrimentum sibi obventurum patefecerunt; et reproducto dubio negative dictum fuit. 9. *Sept.* 1752.

99. Parochi rurales Villarum Aspeluncae, et Collis, qui habent Parochiam, et populum distinctum ab Ar-

(26) *Vide not.* 353. *tom.* 2. *pag* 312.

(27) Mens autem fuit, ut Episcopus omnem „ operam suam collocaret, ut Praepositus, et „ Fratres Schiavi redirent in gratiam: si id „ obtineri non posset, curarent Fratres Schia„ vi habitationis mutationem " *Ead. caus.* 9. *Sept.* 1752. §. *unic.*

quata valent supplicationes ducere in propriam cujusque Parochiam tam die festivitatis Sanctissimi Corporis Christi, quam diebus S. Marci, et Rogationum; itaut a Parocho Arquatae prohiberi nequeant: *Asculana Proc.* 3. *Febr.* 1753. *dub.* 1.

100. Durante reaedificatione Ecclesiae Parochialis Divo Zenoni dedicatae licet Parocho Malatesta functiones Parochiales explere in Oratorio S. Josephi existente intra limites Parochiae, et quoniam sodales praedicti Oratorii reaedificationi contradixerunt, Parochumque recipere noluerunt metuentes ne inspecta Parochi inopia Ecclesia reaedificaretur, adeoque amplius ab eorum Oratorio non discederet; S. C. ita sanciendo addidit ad mentem (28): *Caesenaten. Reaed. Eccl. Par.* 7. *Apr.* 1753. *dub.* 2. Quum mens Parocho non placuisset, causa iterum fuit examinata et confirmata decisio: 21. *Julii ejusd. anni*.

101. Parochus Civitatis Melaucenae Congregationibus Hospitalis denominatis *Le Bourreau* intervenire potest, quoties Episcopus Vasionensis id illi permittere velit: et cum interveniat, primum locum inter Rectores occupandi, et suffragium ferendi jus illum habere declaratur: *Vasionen. Jurisd.* 11. *Aug.* 1753. *dub.* 6.

102. Parochi Regulares, etiamsi sint Abbates cujusque Ordinis praesertim Praemonstratensis, Cisterciensis, et Benedictini non possunt a Superioribus Regularibus ad curam animarum personarum secularium, et non commensalium in Parochiis in Dioecesi Olomucensi licet illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae, sive sint de jurepatronatus, delegari, illamque absque adprobatione Episcopi exercere: *Olomucen. Jur.* 7. *Junii* 1755. *dub.* 3.

(28) *Vide not.* 87. *tom.* 3. *pag.* 156.

confirmat. 2. *Aug. ejusd. anni.*

103. Ecclesiae Parochialis S. Mariae in Coelum Assumptae Villae de Lliminiana servitium praestant Rector, et quatuor Beneficiati, qui vocantur Residentes. Hos inter controversia tam in spiritualibus, quam in temporalibus de Ecclesiae regimine orta est. Ex antiqua consuetudine sibi privative regimen competere Rector praetendebat. Ad S. C. delata quaestione, haec resolvit gubernium, et regimen ejusdem Ecclesiae ad Rectorem quoad spiritualia independenter a Sacerdotibus Beneficiatis, privative pertinere; quo vero ad temporalia juxta modum praescribendum: *Urgellen.* 12. *Martii* 1757: *dub.* 2.

104. Ad eumdem Rectorem jus retinendi claves Ecclesiae Sacrarii, et Archivi, pertinere, statutum est: *Ibid. d.* 3.

105. Ad eumdem etiam Rectorem jus retinendi Librum, in quo describuntur Missae, Anniversaria, aliaque opera pia in eadem Ecclesia fundata, spectare resolutum fuit: *Ibid. dub.* 4.

106. Non a praefatis Beneficiatis, sed a Rectore libellum, in quo Missae singulis diebus, aut hebdomadis celebrandae adnotantur, conficiendum esse, definitum fuit: *Ibid. dub.* 5.

107. Deinde dubio considerato, an horae pro celebratione Missarum solemnium, aliarumque Ecclesiasticarum functionum in supradicta Ecclesia a Rectore, vel a Beneficiatis essent determinandae? S. C. respondit juxta votum Episcopi: *Ibid. dub.* 6.

108. Ad praefatum Rectorem constitutionem dierum pro celebratione Missarum, vel Anniversariorum, quae ex aliquo impedimento statutis diebus celebrari nequeunt, spectare, responsum fuit: *Ibid. dub.* 7.

109. Tam a Rectore ipso, quam a Beneficiatis his Exactorem redituum, et proventuum Ecclesiae ejusdem eligen-

dum esse, fuit resolutum: *Ibid. d.* 8.

110. Et ad Rectorem hunc quoque pertinere jus recipiendi, et retinendi pecuniam in casu extinctionis alicujus census, dubitatum non fuit: *Ibid. d.* 9.

111. Non vero Rectori huic proprio libito de investimentis pecuniarum, novisque creationibus census disponere licere, sed exquirendum, et obsequendum esse votis singulorum Beneficiatorum in Capitulo ad hoc praecise convocando, S. ead. C. definivit: *Ibid. dub.* 10.

112. Ad saepefatum Rectorem jus convocandi Beneficiatos Presbyteros pro tractandis Ecclesiae negotiis attinere stabilitum fuit: *Ibid. dub.* 14.

113. Postulatum vero est, an horum Beneficiatorum, seu Presbyterorum convocatio fieri debeat ad sonitum tintinnabuli, aut per nuncium de ordine Rectoris? rescribitur, arbitrio Rectoris: *Ibid. dub.* 15.

114. Veniam pulsandi tintinnabula, quando opus fuerit a Rectore independenter a Residentibus esse concedendam S. C. eadem decernit: *Ibid. d.* 16.

115. Ad hunc quoque Rectorem constitutionem numeri Missarum qualibet die canendarum spectare putatum simul fuit: *Ibid. dub.* 17.

116. Petitum autem est, an designatio Sacerdotum, et Ministrorum pro Missis canendis spectaret ad praefatum Rectorem; seu esset procedendum per vices? S. C. placuit respondere, juxta Episcopi votum: *Ibid. dub.* 18.

117. Denique S. C. consulta, an designatio Presbyterorum, aliorumque Sacrorum Ministrorum pro celebratione Missarum solemnium, et aliorum divinorum Officiorum in hebdomada Sancta, et die Nativitatis Domini spectaret ad eumdem Rectorem; seu inservire debeant duo ultimi Beneficiati, alter ad Officium Diaconi, et alter Subdiaconi? responsum prodiit juxta votum Episcopi: *Ibid. dub.* 19.

118. Jus celebrandi exequias, ceterasque functiones funebres occasione tumulationis cadaverum in sepulcro erecto a Sacerdote Andrea Arrighi in sui suorumque consanguineorum, ac haeredum favorem in Ecclesia B. M. V. in Coelum Assumptae, et SS. Andreae, et Aloysii Gonsagae, ab ipso aedificata in terra Curtis Parocho ejusdem terrae competit: *Alerien. Sepul.* 17. *Januar.* 1756. *dub.* 5.

119. Parochi Congregationis Castri Granaroli, in quibus Congregationibus divisa est tota Dioecesis Faventina, debent praelative ad Sacerdotes simplices invitari ad festivitates, funera ac anniversaria, quae in Ecclesia Parochiali S. Jo. Evangelistae et in aliis Parochialibus Ecclesiis Congregationis celebrantur: *Faventina Jur. Par. et Praem.* 18. *Sept.* 1756. *dub.* 1.

120. Parochis Glageoli, et Linarii quoad Archipresbyterum Ecclesiae Rivaschi, et Plebanum S. Romani cumulative licet ducere supplicationem Sanctissimi Corporis Christi die ejusdem solemnitatis, non ad secundos privative pertinet: *Sarsinaten. Proc.* 14. *Januar.* 1758.

121. Cum Benedictus XIV. Pont. Max. Ecclesiam Collegiatam SS. Mariae, et Hilarii terrae Lugi suppresisset, idem Pontifex hanc alteri Collegiatae, et Parochiali Matri S. Jacobi, nunc SS. Petroni, et Prosperi univit, et in statu, quo tunc reperiebatur, tradidit, at quaestionem excitavit Parochus filialis S. Francisci de Paula olim SS. Mariae, et Hilarii, ac occasionem praebuit S. C. decidendi praedictum nempe Curatum S. Francisci Capitulares Ecclesiae Collegiatae SS. Petroni, et Prosperi olim S. Jacobi impedire non posse, ne accedant ad ejus Ecclesiam pro implendis legatis, et officiis a benefactorum relictis, praeter-

quam in legatis Missarum Essani, et Zannelli, qui in ejus Ecclesia mandarunt onera persolvi firmatum est. *Imolen. Jur. Par.* 20. *Dec.* 1760.

122. Deinde ad postulatum, num vascula, tum argentea, tum stamnea, quae detinebantur in Baptisterio praefatae Ecclesiae S. Mariae jam amota, et ad Collegiatam translata, et quibus ejus Parochi utebantur pro conservatione Sacrorum Oleorum Chismatis, et Cathecumenorum sint consignanda sibi? non esse consignanda responsum prodiit: *Ibid. dub.* 19.

123. Putant Canonici praedictae Collegiatae S. Jacobi terrae Lugi, quod stante unione, et juribus translatis, facultatem sibi inter haec jura connumerandam competere interesse anniversariis officiis, quae fiunt in Ecclesia PP. Min. Conv. Curatus autem S. Francisci de Paula hoc sibi licere contendit ex pia dispositione de Magnapanis, a quo invitantur quatuor Sacerdotes S. Hilarii, et quatuor S. Dominici, quatuorque Presbyteri S. Jacobi, et quatuor Presbyteri S. Mariae de Lugo. Proposito dubio ad S. C., definitum est spectare ad Collegiatam jus transmittendi octo ex suis Presbyteris ad officia, de quibus agitur in Ecclesia PP. Conventualium: *Ibid. d.* 2.

124. Quaesitum vero quum esset, an idem Curatus praesente Clero adscripto servitio Collegiatae cum cruce Capitulari possit elevare crucem separatam, et cum Presbyteris commorantibus in ejus Parochia incedere? responsum fuit, ut detur novum dubium juxta mentem: *Ibid. dub.* 13.

125. Neque etiam horologium, et Agnosterium pariter ad Collegiatam translata esse eidem Parocho tradenda, S. C. edixit: *Ibid. dub.* 20.

126. Examinatum quoque fuit, an reconditorium cum sacris paramentis, quae pro Missis quotidie a capitularibus celebrandis in Ecclesia olim S. Mariae retinebantur, sit quoque eidem Parocho consignandum? responsum prodiit; dilata, et ad D. Secretarium juxta mentem: *Ibid. dub.* 21.

127. Ad Parochum vero S. Francisci de Paula jus accedendi ad Congregationes B. Mariae, S. Rocchi, et Montis Pietatis non vero ad Capitulum supradictum SS. Petronii, et Prosperi spectare decisum est; licet novae Parochiae antiqua jura adempta fuerint, sed hoc jus in Synodalibus Constitutionibus praescribitur: *Ibid. dub.* 23.

128. In Villa de Saria usque ab anno 1694. die Dominica infra octavam festivitatis Corporis Christi, postquam Parochus Missam celebravit, Sanctissimum Sacramentum in publica supplicatione deferendum tradere consuevit uni ex Patribus Min. Cappuccinis, modernus Parochus voluit ipse Sanctissimum Sacramentum deferre, supplicationemque ducere, et S. C. hoc jus spectare ad eum edixit, exclusis PP. Cappuccinis, qui jus praedictum ex totius populi consensu acquisitum in promeritum servitii praestiti occasione luis grassantis asserebant: *Barchinon. Process.* 3. *Aug.* 1765.

129. Parochi licentia opus non est, adhoc ut Patres familias Civitatis Reatis cadavera filiorum impuberum tumulare faciant in sepulcris gentilitiis; etsi in Rituali Romano cautum sit, ut Parochi retineant separatum tumulum pro infantibus, cum ex hoc sublatum non sit Patribus familias hujusmodi jus: *Reatina Jur. Tum.* 31. *Martii* 1770. *d.* 1.

130. Parocho S. Jacobi de Pinna habet jus peragendi funebres functiones in Ecclesia Societatis Ordinis Tertii S. Antonii Patavini, quando cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Parochia, et S. C. addidit, ut servarentur Synodales Constitutiones: *Faventina Func.* 17. *Julii* 1773. *dub.* 5.

confirmat. 14. *Mar.* 1778. *dub.* 1.

131. In oppido Montis Milonis geminae sunt Parochiae, earum autem divisio non per regiones, sed per familias ab antiquissimo tempore facta fuit, itaut quilibet, vel oppidanus, vel advena jus sibi eligendi Parochiam habeat; et quum Ecclesia S. Blasii sit Collegiata, et veluti Matrix quaesitum fuit, num alterius S. Andrea Ecclesiae Parochus adscribere posset in sua Parochia familias exteras, et adventitias, et affirmativum prodiit responsum: *Maceraten. Jur. Par.* 14. *Martii* 1778. *d.* 1.

132. Episcopus Burgi S. Domnini Sacra Limina visitans, Romanum Pontificem omnium Ecclesiarum curam gerentem orat pro dubii explanatione, an liceret Minoribus Cappuccinis suae Dioeceseos puerperas admittere ad purificationem, seu jus potius sit Parochiale. Ex Synodalibus Ecclesiae suae aliarumque Ecclesiarum statutis secunda esset capienda pars. Attamen lex non adest expressa, quae facultatem admittendi puerperas ad purificationem uni tribuat Parocho, vel Regularibus etiam indulgeat. Doctores hinc inde scinduntur. Oraculum ab amplissimo ordine retulit praefatis Minoribus Cappuccinis non licere puerperas ad purificandum admittere: *Burgi S. Domnini Visit. SS. LL.* 26. *Apr.* 1788.

133. Parocho S. Sabini permittuntur parochiales functiones in filiali Ecclesia S. Georgii terrae Piti tertia cujusque mensis Dominica juxta Decretum Episcopi 13. Julii 1791., quod antiquam renovat observantiam, et hoc decretum exequi mandat S. C. ampliata tamen per Pitenses ipsorum Ecclesia: *Asculana* 18. *Apr.* 1795.

134. Sub Parochiali S. Stephani in Castro S. Angeli duae sunt Ecclesiae, una S. Spiritus, altera S. Sebastiani, in quibus binae sunt erectae Societates Laicorum. Ex his Societas Misericordiae, seu Mortis erecta in Ecclesia S. Sebastiani aggregata est Archiconfraternitati Mortis Urbis. Dissidia ob id impenderunt quoad functiones Ecclesiasticas. Quaestio a S. C. fuit examinata, quae declaravit Parocho S. Stephani competere jus privativum exponendi SS. Sacramentum in propria Ecclesia, itaut iisdem diebus exponi non posse in aliis Ecclesiis juxta votum Episcopi qui ita censebat. Consuetudo vero, quam ea in sui favorem exhibet, precarium habet titulum: *Spoletana Func. Ecl.* 12. *Martii* 1796. *d.* 1.

135. Et dubio perpenso, an, et quas functiones explere valeat Parochus S. Stephani in Ecclesia S. Sebastiani? affirmative respondit, praeter functiones proprias Sodalitii: *Ibid. dub.* 3.

136. Ecclesia ruralis S. Antimi in beneficium simplex erecta est, et unitum Seminario, quod postea possessionem Ecclesiae, domus, et bonorum adeptum esse, et in Ecclesia Sacras explevit functiones. At Petrus Camagli Archipresbyter Ecclesiae S. Blasii Castri Majoli, intra cujus Paroeciae fines sitam esse Ecclesiam asserit, recursum habuit ad S. C., quia ipse claves Ecclesiae retinebat, et Sacras functiones exercebat post unionem Seminario beneficii, et ei jura parochialia Seminarii Rector reservavit. S. C. licere Parocho praedicto peragere in dicta Ecclesia functiones parochiales tantum traditis clavibus a Custode sumptibus Seminarii retinendo, rescripsit: *Feretrana* 9. *Julii* 1796. *dub.* 2.

§. V.

Parochus quoad Missae pro populo tum Celebrationem, tum Applicationem (29).

1. Censuit S. C. Parochos, quibus

(29) Cum in pluribus extra Italiam Dioecesibus Christianus populus iis diebus festis,

diebus tenentur Missas in Parochia celebrare eleemosynam manualem recipere non posse: *Civitatis Castellanae* 26. *Aug.* 1628. *dub.* 1.

2. Non possunt Parochi novam eleemosynam recipere illis diebus, quibus tenentur Missam celebrare: *Aretina* 28. *Apr.* 1629. *dub.* 4.

3. Orator tenetur quolibet festo in Ecclesia Parochiali celebrare cum applicatione Sacrificium pro populo, etiamsi Ecclesia habeat tantum reditus incertos: *Hydruntina* 13. *Febr.* 1639.

4. Declaravit S. C. Episcopo instante ad dubium, an Parochi in diebus festis teneantur applicare Sacrificium pro populo? dandam esse declarationem in Civitatis Castellanae 8. Aug. 1648 (30): *Clusina Celebr.* 12. *Julii* 1670.

5. In sua Synodo Episcopus inter cetera anno 1681. sancivit, Sacrificium Missae pro populo applicandum esse Parochi sciant singulis Dominicis, et festis diebus juxta praescriptum decreti a S. C. Concilii emanati pro hac Dioecesi sub die 10. Maii 1681. At cum hoc decretum observari exoptat, S. C. efflagitat, quae non observantibus dictum Synodale decretum posse imponi poenam suspensionis ipso jure arbitrio Card. Episcopi declaravit: *Lucana* 18. *Decem.* 1688.

6. In dubium adductum est, an Parochus Missam celebrare teneatur, et sacrificium applicare pro Parochiae incolis in diebus Dominicis, et festivis, sive habeat congruam, sive non? rescribitur teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere: *Dubium Appl. Sacr.* 10. *Maii* 1692.

7. Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, saepe alias hac de re S. C. censuit Parochos teneri pro Parochiae incolis Sacrificium applicare, et signanter in Dubium Appl. Sacr. 10. Maii 1692. (31): *Nullius Nonantulae* 30. *Aug.* 1698.

8. Proposito dubio, an Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro populo, sive habeant congruam, sive non? dandas esse resolutiones in Nullius Nonantulana 30. Aug. 1698. (32), et in Dubium Appl. 10. Maii 1692. (33): *Pistorien. et Praten.* 14. *Febr.* 1699. (34).

9. Parochum una cum Beneficiatis Loci de Echalar ratione Missae, quam pro populo celebrare, et applicare tenentur quotidie recipere non valere stipendium, illamque applicare pro defunctis, aliisque satisfaciendis oneribus, censuit S. C. addiditque, ut dentur Decreta (35): *Pampilonen. Miss.* 18. *Novem.* 1702. *confirmat.* quoad Paro-

quibus ipsi exercere servilia onera fas erat, manente tamen praecepto de Missa audienda, solutus etiam hoc onere Apostolica Indulgentia fuerit, orta quaestio est; *tenerentur ne Parochi illis diebus missam, ut antea, pro ovibus sibi creditis applicare?* et quaestione a S. C. de Propaganda Fide mature expensa, responsum fuit Missionariis, qui hanc quaestionem proposuerunt, *teneri.* Nec S. C. Concilii discrepans sententia est. Nam Pontifices, qui Christianam plebem onere audiendi Sacrum illis diebus liberarunt, non propterea Parochos hoc onere rem divinam pro populo iisdem diebus faciendi eximerunt, neque enim onus Parochi Sacrificium pro plebe sibi credita offerendi ex hoc oritur, quod plebi onus Missae audiendi incumbat, adeo ut hoc sublato illud quoque tollatur.

(30) *Vide Verb. Archipresbyter §. VI. num.* 1. *pag.* 170. *tom* 1.

(31) *Vide §. praesenti n.* 6.

(32) *Vide §. praesenti num.* 7.

(33) *Vide §. praesenti num.* 6.

(34) Hanc resolutionem confirmat Innocentius XII. *Const. Nuper* 24. *April.* 1699., quum Episcopus Pistoriensis, et Pratensis Apostolica auctoritate communiri exoptaverit, ut firmius subsisteret.

(35) Et signate in causa *Civitatis Castellanae* 8. *Aug.* 1648. *et in dubium Appl. Sacr.* 10. *Maii* 1692. *Vide Tom.* 1. *pag.* 170. *num.* 1. *§. praesenti num.* 6.

chum in diebus Dominicis, et Festis: 31. *Maii* 1704.

10. Parochi Ecclesiarum Cathedralium, seu Collegiatarum, qui sunt primae Dignitates, vel membra earumdem, non excusantur ab applicatione Sacrificii diebus Dominicis, et Festis per Missam Conventualem, quae in Choro quotidie canitur, sed praeter praedictam Conventualem tenentur celebrare, et applicare supradictis diebus pro Paroeciae incolis: *Viterbien. Dubia Missae Paroch., et Conv.* 31. *Martii* 1708. *dub*. 1.

11. Et quando per vices ad supradictos Parochos spectat canere Missam Conventualem diebus Dominicis, et Festis, iidem tenentur celebrari curare pro Parochiae incolis aliam Missam propriis sumptibus: *Ibid. dub*. 2.

12. Ad instantiam Episcopi Forosemproniensis S. C. definiit Parochos de quibus agitur, non habentes congruam applicare Missam pro populo saltem diebus festivis teneri, itaut cogendos esse, et insuper dari decreta, alias edita, et signate in *Civitatis Castellanae* 8. *Aug*. 1648. (36) mandavit: *Foro-sempronien. Missae Paroch*. 8. *Febr*. 1716. *dub*. 1.

13. Atque Parochos de quibus pariter agitur, habentes pingues reditus onus non habere quotidie applicandi Missam pro populo: *Ibid. dub*. 2.

14. Parochus Civitatis Ostiensis singulis diebus festis de praecepto Missam Parochialem applicat pro populo; Parochus Porciliani diebus tantum Dominicis: Parochi vero Porciliani, et Decimae nunquam pro populo, sed duodecim Missas quolibet Mense pro Baronibus locorum, a quibus menstruales pensiones recipiunt, applicant, neuter enim ex dictis quatuor Parochis a populo quidquam percipit; Card. Ordinarius igitur anxio animo est, an tenerentur applicare pro populo diebus Dominicis, et Festis de praecepto, et S. C. ipsos teneri respondit, et addidit ad mentem (37): *Ostien*. 29. *Januar*. 1724.

15. Parochi Ecclesiarum S. Nicolai, et S. Andreae Apostoli onere in diebus festivis celebrationis Missae Matutinae, et ejus applicationis pro populo, non autem Presbyteri participantes dictarum Ecclesiarum per alternas vices premuntur: *Caputaquen*. 14. *Maii* 1729. *dub*. 4.

16. Parochi Cathedralis Ecclesiae, qui et Commensales vocantur, habent actualem animarum curam, habitualis vero residet penes Capitulum. Existunt Capitularia decreta, quibus praecipiebatur Parochis eos teneri singulis diebus sacrum pro populo applicare, idque cum cantu, pro ut etiam praescriptum fuerat in Decreto lato a Vicario Generali anno 1656. innixo suppositis legibus fundationis, S. C. requisita de hac re applicandam esse quotidie sine cantu inspectis peculiaribus circumstantiis stabilivit: *Derthusen. Applicat. Missae pro populo* 7. *Aug*. 1756. *confirmat*. 21. *Maii* 1757.

17. In terra Porculae adest Parochialis Ecclesia S. Luciae. Cura autem animarum per quatuor Rectores exercetur, qui peculiaribus Ecclesiis praesunt, quique in provisionibus Curati Portionarii nuncupantur. Hi ob tenuitatem etiam redituum postularunt, ut ipsis liceret Missam pro populo diebus Dominicis, et Festis non singulis, sed alternatim applicare; sed quum jam populum separatum haberent, Paro-

(36) *Vide tom*. 1. *pag*. 170. *num*. 1.

(37) Mens fuit, ut Parochi *liberam* haberent applicationem tot aliarum Missarum ex illis, quas celebrant, et applicant pro Baronibus, dummodo Barones non teneantur ad earum celebrationem, et applicationem ex aliqua fundatione, aut Legato Pio: *Ead. caus*. 29. *Januar*. 1724.

chiamque finibus distinctam juxta divisionem ab Episcopo expletam, et jam ipsimet Rectores onus praefatum coram Episcopo fassi fuisset, decretum est singulos teneri ad applicationem: *Montis Alti Appl. Miss.* 27. *Aug.* 1763.

18. Clerus Oconiensis statuit, ut quilibet Beneficiatus, cui in Territorio cura animarum incumbit, Missas pro populo tres hebdomadales celebrare debeat. Hanc gravem ordinationem, ut nimis gravem ob inopiam redituum, sentientes Beneficiati, supplicarunt pro reductione applicationis ad solos dies festos, et Dominicos, et S. C. distulit resolutionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem: *Calaguritana Appl. Missae pro pop.* 16. *Januar.* 1768. Deinde reductionem applicationis praedictae indulsit S. C. applicatis duabus Missis quotidianis in Ecclesia Ochonii, necnon una quotidiana in Pago Corerii, ac gratiam impertivit pariter reductionis ad unam pro diebus festivis, et Dominicis in quolibet ex ceteris Pagis, collatis tamen suffragiis in unum pro toto populo, facto verbo cum Sanctissimo, et detracta eleemosyna pro omnibus Missis applicandis ex massa communi: 14. *Januar.* 1769.

19. Ab Episcopo Fesulano in relatione status suae Ecclesiae dubium super applicatione Missae pro populo propositum fuit, ac resolutum, quod Parochi in Dominicis, aliisque diebus festis praesente cadavere non celebrare tenentur Missam pro defuncto, nec ad aliam diem tranferre possunt Missam pro populo applicandam: *Fesulana Missae Paroch.* 26. *Januar.* 1771. *dub.* 1.

20. Nec applicationi Missae pro populo supplere possunt per alium Sacerdotem: *Ibidem. dum.* 2.

21. In oppido Maidae duae extant Parochiales Ecclesiae una scilicet sub titulo S. Mariae Catholicae, quae est et Matrix, altera sub invocatione S. Nicolai de Latinis, quibus jam aliae Parochiae unitae fuerant, et utrique Ecclesiae inserviunt alternis plures Parochi, qui aequis partibus de emolumentis fruuntur, excepto Archipresbytero S. Mariae, qui praeter quaedam legata pia, quibus gaudet una cum alio Sacerdote eidem Ecclesiae inserviente, hujusmodi Parochorum collegio praeest. Parochi praedicti quotidie pro populo applicare consueverunt unicam Missam. Ideo requisito Vicario Apostolico, an singuli tenerentur? S. C. hic consuluit, et responsum tulit, minime teneri singulos Parochos dictarum Ecclesiarum ad applicationem Missae pro populo, sed ipsos posse unam tantum Missam in unaquaque Ecclesia per vices applicare: *Neocastren. Missae pro pop.* 26. *Januar.* 1771. *dub.* 1.

22. Post Constitutionem vero Benedictinam, *Cum semper* (38) Missam praefatam ad dies festos tantum propria

(38) Quae incipit *Cum semper* 19. *Aug.* 1744. Bull. *ejusd. tom.* 1. *pag.* 163. *et* §. 6. decernit „ Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Missae Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.* 23. *cap.* 14. praecipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, et in Festis Solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent;* in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos, ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congr. Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare, et applicare debere; eum vero, qui uberioribus

auctoritate reduxerunt, et non fuit procul dubio, an tenerentur quotidie? Dilata, et scribatur juxta instructionem (39) rescribitur: *Ibid. dub.* 2. Reproducta dein causa, deductisque actis Visitationum elapsi seculi ex quibus constabat quotidianam Missae celebrationem ad ulterius obligationis satisfactionem referendam esse, adeoque quotidianam applicationem Missae pro populo voluntariam, et liberam fuisse, rescriptum fuit, ipsos non teneri Missam applicare pro populo quotidie sed tantum diebus Dominicis, et Festis: *Ibid.* 15. *Febr.* 1772.

23. In Relatione Status suae Ecclesiae Episcopus Ovetensis exposuit plura in ea Diocesi reperiri Parochialia beneficia, quae tenues adeo habent reditus, ut ne ad congrua quidem Parochorum alimenta sufficiunt, idcirco apud nonnullos opinionem invaluisse, ut si iidem Parochi diebus Festis, exceptis tamen Dominicis, eleemosynam pro Missa ab aliquo Benefactore receperint, possent iis diebus, et pro Benefactore, et pro populo Missam applicare, quid igitur hac in re permittendum, quid reprobandum esse a S. C. requisivit: ut se gerat Episcopus ad formam Constitutionis Benedicti XIV. Pont. Max. incipien. *Cum semper* (40) rescriptum est: *Oveten. Missae pro pop.* 26. *Febr.* 1774.

24. In oppido Encisi duae extant Parochiales Ecclesiae, sex numerantur filiales. Harum regimini quatuordecim praesunt Parochi, inter quos inaequaliter dividuntur, unus tamen est Populus, unaque Paroecia. Ab immemorabili tempore sueverant Parochi praedicti 814. Missas pro populo celebrare, has propria auctoritate ob redituum diminutionem ad 124. reduxerunt. At de validitate ejusdem reductionis dubitantes S. C. adierunt, et responsum acceperunt, pro gratia reductionis ad unam Missam singulis die-

hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae; nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiae Parochialis proventus, ut pingues, et uberes appellari possint, quoniam pingues minime habendi sunt reditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia, et gravia sint onera adnexa; tum etiam multarum querelae adversus hujusmodi decretum, tanquam plus aequo rigidum, excitatae, nobis innotescant; idcirco opportunum censemus Fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missae pro populo, celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus Festis de Praecepto. "

(39) Instructio fuit, ut inquireretur an constaret, et quibus fundamentis inniteretur consuetudo applicandi quotidie in unaquaque ex Parochiis Missam pro populo, ac praeterea an aliqua adesset dispositio, seu specialis ratio, cui quotidiana Missae applicatio referri congrue posset: *in Thesaur. tom. XL. pag.* 158. §. 1.

(40) 19. *Aug.* 1744. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag.* 163. §. 8.), quae loquens de pauperibus Parochis, Vicariis, seu Oeconomis disponit „ idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes, et singuli praedicti teneantur diebus Festis Missam pro Populo celebrare, et applicare; attamen quod pertinet ad praedictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, enim iis quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus Festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, et licite possint, et valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Festis, infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint ".

bus festis pro qualibet ex Ecclesiis Parochialibus oppidi Encisi, necnon pro reductione ad unam Missam pariter diebus festis in aliis filialibus Ecclesiis per vices celebrandam, collatis tamen suffragiis in unum pro toto populo, et detracta eleemosyna ex Massa communi facto verbo cum Sanctissimo: *Calaguritana Missae pro pop.* 8. *Maii* 1773.

26. Parochus S. Simeonis, S. Luciae S. Silvestri num in unaquaque ex dictis Parochialibus Ecclesiis per se, vel alium applicare Missam pro populo Dominicis, aliisque festis diebus teneatur protelata fuit resolutio, ut Episcopo juxta mentem (41) scribatur: *Alatrina* 20. *Aug.* 1785.

27. Episcopus Castri Albi Sacra Apostolorum Limina visitans, omnesque optimi Pastoris partes implens, decidi ab S. C. curavit, quod Parochi Ecclesiae Cathedralis et Collegiatae S. Mariae de Castello, aliarumque Ecclesiarum suae Dioecesis tenerentur per se ipsos adplicare diebus Festis Missam pro populo; neque vero possent per Beneficiatos, vel alios Sacerdotes praedicto oneri satisfacere: *Castri Alti Visit. Sac. Liminum* 18. *Julii* 1789. *d.* 2.

28. Declarari etiam fecit, quod Ecclesiarum filiarum Rectores tenerentur Missam pro populo adplicare, non vero spectaret ad Parochos Ecclesiarum Principalium, seu Matricum: *Ibid. d.* 3.

29. Episcopus Lucensis in Galaecia praescripserat, ut Parochi, qui duabus Ecclesiis Parochialibus unitis praesunt, duarum etiam Missarum celebrationi satisfacerent diebus Dominicis, et Festis tum scilicet per se ipsos, tum per alium Sacerdotem; verum nonnullis Parochis renuentibus, S. C. jussit, Parochos, qui duabus Parochialibus Ecclesiis unitis praesunt, debere Dominicis, aliisque diebus Festis Missam in unaquaque Ecclesia sive per se, sive per alium applicare pro populo, exceptis tantum Parochiis unitis unione plenaria, et extinctiva; et voluit insuper ut scriberetur Episcopo juxta instructionem: *Lucen. Appl. Missae pro pop.* 12. *Martii* 1774.

29. Collegiatae S. Aegidii Ecclesiae oppidi Tulpharum duo praesunt Rectores, qui distinctam ab antiquissimo tempore animarum curam per separatas regiones exercent. Ex hoc dubitans Episcopus, quin contra praeteritam observantiam ad duplicem tenerentur Missam pro populo. Et S. C. rescripsit applicandam esse unicam Missam: *Sutrina Missae pro pop.* 16. *Julii* 1791.

30. Parochiali Ecclesiae S. Jo. Baptistae de Cedavim tres aliae subjectae Ecclesiae Parochiales unitae fuerant, et fertur ea lege fuisse unionem expletam ut Rector Matricis tres infra hebdomadam pro illarum quoque populis applicare deberet Missas. Sed licet notitiam rei judicatae et Statuti ex Codicibus Ecclesiae decessores haberent tamen neglexerunt illam applicationem. Hodiernus autem Parochus ad suam sedandam conscientiam postulat declarari; nam eas in futurum applicare teneatur? et S. C. negativum dedit responsum: *Lamacen. Miss. pro pop.* 30. *Julii* 1796. *dub.* 1.

§. VI.

Parochus quoad Oblationes, Obventiones, et Emolumenta.

1. Quum Concil. *sess.* 23. *cap.* 1. (42) voluerit Parochos non residentes non

(41) Mens est, ut referat super expositis per Parochum: *Ead. caus.* 20. *Aug.* 1785.

(42) *De Reform.* ubi legitur. Cum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, illos detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos Fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.

facere fructus suos pro rata temporis absentiae, eosque fructus fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogari, quid agendum de hujusmodi fructibus, si nec Fabrica Ecclesiae Parochialis egeat, nec pauperes intra ejus limites reperiantur, et an Ordinarius fructus ipsos ejus arbitrio in alios usus pios erogare possit? censuit S. C. Ordinarium debere applicare Fabricae Ecclesiae Parochialis, quae licet nunc non egeat, potest tamen in dies indigere, saltem quoad ornamenta: *Ravennaten. anni* 1577. *dub.* 1.

2. Proposito dubio, an liceat Parochis Civitatis Papiae vigore consuetudinis, aut Constitutionis Synodalis exigere ab haeredibus defunctorum, quorum cadavera in Ecclesiis Regularium sepeliuntur duplicatam eleemosynam, quae ceteroquin soleat exigi? non licere salvo tamen jure immemorabilis coram Judice probandae, rescribitur: *Papien.* 12. *Decem.* 1665. *dub.* 1.

3. Nequeunt Rectores Parochiarum componere cum Commissariis Bullae Cruciatae super fructibus, quos suos ob non residentiam non fecerunt: *Vicen.* 7. *Octob.* 1604. *dub.* 5.

4. Rectori Parochialis Ecclesiae S. Nicolai Belfortis Dioecesis Fulginatensis deberi oblationes, quae fiunt in Ecclesia simplici S. Mariae Prati existenti intra limites dictae Parochiae S. C. decidit: *Fulginaten.* 6. *April.* 1647.

5. Ecclesia S. Michaelis Archangeli collapsa Parochus Villae Lapidiae curam animarum exercere in Ecclesia, seu Oratorio Societatis S. Bernardini incepit; at instaurata prima ob populi concursum erga Iconem B. M. V. agitatum fuit in S. C: an Parocho debeantur oblationes factae, et faciendae dictae Imagini? et responsum prodiit spectare ad Parochum cumulative, cum Sanctesibus: 16. *April.* 1685. *dub.* 3. Hoc decretum modo confirmatur: *Spoletana Paroch.* 16. *Novem.* 1715. *d.* 4.

6. Quoad ratam partem debitam Rectori Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Matthaei Sarni ex emolumentis incertis Parochiae, S. C. decrevit medietatem juxta solitum ei deberi: *Sarnen. Jur. Paroch.* 15. *Januar.* 1718. *d.* 1. *confirmat.* 15. *Januar.* 1721.

7. Parochus Ecclesiae S. Paulli Urbis Vallettae quum divinis Officiis, quae a Beneficiatis a Catharina Valenti fundatis celebrantur interesse debeat, si ratione curae animarum impeditus abens fuerit, distributiones non lucratur: *Melevitana Divin. Offic.* 29. *Januar.* 1718. *dub.* 7.

8. Parocho Pagi Peysei nulla debetur portio ex oblationibus, quae a fidelibus exteris, et non Parochiae incolis Oratorio Rurali B. M. V. dicato relinquuntur: *Tarantasien.* 22. *April.* 1719. *dub.* 1.

9. Conventio inita inter Parochum Ecclesiae S. Johannis Baptistae terrae Melicucciae, et Beneficiatos, Communitatemque Presbyterorum dictae terrae, quod Paroeciae fructus, beneficiorum, que reditus inter ipsos dividerentur etiam post observantiam centum, et ultra annorum nulla fuit declarata: Complures enim exinde populi offensiones oriebantur, et Parocho congrua deficiebat, adeoque Parochus ad eam servandam minime tenetur: *Mileten.* 2. *Octob.* 1721. *dub.* 1.

10. Parocho Ecclesiae S. Mariae existentis in loco Puriae, et Datii nullum debetur emolumentum, nullaque eleemosyna a praedicta Communitate, casu quo quasdam functiones peragat: *Mediolanen. Cong.* 22. *Sept.* 1731. *d.* 3.

11. Parochus Ecclesiae S. Mamantis, cum benedictionem cum venerabili Eucharistiae Sacramento impertiatur in Ecclesia Societatis S. Mariae de Libertate, intra ejusdem Parochiae sita, quidquam pretendere nequit, ut Ecclesiae

suae Parochiali tradatur, sed id facere gratis debeat: *Bononien.* 15. *Maii* 1748. *dub.* 9.

12. Clemens. VIII. Pont. Max. Parochialem Ecclesiam S. Nicolai in Civitate Alicante in Collegiatam erexit. Occasione controversiarum Episcopus mandavit, ut in exequiis generalibus, et etiam Regiis, quibus adest Capitulum totum officium, et exactio emolumentorum spectaret ad idem Capitulum, assignata Curatis portione, et oblatione; in aliis vero exequiis quae etiam generalia nuncupantur, quibus intersunt Curati, et Clerus dumtaxat, jus designandi horas canonicas, tintinnabulorum sonitum, totumque officium spectaret ad eosdem Curatos. Huic decreto minime acquiescente Capitulo dubitatum fuit coram S. C. num sustineretur? et sustinendum resolvit: *Oriolen. Decret.* 9. *Januar.* 1734. *dub.* 1.

13. Quum Dominicus Perone Abbas Curatus Parochialium Ecclesiarum Oppidi S. Sixti, et Baccaritii, qui animarum curam sex annorum spatio dereliquerat, ad fructuum restitutionem fuerit a Vicario Generali Consentino condemnatus, et privatus cura una cum excommunicationis censura, et quum de Vicarii muneris, officiique sui excedentia queratur penes sacrum Senatum, responsum habuit; ut Ordinarius procedat ex integro servandis: *Consentina Privat., et Cens.* 1. *Decem.* 1736.

14. Quum Vicarius Generalis Card. Abbatis decreto suo privaverit Leonardum Calvittum Parochia Divo Antonio Abbati dicata, ac redintegravit Crucianum de Carolis, qui antea illam septennio tenuerat, S. C. illum decretum non sustineri mandavit. Inde expenso, an Sacerdos Crucianus teneatur restituere fructus, aliaque emolumenta indebite percepta Parocho Leonardo? utique respondit: *Nullus S. Marci in Lamis Paroch.* 11. *Janaur.* 1744. *d.* 3.

15. Jam ante S. C. declaraverat dismembrationem Ecclesiae Parochialis S. Paulli Baretis, et respective novae Parochiae erectionem in Villa, et Ecclesia S. Viti ab Episcopo expletam firmam haud esse. Modo novum Parochum fructus, reditus, ac proventus restituere haud teneri firmavit: *Aqulana Dismemb.* 8. *Febr.* 1744. *d.* 2.

16. Non licet Parocho Ecclesiae Montis Raynaldi ex pecuniis collectis ob. 25. pro cera ob Missarum celebrationem recipere, sed eadem cera emenda est ex dictis pecuniis precario coactis: *Firmana Jur. Paroch.* 2. *Decem.* 1747. *dub.* 5.

17. Dum a S. C. petita fuit definitio, an sint restituendi, ac assignandi fructus Parochiales e Thomae Moscoso in Carcerem ab Episcopo detento?

18. Et an sint eidem Parocho nonnullis criminibus accusato restituenda omnia bona mobilia, supellectilia, ac fructus ab eodem Episcopo nulliter distracta? S. C. omnia ad Judicem delegatum remisit: *Mindonien. Paroch.* 23. *Aug.* 1749. *dub.* 1. *e* 2. Confirmat., et additum, ut Judex Delegatus procedat cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis: 13. *Sept. ejusd. anni*.

19. Jam Rectorem Parochialis Ecclesiae S. Mariae in Coelum Assumptae Villae de Llimiana, quam quatuor ejusdem Ecclesiae Beneficiatos Residentes vocatos, qui jure impediti Missis cum cantu, anniversariis, aliisque functionibus non interveniunt, solita lucrari emolumenta posse S. C. resolvit: *Urgellen.* 12. *Martii* 1757. *d.* 2.

20. In Ecclesia S. Bartholomaei in urbe Campibassi quinque sunt Participantes jure civico; et unus Parochus. Onus illorum est hunc adjuvandi in parochialibus functionibus, ideo cum eodem participant. Longo tamen usu receptum est, ut Parochi duplicem portionem accipiant non ex fructibus dum-

taxat, et reditibus, sed ex stipendio sacrorum, a fundatoribus testatoribus, et ab Episcopo in favorem celebrantis taxato; idcirco res obscura explanatur; an dicto Parocho duplicata portio deberetur super his Missis? Et in hoc casu deberi S. C. respondit: *Bojanen.* 19. *Novem.* 1757. *dub.* 1.

21. Super Missis vero adventitiis duplicatam eidem Parocho ratam partem haud quaquam deberi existimavit: *Ibid. dub.* 2.

22. Sacerdos Raganoni Parochus ruralis Ecclesiae SS. Joseph, et Marci Evangelistae stipendium postulavit a monialibus S. Silvestri in Capite de Urbe, ex quo Coloni Latifundii diruti Castri Balneoli ad Monasterium spectantis, ejus Parochiae ab Episcopo subjecti fuerant. Ecclesiae enim S. Mariae Lauretanae a Comite Rosci aedificatae in eodem loco, pro dote ille constituerat Vineam in dicto Latifundio sitam; et Latifundium a Monasterio Roschius emerat, et Ecclesia inde pene collapsa fuerat, Latifundiumque ob Roscii deficientiam ad moniales reversum erat. S. C. primum protelavit decretum, et dixit ad mentem (43): *Hortana Stip.*, *et Liber. a Molest.* 19. *Aug.* 1775 Deinde quando constat de applicatione Missae etiam pro populo Balneoli, respondit pro annuis Scutis 12. deberi a die deputationis, pro majori vero summa iterum proponi instantiam: 7. *Septem.* 1776. *Confirmat.* 18. *Sept.* 1779. *dub.* 1.

23. Incrementum vero Scut. 12. denegatum fuit ab eadem S. C. *Ib. d.* 2.

24. Et dubio considerato, quomodo providendum esset manutentioni Rectoris? S. C. respondit, esse locum reintegrationi Parochiae cum congrua in erectione praefinita reservato jure Monasterio agendi pro relevatione contra Comitem Rosci prout de jure, et quatenus de jure: *Ibid. dub.* 3.

25. Nova in Collegiata Ecclesia S. Johannis Terracinae erecta Parochia, disceptatum inde fuit, ex quibus reditibus, et qua summa esset providendum? Et S. C. remisit ad Card. Carrara Secretarii officio nuper functum cum facultatibus S. C. *Terracinen. Dismemb. et Erect. Par.* 30. *Julii* 1785. *dub.* 3.

§. VII.

Parochus quoad Officia, et Onera.

1. Episcopus exponenda curavit de Ecclesiis Parochialibus in Dioecesi habitationem pro Rectore non habentibus, ubi etiam saepe accidit, ut nulla domus, quae conduci possit a Rectore reperiatur, hac occasione S. C. respondit Rectores Ecclesiarum praedictarum, qui ex earum annuis reditibus minus 60. ducat. percipiunt, liberos esse debere a contributione pro domibus aedificandis, sed Capitulum, cui illae unitae sunt, patronos, et alios, ad quos fructus aliqui ipsarum Ecclesiarum deveniunt, aut in illorum defectus Parochiae incolas juxta similem dispositionem Concilii *sess.* 21. *cap.* 7. (44) contribuere cogendos esse: illos autem Rectores, qui ex suis Parochialibus plus 60; sed non ultra 100. ducat. annua-

(43) Mens fuit, ut doceretur, quid, et in qua summa receptum fuerit a Parocho Ragnanoni, et utrum applicaverit Missam pro Populo Parochiae S. Mariae Lauretanae Balneoli: *Ead. Caus.* 7. *Sept.* 1776.

(44) *De reform.* Ubi habetur Parochiales vero Ecclesias, etiamsi jurispatronatus sint, ita collapsas, refici, et instaurari procurent ex fructibus, et proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus: qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacunque appellatione, exemptione, et contradictione remota. De hac re diserte loquitur Bened. XIV. *Instit. Eccl. C. Tom. XI. pag.* 697.

tim percipiunt, partem quoque suam cum praedictis, qui fructuum earumdem Ecclesiarum quoquomodo participes sunt, aut cum Parochiae incolis juxta praefatam formam judicio Episcopi conferre debere. Quod si annui fructus, et reditus Parochialium pro Rectore excedant summam centum ducat., alios gravandos non esse, sed ex dictis reditibus Parochialis tantum pro aedificatione domus esse desumendum, quantum Episcopus convenire arbitrabitur; quae quidem in novis domibus hujusmodi designandis necessariae habitationis pro Rectoris residentia, quam commodae rationem habebit, ne majores fierent impensae, quas ipsa necessitas postulat: *Nolana* 8. *Febr.* 1581.

2. Satis est, ut Parochi, et si formaliter non praedicent saltem Dominicis, et festis diebus ad Plebes sibi commissas, et pro eorum capacitate pascant salutaribus verbis juxta *cap.* 2. *sess.* 5. (45), quod si id praestare minus queant, cogantur huic muneri per alium ab Episcopo deputandum satisfacere ipsorummet Parochorum impensis juxta *cap.* 4. *sess.* 24. (46): *Meliten. Febr.* 1590. *d.* 5.

3. S. C. censuit, scribendum esse Episcopo Casalensi, qui curet Parochos subire onera curae per se ipsos, et non per Capellanum: *Casalen.* 27. *Julii* 1626.

4. Quaesito quoad Parochos nobiles, vel graduatos, et dignitates, qui resident, et alia munia exercent, cum licentia abeunt, exposito, S. C. declaravit cogendos esse ad subeunda per se ipsos, et non per substitutos ea munia, ad quae Parochi tenentur, tolerandos autem, ut per substitutos suppleant in illis casibus tantum a Concilio Tridentino permissis, *Vicen.* 7. *Octob.* 1604. *dub.* 6.

5. Censuit S. C. Rectorum Ecclesiarum Parochialium nuper erectarum in sua quaque Parochia matrimoniis, quae in ea celebrabuntur interesse debere: *Lycien.* 19. *Apr.* 1606.

6. Parochi Religiosi Monasteriorum Exemptorum Ordinis Cisterciensium S. Benedicti Carthusianorum vocati ad Synodum tenentur venire, et mandata E-

(45) *De Reform.* quod statuit „ Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciando eis cum brevitate, et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant „ et paullo post " Neque vero hujus Decreti executionem consuetudo etc. impedire valeat „. Quod idem constituitur *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.*, cujus rigore videndum an onus praedicationis formalis Parochis injunctum fuit. Quod expendit S. C. Concilii, et resolvit sub die 9. Febr. 1576., uti refert Fagnan. *in cap. Inter Onera num.* 33. *de Offic. Ordin.*, et iterum ead. S. C. emanavit in Causa Melevitana (*Lib. 6. Decret. pag.* 109.) Hisce Decretis accessit *Const. Apostolici Ministerii* 23. *Maii* 1723. (*Bull. Rom. Tom. XI. Part. II. pag.* 258.) Innoc. XIII., qua §. 2. forma concionandi adhibenda, quae non sit praepolita, et elaborata in Regnis Hispaniarum praecipitur. Hanc inde Bened. XIII. ut omnibus Episcopis velut exemplar proponeretur, confirmavit 23. *Sept.* 1724. *Const. In Supremo Majestatis* (*Bull. Rom. ibid. pag.* 350.) Et Bened. XIV. *Const. Vix pervenit* 1. *Novemb.* 1745. (*Bull. ejusd. Tom. I. pag.* 258.) monuit omnes Italiae Episcopos, ne, quoties eos contigerit ad populum verba facere, sive per se, sive per alios, eumque sacris doctrinis instruere, aut Synodos celebrare, quidquam alienum ab iis sententiis, quae circa usuras, aliosque turpes quaestus recensitos in ead. Const. proferant.

(46) *De Reform.* ubi legitur „ In aliis „ autem Ecclesiis per Parochos, sive, iis „ impeditis, per alios ab Episcopo impensis „ eorum, qui eas praestare, vel tenentur, „ vel solent, deputandos in Civitate, aut „ in quacumque parte Diocesis ".

piscopalia accipere circa ea, quae pertinent ad dictam curam, pariterque festa propria Dioecesis denunciare populo, et celebrare jubilaea, et alia mandata Apostolica ab ipso Dioecesano Episcopo accipere : *Olomucen. Juris.* 11. *Julii* 1605. *dub.* 5.

7. Ac praedicti, ut supra tenentur sacrum Chrisma, et olea accipere ab Episcopo Dioecesano, cui possit constare novis, an veteribus, vel nullis nisi ordinariis, vel communibus utantur: *Ibid. dub.* 6.

8. Curati, seu Vicarii Ecclesiae Parochialis Hospitaletti deputati per P. Generalem ad curam animarum dicti loci tenentur accipere approbationem: *Lauden. Jur.* 1. *Dec.* 1691. *dub.* 3. sed recessit S. C. a decisis, et non teneri resolvit: 20. *Sept.* 1692.

9. Curati, seu Vicarii praedicti tenentur intervenire ad Synodum Dioecesanam: *Ibid. dub.* 9. *confirm. ibid.*

10. Ac tenentur intervenire Congregationibus Casuum Conscientiae. *Ib. dub.* 9. *confirmat. ibid.*

11. Jam ante hoc tempus S. C. ratam unionem peractam Ecclesiae Parochialis S. Adhoeni ad alteram Parochialem S. Andreae non habuit, sed primam collabentem instaurandam esse, et perfici a Parochiae incolis mandavit: Nunc decretum est quoad expensas in duc. 587. confectas, Parochum ad solutionem duc. 40. quolibet anno a die sequutae unionis teneri, et quoad alios Episcopum prout de jure procedere : *Aversana Diss. Union.* 3. *Oct.* 1705. *d.* 1.

12. Imo Parochus S. Andreae restituere Imaginem SS. Crucifixi, sacra supellectilia, aliaque redintegrare, quae de tempore unionis in Ecclesia S. Adhoeni reperiebantur, et quae vendidit, vel secum tulit ad alteram S. Andreae tenetur : *Ibid. dub.* 2.

13. Dubiis exhibitis, an, et quibus supplicationibus, et functionibus in Ecclesia Metropolitana peragi solitis Parochi Urbani, et Suburbani Senenses interesse teneantur? et quatenus affirmative.

14. An, et quibus multis sit locus contra non intervenientes? respondit S. C. pro concessione remissoriae hinc inde : *Senen.* 6. *Junii* 1705. *dub.* 1. *et* 2.

15. Decretum Visitationis, quo Rectori Ecclesiae Parochialis S. Mariae Montis Morelli injunctum fuit nonnulla spectantia ad restaurationem Ecclesiae praedictae, et ad supellectilia Ecclesiae, et ut renovaret trabeam, seu pluviale album, necnon lampadem ante altare majus ejusdem Ecclesiae, est exequendum. Nam Rector de integro restituere lampadem, et pluviale detrectabat, autumans eisdem Ecclesiam non indigere, aut saltem ad Societatem spectare : *Recineten. Vis. et Cen.* 12. *Apr.* 1710. *dub.* 2.

16. Licet ex vetusto more Rector Ecclesiae Parochialis loci Planellarum certis anni temporibus adiret Plebanam Ecclesiam S. Mariae Campagnoli loci Trevotii ad illum adjuvandum, tamen Episcopus praevio decreto illum ab hac subjectione exemit, ei facultatem elargiendo in propria Ecclesia fontem benedicendi Sabbato Sancto, ac supplicationem habendi in die Sanctissimi Corporis Christi, et die 26. Apr. 1698. Decretum Episcopi sustineri resolvit et confirmavit : *Placentinae Pleban.* 29. *Novem.* 1710.

17. Plures Parochiales Ecclesiae adsunt unitae Monasterio Congregationis Olivetanae Sculchae nuncupatae, quarum Matrix semper reputata est illa S. Laurentii in Monte. At ob controversiam ortam, ad quem ex harum Rectoribus committenda sit benedictio fontis, ignis, et similium. Episcopus putavit per modum provisionis ad seniorem spectare. Reclamavit Rector S. Laurentii fretus consuetudine Synoda-

li, qua Parochi in propria Ecclesia, ceteris etiam dignioribus praeferuntur; hinc in S. C. re delata decretum est spectare ad Vicarium Ecclesiae S. Laurentii. Inde Rector Ecclesiae Curatae Vergiani refragatus est, et S. C. jussit eundem teneri adsistere benedictioni fontis baptismalis, ignis, aquae et similium in die Sabbati Sancti, aliisque functionibus peragendis. *Ariminen. Jur. Par.* 10. *Januarii* 1711. *dub.* 2.

18. Et non intervenientes ex supradictis Rectoribus Episcopus cogat juris remediis: *Ibid. dub.* 3.

19. Quatenus fructus bonorum haereditariorum Canonici Francisci Franzesii applicati pro expensis annuis Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Matthaei Sarni non suppetant, obligati sunt pro rata parte tam Rector, quam Canonici dictae Ecclesiae supplere, et contribuere expensis paramentorum, SS. Vasorum, Candelarum pro Missis Conventualibus, et pro divino Officio, et earum, quae dispensantur in die Purificationis B. M. V., olei pro lampade, hostiae, et vini pro Missis, et reparationis Ecclesiae, et sepulcrorum expurgatione: *Sarnen. Jur. Par.* 15. *Jan.* 1718. *dub.* 5. Confirmat., et additum, ratam pro medietate respectu Parochi: 25. *Januar.* 1721.

20. Parochi Ecclesiarum S. Martini, S. Angeli, et S. Mariae Valliscursae non tenentur Missam, quam per vices ex antiquissima consuetudine in unaquaque ex dictis Ecclesiis diebus ferialibus celebrant, pro populo, vel pro benefactoribus applicare. Omnibus enim diebus festis unusquisque applicat pro populo, dictaeque Ecclesiae, quamvis praeter Parochum duos habeant Beneficiatos, Canonicos nuncupatos, nihilominus Ecclesiae Collegiatae non censentur: *Fundana App. Miss.* 2. *Octob.* 1721. *dub.* 1.

21. Quum ad examen positum esset, num Parochi Regulares Parochiarum Bridel, et Pommerensis in vim Apostolicorum Privilegiorum Capitulis annuis pro omnibus Curatis, ac Vice-Curatis secularibus, ac regularibus etiam exemptis constitutis intervenire, ac Decanis locorum debitam praestare obedientiam? Nulla prodeunte definitione responsum est, ut scriberetur Nuntio Apostolico pro informatione auditis interesse habentibus: *Treviren. Jurisd.* 2. *April.* 1729. *dub.* 1. *et* 2.

22. Parochi Ecclesiarum S. Nicolai, et S. Andreae Apostoli, quibus celebratio Missae Matutinae, et ejus applicatio pro populo diebus festivis adjudicata fuit; non autem Presbyteri participantes earumdem Ecclesiarum fidei rudimenta, et Evangelium pro populo explanare tenentur: *Caputaquen.* 14. *Maii* 1729. *dub.* 5.

23. Parochus Ecclesiae S. Laurentii in Corrignano tenetur vel per se, vel per alium interesse Benedictioni Fontis Baptismalis die Sabbati Sancti, et Pentecostes, quae in Archispresbyterali Ecclesia S. Putrignani peragitur: *Ariminen. Praeemin.* 28. *Julii* 1731. *d.* 2.

24. Item perpicuum non est, an idem Parochus teneatur olea sacra ab Archipresbytero recipere? et responsum est, ut Constitutiones Synodales (47) servarentur: *Ibid.*

25. Interrogata S. C. num Parochus S. Mariae locorum Puriae, et Datii teneatur ad aspersionem Coemeterii diebus Dominicis, ad cantum Missae cum Litaniis B. M. V. omnibus diebus Sabbati, ad supplicationem Immaculatae Conceptionis in secundis Dominicis cujuslibet Mensis, et benedictionem domorum in territorio contiguo

(47) In costitutionibus Synodalibus Ecclesiae Ariminensis cautum est, ut Archipresbyteri distribuere debeant Olea Sacra singulis curatis in suo Plebanatu existentibus: *in Thesaur. tom. V. pag.* 127. §. *Archipresbyter*.

in ultima festivitate Paschatis Resurrectionis? servari solitum juxta votum Card. Archiepiscopi jussum fuit: *Mediolanen. Congr.* 22. *Sept.* 1731. *d.* 2.

26. Rogatum quum esset a S. C. an teneantur Rectores, seu Parochi Ecclesiarum oppidi Campobassi assistere in officio Diaconi, et Subdiaconi Archipresbytero Ecclesiae Collegiatae, ac Parochialis ejusdem Loci celebranti in supplicationibus, et Missis solemnibus Ascensionis, et Corporis Christi? servari Statuta anni 1715. edictum fuit: *Bojanen. Jur. Paroch. et Praemin.* 24. *Maii* 1732. *dub.* 15.

27. Parochi S. Antonii, et S. Martiani Castelli Montis Barutii tenentur in functionibus Sabbati Sancti, et Sabati Pentecostes interesse in Ecclesia Archipresbyterali S. Mariae Magdalenae, cui adjudicata cujusdam Majoritatis praerogativa est; *Aquen. Praeminen., et Jur. Par.* 8. *Martii* 1732. *dub.* 3.

28. Quum Joseph Catone Parochus S. Michaelis Archangeli cadaver Xaverii Casaburi tumulaverit in sua Ecclesia, eo quia elegerit defunctus inibi sepulcrum, contradicente Capitulo Cathedralis Ecclesiae ob extructum decreto Episcopi pro peregrinantibus Civitatis monumentum, licet idem Xaverius a tredecim mensibus moram in Urbe Cavae munus Ludi Magistri exercens traheret, et ex ea esset oriundus; inde resolutum est dictum Parochum in favorem Capituli, et Mensae Episcopalis nihil teneri: *Caven. Funer.* 7. *Febr.* 1733. *dub.* 7.

29. Parochi Rurales Comitatus terrae Trebii non tenentur instar supplicationis intervenire ad supplicationes Sanctissimi Corporis Christi, et S. Aemiliani Patroni, prout contendebat Capitulum Ecclesiae Collegiatae ejusdem terrae. Nam decretum Tridentini (48), quo praescribitur, ut Clerici tam saeculares, quam Regulares ad pubblicas supplicationes vocati accedere teneantur, non extenditur ad Clericos extra civitatem, et oppidum degentes: *Spoletana Process.* 20. *Novem.* 1734. *dub.* 1.

30. Impugnata dismembratione Ecclesiae S. Nicolai oppidi Simiatorii ab Ecclesia Parochiali S. Mariae de Latinis oppidi Aquarii, praesertim quod annua summa tunc primum assignata novo Parocho Simiatorii in ducatis sexaginta, postmodum in concordia anno 1720. inter ipsos Parochos inita ad annuos ducatos 40. redacta solvi posset a Rectore Aquarii salva ejus congrua. S. C. autem adprobando dismembrationem, et super concordiae valore consulta, illam concordiam esse servandam censuit: *Mileten. Dismem.* 29. *Januar.* 1735. *dub.* 2.

31. Parochi Abbatiae Sanctissimae Trinitatis quamvis in Bulla Clementis XI. Pont. Max. unionis dictae Abbatiae cum Mensa Episcopali praeservata fuerint omnia jura, ac Privilegia, nihilominus ad taxam Seminario Miletensis, quam ante unionem nihil impenderant; persolvendam tenetur pro nunc in summa per peritos taxata. Pueri autem Abbatiae in eodem Seminario alebantur. *Mileten. Taxa Semin.* 6. *Decem.* 1738.

32. Parochus Castri Scapezzani habet onus cadavera pauperum deferendi ad Ecclesiam Parochialem, itaut Paroeciae incolae cogi ad illa devehenda non valeant. Et hac de causa praeceptum Curiae Episcopalis, quo Parochiae incolae adstringebantur, exequi non debet: *Senogallien. Funer.* 19. *Decem.* 1739. *dub.* 4.

33. Occasione plurium quaestionum

(48) *Vide not.* 1.

inter Parochum Ecclesiae S. Mariae PP. Praedicatorum Centucellarum,et Societatem Orationis, et Mortis, S. C. perpendit, an in casu alterius impedimenti Parochi praeter expressa in primo cap. transactionis inter praedictos initae servanda sit eadem dispositio, et debeat Parochus rationem reddere Societati de suo impedimento? esse servandam concordiam S. C. sententiam tulit: *Viterbien.* 16. *Decemb.* 1741. *d.* 10.

34. Parochus Pierius in Ecclesia Cathedrali tenetur in actu celebrationis Missae parochialis ad Evangelii explicationem diebus Festivis, quibus Episcopus in Cathedrali praesens esse debet. Nam idem onus in Episcopum referri Parochus putavit: *Pientina Praedicat.* 14. *Decem.* 1748.

35. Parochum Ecclesiae S. Petri Fugnani conferentiis casuum conscientiae, quae habentur in Plebana Ecclesia S. Jo. Baptistae in Octavo, et in omnibus haberi debeat, ut unus ex Parochis Congregationis, quam nonnullae Parochiales Ecclesiae Plebanae conterminae efficiunt, interesse teneri, firmatum fuit: *Faventina Praeeminen. et Jur. Par.* 14. *Maii* 1746. *dub.* 7.

36. Eumdem S. Petri Parochum instar aliorum Parochorum supplicationi ipso die Festo Sanctissimi Corporis Christi a Parocho Plebanae Ecclesiae peragendae intervenire debere definitum fuit: *Ibid. dub.* 12.

37. Episcopus Tudertinus Pichius tria beneficia simplicia cum onere Missarum Parochiali Ecclesiae Castri Ceccanibiorum univit. Parochi onus impleverunt, recentiores vero illud implere recusarunt. Episcopus ait beneficium S. Sebastiani omni ecclesiastica dote carere. Perpenso igitur, an Parochus ille duas Missas hebdomadales in illo beneficio impositas celebrare teneretur? responsum prodiit, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem (49). *Tudertina* 16. *Januar.* 1751. postmodum S. C. responsum dedit affirmativum: 10. *Julii ejusd. anni.*

38. Thomas Gregorius Parochus Ecclesiae Parochialis S. Mariae in Coelum Assumptae sitae in Vico Collis Campi Rasci tenetur diebus Dominicis Missam celebrare, aliasque Parochiales functiones exercere in dicta Ecclesia, nec eadem agere in Ecclesia S. Sebastiani in Vico Scandolari intra limites Parochiae potest, et si major pars incolarum existat: *Fulginaten.* 19. *Aug.* 1752. *d.* 2. *confirmat.* 12. *Maii* 1753.

39. Ac ibidem retinere debet sanctis. Eucharistiae Sacramentum, quod antea solum in Ecclesia S. Sebastiani ex antiqua consuetudine pro fidelium commoditate servabatur: *Ibid. dub.* 3. *confirmat. ibid.*

40. Quoad Sepulcrum vero Parochiae incolarum utriusque Vici, eorum cadavera humare in dicta Parochiali debet, potest vero eadem in Ecclesia S. Sebastiani abscondere quum de eligentibus tumulum tantum agatur: *Ibid. dub.* 4. *confirmat. ibid.*

41. Parochi Rurales Villarum Aspeluncae, et Collis, qui Parochiam, et populum ab Arquata distinctum habent, non tenentur, nec cogi valent ad interveniendum supplicationibus, quae in die Festivitatis Sanctissimi Corporis Christi, et diebus S. Marci, et Rogationum ducantur in terra Arquatae: *Asculana Process.* 3. *Febr.* 1753. *d.* 2.

42. Curatus pro tempore Villae Al-

(49) Quae fuit, ut Episcopus mitteret instrumentum unionis factae a Francisco Maria Bichio Episcopo Tudertino anno 1664. trium beneficiorum similium, quorum primum nuncupatur *Hospitale Sancti Terentiani*: alterum *Sancti Petri de Cenito, sive de Camerata*, tertium *Sancti Sebastiani* erectum in Ecclesia Cathedrali Tuderti: *Ead. Caus.* 10. *Julii* 1751. §. *unic.*

deni tenetur recipere Beneficii Curati fundationis Baldi investituram a Curia Episcopali Tridentina, non autem a patronis ejusdem Beneficii. Nam obstabat Communitas dictae Villae, adquam vigore transactionis juspatronatus activum spectabat, sed transactionem Episcopus confirmavit salvo jure Officii Spiritualis, et ejusdem praejudicio quoad adprobationem dicti Curati: *Tridentina Invest.* 9. *Febr.* 1754.

43. Parochi Regulares cujuscumque Ordinis illi sint, et praesertim Praemonstratenses, Cistercienses, et Benedictini exercentes curam animarum secularium, et non commensalium in Parochiis Dioecesis Olomucensis, licet illae Monasteriis exemptis sint adnexae, et unitae, sive sint de jure patronatus, et cura animarum residere dicatur in Abatibus tenentur procurationem Episcopo solvere; vocati ad Synodum accedere sunt cogendi, festa praedictae Dioecesis populo annunciare, et celebrare, pariter Chrisma, et Olea Sancta ab Episcopo Dioecesano accipere obstricti sunt: *Olomucen. Jurisd.* 7. *Junii* 1755. *dub.* 2. *confirmat.* 2. *Aug. ejusd. anni*.

44. Parochus Ecclesiae S. Johannis Evangelistae Castri Granaroli debet personaliter intervenire, et una cum Presbyteris Clericis ejus Parochiae supplicationi, quae in die solemnitatis Corporis Christi fit in Ecclesia Archipresbyterali S. Andreae ejusdem loci: *Faventina Jur. Paroch., et Praeem.* 18. *Sept.* 1756. *dub.* 3.

45. Parochiali Ecclesiae S. Mariae in Coelum Assumptae Villae de Llimiana servitium, ministeriumque Rector, et quatuor Beneficiati Residentes vocati colunt. Hos inter et Rectorem de Ecclesiae regimine dissidium factum est, quod S. C. inter cetera decernens eumdem Rectorem teneri more et loco consuetis exorcizare tempestates, expedivit: *Urgellen.* 12. *Martii* 1757. *d.*20.

46. Missas omnes celebrare, Parochialesque functiones peragere Parochus in sua Ecclesia B. Mariae in Coelum Assumptae terrae Levi, cui omnia parochialia jura, et functiones in erectione fuerunt reservatae, debet; etiamsi Parochi antecessores quasdam Missas in Ecclesia S. Bernardi terrae Somerarii reclamante populo dictae terrae Levi celebrare consueverint: *Novarien. Par. Jur.* 10. *Martii* 1759. *confirmat.* 31. *Martii*, 21. *Julii ejusd. anni*.

47. Dum duarum Collegiatarum terrae Lugi unionem explevit Benedictus XIV. Pont. Max., Parocho Regulari S. Francisci de Paula injunxit, ut occasione funeris Presbyteros Collegiatae invitare debeat. Attamen quaestio inter Capitulum Collegiatae, ac Parochum exarsit, quam S. C. sopivit definiendo, ut Curatus S. Francisci de Paula, si majori Presbyterorum numero praeter suum Capellanum, seu Aedituum eguerit, teneatur in exclusionem Presbyterorum ejus Parochiae invitare Presbyteros adscriptos servitio Collegiatae, non obstante, quod per defunctum facultas ei data fuerit eligendi sibi benevisos Presbyteros: *Imolen. Jur. Par.* 20. *Decem.* 1760. *dub.* 9.

48. Regularem Curatum S. Francisci, cujus jura translata a Benedicto XIV. Pont. Max. in unione duarum Collegiatarum terrae Lugi fuerant, per se ipsum accedere teneri ad supplicationem Sanctissimi Corporis Christi in ejus solemnitate, et ad alias generales ab Ecclesia praescriptas, imo etiam ad illas, in quibus intervenit uterque Clerus pro publicis necessitatibus, et in loco sibi a motu proprio assignato teneri S. eadem C. resolvit: *Ibid. d.* 12.

48. Curatis Parochialis Ecclesiae oppidi Balneariae, qui ad distribuendam puellis pauperibus dotem a Testatore Do-

minico Guillelmi deputati sunt, onus etiam injungendum esse annuatim revidendi computa exactoris ad formam testamenti, salvo jure Card. Episcopi denuo invisendi rationes, et removendi Exactorem prout de jure, resolutum fuit: *Viterbien. Dot.* 11. *April.* 1761. *dub.* 8.

49. Bona spectantia ad Parochialem Ecclesiam Arcis Porenae, ejusque Rectorem minime colenda sunt a Communitate, sive Hominibus dicti loci, sed eorum culturam Parochus exercere debet: *Spoletana Cong.* 23. *Novem.* 1765. *dub.* 1.

50. Quum ad Ecclesiam S. Mariae de Berbenno antiquam matrem, et Plebanam fuerint omnia tam dignitatis, quam honoris, et reverentiae ab aliis debita, translata jura; ipsi Parochi, et Vice-Parochi totius plebis Berbenni tenentur in die Sabbati Sancti accedere ad praefatam Matricem Ecclesiam S. Mariae, et praestare assessionem, ac servitium personale in functionibus Ecclesiasticis, prout actu praestant in dicta Ecclesia SS. Petri, et Paulli; sed Festum autem horum Apostolorum celebrare tenentur in Ecclesia veteri cum consueta assessione: *Comen. Trans.* 19. *Julii* 1766. *dub.* 2.

51. Parochus Ecclesiae Kempensis, vel ejus Sacellani Catechesin facere tenentur pro erudiendis pueris ad Sacramenta Paschalia suscipienda: et non ambitur eam cedere loco concionis quadragesimalis feriis quarta, et sexta: *Colonien.* 14. *Febr.* 1767. *dub.* 20.

52. Parochi Ecclesiarum Fori Saraceni, Montis Castelli, Montis Saxi, Columnatae, Rodognani, aliorumque debentur Plebano, seu Archipresbytero loci S. Damiani, cui sunt subjecti, onera subjectionis, reverentiae, ac praeminentiarum, et juxta Synodales Constitutiones tenentur quolibet mense accedere ad dictam Plebanam Ecclesiam pro conferentiis Casuum Moralium. S. C. autem hoc onus alternatim cum altera Ecclesia Fori Saraceni explere teneri illos judicavit: *Sarsinaten. Erect. Plebana* 5. *Sep.* 1778. *dub.* 4.

53. Parochus Ecclesiae S. Jacobi terrae Linarii suppeditandi onus quolibet anno habet Mensae Episcopali titulo Cathedratici, ac Seminario Civitatis Sarsinae ex conventione inita Mastellas, seu salmas quatuor frumenti, necnon scuta sex, quamvis de sua tenui congrua, sed minus recte conquestus fuerit. *Sarsinaten. Oner.* 20. *Aug.* 1774. *dub.* 1.

54. Necnon etiam tenetur tradere quolibet anno Archipresbyteris terrarum Ranchii, et Rivoschii tres Mensuras vulgo *Quartarole* frumenti iisdem debitas saltem titulo praeeminentiae ut ex actis visitationis deprachensum fuit: *Ibid. dub.* 2.

55. Ad Parochum Ecclesiae S. Donati oppidi de Polenda Mensae Episcopali olim unitae, et modo ad statum collativum redactae sacras parandi supellectiles, pro tempore praeterito, quam pro futuro, spectare, non dubitatur. Nam a praedicta Mensa nonnulla assignata praedia ei fuerunt, ut illa inservirent pro congrua conservatione et onerum adimplemento; jure decimandi retento: *Brictinonien. Cong.* 10. *Decem.* 1785. *dub.* 3. *confir.* 15. *Sept.* 1787.

56. Duo Parochi, ac tres Vicarii Auxiliares Ecclesiae Cathedralis omnes Matrimoniis assistunt, eaque respectivis notant diariis, ut in unum deferant deinde codicem. Maceratenses Antistites intermissam novit hujusmodi descriptionem ab anno 1783., nullaque interposita mora exhibitionem diariorum in Cancellaria Episcopali, ut fieret, jussit, solus Parochus Emigidius Granella non paruit, et appellavit ad S. C., quae decrevit dictum Parochum esse cogendum ad exhibendum diarium matrimoniorum ab anno 1783. juxta vo-

tum Episcopi, et Episcopus procedat juris, et facti remediis contra Parochum Granella: *Maceraten.* 17. *Apr.* 1790.

§. VIII.

Parochus quoad Praecedentiam, et Praeeminentiam.

1. In deliberationem cadit, an Parochis secularibus debeatur praecedentia in Choro regulari in Missis, et officiis mortuorum, vel alia functione in Ecclesiis dictorum Regularium? dari censuit S. C. quoad mortuaria decreta S. C. Episc. et Regul., necnon a S. C. Rituum edita tenoris seq. (50): *Insularum Canariae Jur.* 13. *Novem.* 1694. *d.* 2.

2. In functionibus, in quibus Parochus Ecclesiae S. Pauli urbis Vallettae intervenit tanquam unus ex Beneficiatis ejusdem Ecclesiae, debet semper primam habere sedem, et primum in Choro occupare stallum: *Melevitana Div. Offi.* 29. *Jun.* 1718. *dub.* 5.

3. Non Parochis oppidi Novarum Capitulo Ecclesiae Collegiatae S. Mariae dicti oppidi ad funus accedente, sed ejusdem Collegiatae Archipresbytero praecedentia adjudicatur. *Derthonen. Jur. Par.* 3. *Decem.* 1718. *dub.* 10.

4. Parochus Civitatis Malaucenae, qui Congregationibus Hospitalis denominatis *Le Bourreau* intervenire potest; quoties Episcopus id illi permittere velit, dum intervenit, primum locum inter Rectores occupare debet: *Vasionen. Jur.* 11. *Aug.* 1753. *dub.* 6.

5. Parocho Ecclesiae terrae Bondeni competit pretaer jus parochiale jus praeeminentiae in functionibus ecclesiasticis societatis Sanctissimi Sacramenti ad formam resolutionis S. C. Rituum anni 1703. ad dub. 1. et 2. (51). In aliis autem actibus ejusdem Societatis potest Parochus habere praeeminentiam, et superioritatem, quatenus eidem praesit ex delegatione Archiepiscopi: *Ferrarien. conf.* 14. *Sept.* 1782. *dub.* 1.

Parochus quoad Praesentiam in Matrimonio *Vide Matrimonium* §§. *XVII. XVIII. XIX. XX.*

§. IX.

Parochus quoad Resignationem, Permutationem, Privationem, ac Redintegrationem.

1. Quoad Parochos, qui ad nutum, et saepe absque causae cognitione amoventur Episcopus jure suo uti debet: *Civitatis Castellanae* 26. *Aug.* 1628. *dub.* 2.

2. Injunxit S. C. Episcopo, ut si inimicitiae in Parochum componi non possint, omnino provideat, vel mediante resignatione, vel aliis modis a jure permissis ut Orator personaliter resideat: *Civitatis Ducalis* 26. *Apr.* 1653.

3. Dubitatur, an Parochus Regularis a suo superiore nominatus ad exercendam curam Ecclesiae Regulari unitam, vel ab Episcopo approbatus, possit deinde removeri ad nutum ejusdem Superioris inconsulto Episcopo, vel absque causa ab eodem Episcopo approbanda? affirmativum datum est responsum: *Narnien. Jur.* 13. *Julii* 1669. *d.* 1.

4. Carceribus Curiae Episcopalis detento Francisco Antonio Florentino Parocho oppidi Altii causa nonnullorum luxuriae criminum et inchoato processu eadem Curia putavit, ut ille suam Ecclesiam cum aliqua Capellania permutaret, ideoque prosequutionem processus deseruit. Permutatio facta fuit, sed Parochus non adepta Capellaniae possessione S. C. adiit, quae permutationem praedictam non sustineri sancivit, et quoad petitum regressum ad Parochiam respondit, ut Florentinus ad carceres redeat, et apponatur oeco-

(50) *Vide not.* 687 *tom.* 2. *pag.* 499.

(51) *Vide not.* 699. *tom.* 2. *pag.* 503.

nomus: *Novarien. Permut.* 6. *Octob.* 1703. *dub.* 2.

5. Suspensio ab officio, et exercitio curae parochialis lata ab Episcopo contra Nicolaum Gargiulum Parochum Majoris Ecclesiae terrae S. Nicolai qui redintegrationem postulat, minime sustinetur et additur ad mentem. Nam denegaverat ille Sacramentum Eucharistiae Clerico Silvestro Florillo, quem antea monuerat inspecta prava ejusdem consuetudine: *Trivicana* 13. *Julii* 1715. *d*. 2.

6. Johannes Kleydorffer Parochus Ecclesiae Lindkurchensis apud Tribunal Ecclesiasticum Ratisbonae actione injuriarum conventus, accusatusque fuit pro praetensis contumeliosis verbis contra Baronem de Reisach, et Regimen Landishutanum ratione in carcerem detrusionis servi ejus prolatis, et quod idem Parochus Eucharistiae Sacramentum cuidam rustico denegavit; Idcirco eum convictum, confessum, ac contumacem excidisse, ac Paroecia privatum esse dictum Tribunal pronunciavit. De ejusdem sententiae validitate S. C. consulta, privationem hujusmodi ratam non habuit: *Ratisbonen. Paroch.* 27. *Novem.* 1717.

7. Angelus Maria de Bottis spatio sedecim, et ultra annorum curam animarum exercuit in Ecclesia Parochiali loci Grazzani, et quum adversus ipsum plurimae delatae fuerint querelae, tum Ordinario, tum P. Abbati Monasterii S. Sepulcri, ad quem jus illud deputandi pertinet, devenerunt isti ad privationem seu remotionem ejusdem a Rectoria. Agitur hinc, an illius sustineatur remotio? et sustineri rescriptum fuit: *Placentina* 6. *Decem.* 1727.

8. Carolus Ferdinandus ex Comitibus de Lodron Canonicatum, et Praepositaram in Cathedrali Ecclesia Tridentina possidens, obtinuit Parochialem Ecclesiam Villae Langarinae ejusdem Dioeceseos, et dispensationem de voto S. C., ut per sex menses cujuslibet anni abesse posset a residentia Parochiae, relicto ibi idoneo Vicario, dummodo residentiam in Cathedrali servaret. Provisus inde fuit a Sancta Sede de alio Canonicatu Salisburgensi cum priorum retentione, et concessa ei fuit venia absentandi a Parochia per reliquos sex menses. Verum denunciatum quum fuisset Pontifici, quod is Parochiam deseruerit, posterius idem Pontifex revocavit Indultum ac nullum declaravit rescriptum ipsum, si per sex menses in Parochia non resideret. Monuit Parochum Episcopus, deditque ei terminum sed obsurdescente Parocho in contumaciam Episcopus ad privationem Parochiae processit, Vicariumque Parochiae deputavit. Vicarium tamen turbare tentavit de Lodron eodem tempore quo nullitatem sententiae privationis, ac de attentatis ostendere apud S. C. conatus est, sed nulla definitione prodeunte, dictum fuit ad mentem: *Tridentina Paroch.* 24. *Sept.* 1729. *dub.* 1. *et* 2. Reproposita Causa rosolutum fuit, sententiam privationis illius esse validam, et ad mentem (52) 3. *Decem. ejusd. anni.*

9. Accepit Archiepiscopus Januensis a populo Villae Fassinelli supplicem Libellum, quo recensebantur plures defectus Jacobi Antonii Mutii Parochi dicti Loci, et quo petebatur opportunum remedium. Archiepiscopus praeceptum tulit de non accedendo ab propriam Paroeciam, necnon demandans processus confectionem sub obtentu nimiae adversionis ab omni populo oeconomum deputavit. Parochus reclamavit ad S. C., et dubio exami-

(52) Mens fuit, ut Comes de Lodron postquam paruerit Judicato Episcopi, et purgaverit attentata, supplicet Sanctissimo pro reintegrationis gratia: *Regist. Lit. Lib.* 27. *die* 3. *Decemb.* 1729.

nato, an praeceptum ab Ordinario latum sustineretur? S. C. distulit resolutionem, addendo, quod interim oeconomus deputetur a Parocho nominandus, et ab Episcopo adprobandus, ei congrua assignata in Lib. 18. in singulos Menses: *Januen.* 10. *Sept.* 1735. *dub.* 4. Deinde item protelavit decretum, dixitque ad mentem: 9. *Febr.* 1737.

10. Dominicus Perrone Curatus Abbas suam Ecclesiam Parochialem S. Sixti, et Baccaritii deseruit, et Neapolim se contulit, ut Alchimiae, Lapisve philosophorum confectioni adlaboraret. Monitione praemissa Episcopus illum non redeuntem, neque sese praesentantem excommunicavit, Parochiaque privavit, et ad omnes fructus restituendos in sua absentia perceptos damnavit. Referebat Dominicus se non actualem, sed habitualem curam habere, et se valitudinis curandae causa Neapolis commorari. Causa venit in cognitionem S. C., num Episcopi decretum sustineretur? quae respondit, ut Ordinarius procederet ex integro servandis: *Consentina Privat., et Censur.* 1. *Decem.* 1736.

11. Parochus Ecclesiae S. Petri in Loco nuncupato *Ragazzuola* Bartholomaeus Raglio quum vitam inhonestam duceret cum Maria uxore Hieronymi Garbi postquam in aureis triginta ab Episcopo multatus fuerat, expletis spiritualibus exercitiis per decem dies e carceribus dimissus, et adhuc in prava consuetudine perseverans, perpetuo suspensus fuit a Parochiali Ecclesiae omnimoda administratione, reservatis alimentis eidem Parocho, eodemque tempore oeconomus deputatus mercede statuta fuit. Haec omnia S. C. consulta adprobavit: *Burgi S. Domnini Paroch.* 4. *Maii* 1737.

12. Quum Chrisostomus Bazanovuiski Parochus Ecclesiae Lipae ob multiplicia improbi exempli vitae crimina fuisset a Metropolitana Curia Gnesnensi sua Parochia spoliatus, efflagitavit, utrum sententia a Metropolitano contra eum latam possit sustineri. Sed S. C. jussit, concordari factum, et scribi Archiepiscopo pro informatione juxta instructionem (53): *Gnesnen. Par.* 14. *Junii* 1738.

13. Episcopus Eystettensis, ut Antonium Streng Parochum Ecclesiae loci Vntermessing cum Parochiae incolis eum suspiciose respicientibus conciliaret, illi dedit Cappuccinum pietate conspicum Coadjutorem. Sed nil proficiens, contra illum insaeviente populo, ad avertenda mala, quae ex odio, et simultatibus oriri poterant, decrevit, ut intra quadrimestre tempus de permutanda Parochiali Ecclesia Rector ipse sibi consuleret, sin minus permutatio fieret ex officio. Ad S. C. recurrente Parocho firmatum fuit Episcopi judicatum: *Eystetten. Permut. Par.* 11. *Aug.* 1742. confirmatum, et subjunctum, ut permutatio per Episcopum fiat cum beneficio reditus aequi valentis: 22. *Sept.* *ejusd. anni.*

14. Vicarius Generalis Card. Abbatis Parochialem Ecclesiam D. Antonii Abbatis visitans, Decretum contra Leonardum Calvittum Parochum edidit, quo illum neque interpellatum, neque auditum a possessione repente ejecit,

(53) Archiepiscopus S. C. instruat super vita, et moribus praefati Parochi post annum 1733., quo prodiit sententia ultima, et a qua idem Parochus reclamat. Praeterea referat, an dicta sententia fuerit exequutioni demandata; itaut Patroni jam nominaverint alium Parochum, qui fuerit institutus; et demum an Parochianis reipse invisus sit supradictus Chrisostomus ac libellus eorum nomine Sanctissimo Domino Nostro datus, ne ejusdem Chrisostomi reditus ad Parochiam permittatur, fuerit vere de ipsorum mandato exhibitus: *Registr. Lit. Lib.* 29. *die* 14. *Junii* 1738.

uti intrusum, et Crucianum de Carolis, qui septennio ante Parochiam tenuerat, redintegravit. Questus est de spolio Leonardus, qui in concursu magis idoneus renunciatus possessionem nemine contradicente nactus erat. Auxilium S. C. imploravit, quae Decreti pro redintegratione Cruciani de Carolis nullitatem definiens, sua desideria complevit: *Nullius S. Marci in Lamis Paroch.* 11. *Januar.* 1744. *dub.* 1.

15. Proponi deinde fecit, num praefata Parochia S. Antonii Abbatis, et ejusdem animarum cura pertineret ad se ipsum? et ad seipsum utique spectare S. C. subjunxit: *Ibid. dub.* 2.

16. Adversae valitudinis incommodis, et conscientiae stimulis agitatus Raymundus Turrius, qui Parochiali Ecclesiae Spiritus Sancti Castri Maris diu praefuit, eamdem dimisit, renunciavitque. Erat Ecclesia illa de jurepatronatus Artificum doliariorum, quibus Episcopus jussit, ut idoneum Parochum eligerent, et nominarent. Sed ante temporis praestituti finem, de validitate resignationis quaestionem excitavit Raymundus propositi fortasse poenitens, quaesivitque num sua sustineretur resignatio, et non sustineri audivit: *Castrimaris Resig. Par.* 17. *Julii* 1745. *dub.* 1. *confirmat.* 18. *Sept. ejusd. anni.*

17. Christophorus Longhus compressit Ancillam Simeonis Simonetti fratris Antonii Simonetti Parochi Tarpani. Statim consanguinei mulieris conquesti sunt, ut ad injuriam illatam reparandam cogeretur Christophorus eam in matrimonium ducere. Parochus differe curavit, ut a Curia Episcopali sententia nullitatis matrimonii inter ipsum Christophorum, et Catharinam Rachliza cum impedimento consanguinitatis contracti emanaret. At consanguinei ira accensi, et Parochum refragantem urgentes, ab eo ad mulierem, virumque occidendum parati dicesserunt. Parochus ad cupiditatem eorum excludendam illos revocavit, et in matrimonium conjunxit, vetuitque ne simul habitarent. Sed Vicarius Capitularis praevio processu Parochum ab officio suspendit, et carceribus mancipavit. Res ante oculos, S. C. posita fuit, quae rescripsit, Sacerdotem Simonetti esse absolvendum ex quo satis, et redintegrandum ad animarum curam: *Stagnen.* 19. *Novem.* 1746. *dub.* 1.

18. Posteaquam Episcopus Hieracensis Antonium Mari Parochum Sanctorum Blasii, et Leonis Castriveteris quaesito colore rixae cum quodam clerico actae vexaverat, eum suspensum a divinis declaravit, Ecclesiaeque, ejusque bonis oeconomum praeposuit. Dictus Parochus S. C. adiit, et testibus gestorum Episcopi injustitiam comprobare conatus est. Idcirco ab eadem S. C. praecipitur oeconomi remotio, et ut dictus Antonius Mari sit plenarie ad suam Ecclesiam Parochialem redintegrandum cum omnibus fructibus, emolumentis, damnis, et interesse: *Hieracen. Censur.* 13. *Januar.* 1748. *d.* 2.

19. Dominicus del Sette Parochus Oppidi Aquilae bonorum Parochiae cultura neglecta, venationi, ludis, et choreis etiam cum foeminis, licet Sacerdotibus sub poena suspensionis vetitis, saepe sine vestibus clericalibus incedens, animarum curam temere gerebat. Episcopus praeceptum injunxit, ut a ludis, et venationibus se abstineret. Parochus in nova crimina prolapsus est, et die Festo Dominicae Nativitatis nullo relicto Sacerdote Parochiam deserere pudor illum non retinuit. Ob id compilato processu, expleta trina monitione per sententiam Vicarii declaratus fuit poena privationis dignus. Protinus nihil inexpertum reliquit, ut privatio nulla declaretur, et rescriptum est, ad D. Secretarium ad mentem, etiam quoad damna, et interesse; *Tu-*

dertina Paroch. super Privat. 16. Martii 1754. *dub.* 1.

20. Petrus Moeslin Parochus Ecclesiae Merzhausensis in Helvetia de pluribus excessibus a Patribus Societatis Jesu Ecclesiae patronis coram Episcopo accusatus, ad permutationem suae Parocciae cum Beneficio coactus fuit, quam aegre cum Ecclesia Parochiali Amoltherana explevit; verum dum novi Parochi denunciationes peragebantur in Ecclesia Auventi, quae filialis est Merzhausensis, Parochus Moeslin in eodem Ecclesia praesentibus testibus, ac Notario contestatam denunciationem emisit, se nunquam resignasse Parochiam, neque eam vacare. Rumor inde fuit, an permutatio sustineri deberet? et non esse sustinendam S. C. judicavit: *Constantien. Permut. Par.* 20. *Decem.* 1755. *dub.* 1. *Conf.* 20. *Novemb.* 1756.

21. Deinde firmavit Parochum praedictum esse redintegrandum ad suam Parochiam, fructusque restituendos esse a die sequestri: *Ibid. dub.* 2. *confir. ibid. dub.* 1.

22. Sed eidem non deberi novalium decimas putavit: *Ibid. dub.* 2.

23. A Parochiali Ecclesia oppidi Kentensis translatus Sacerdos Adalbertus Daneki ad Parochialem alteram oppidi Paulowi, utrobique criminales passus est inquisitiones Promotoris Fiscalis Curiae Cracoviensis. A prima inquisitione absolutus judicio ipsiusmet Episcopi Cracoviensis; propter alteram vero non culpabilis sententia Curiae Metropolitanae Gnesnensis declaratus; hac tamen infirmata a Judice per Breve Apostolicum delegato, cum indicta privatione Parochiae, et subsequuta etiam violenta ejectione, provocavit ad S. C., quae ei rescripsit ad D. Secretarium cum Sanctissimo ad mentem (54): *Cracovien. Paroch.* 10. *Martii* 1770.

24. Sacerdos Laetti Parochus Ecclesiae S. Annae Castri Frontalis accusatus est penes Episcopum de inhonesta vita, inde absque trina monitione, et deficientibus necessariis probationibus a Parochiae exercitio deputato interim oeconomo expulsus fuit. In. S. C. comparuit Parochus redintegrationem postulans, refectionemque damnorum, sed nullo prodeunte decreto ad mentem (55) dictum fuit: *Sancti Severini* 4. *April.* 1778. *dub.* 1. *et* 2. Causa inde reproducta firmatum est appositionem oeconomi sustinendam haud esse, ipsumque Parochum redintegrandum ad regimen suae Ecclesiae, reservato jure Promotori Fiscali agendi contra Parochum Laetti ad formam Concilii Tridentini (56): 19. *Sept. ejusd. anni.*

25. Et quoad refectionem damnorum censuit S. C. restituendos esse omnes fructus Parochiae tempore oeconomatus elapsos dempta congrua pro oeconomo, aliisque necessariis expensis, in reliquis negativum datur responsum: *Ibid. dub.* 2.

26. De Parocho Boccalini villae S. Michaelis Dioecesis Fabriani, qui de nonnullis criminibus accusatus, fuit prop-

(54) S. C. censuit rem omnem referendam Summo Pontifici. Sanctitas Sua censuit Sacerdotem Adelbertum minime redintegrandum esse ad Parochialem Loci Paullovv. At Episcopo significari mandavit ejusque supremam mentem esse, ut praedicto Sacerdoti alimoniae ratione aliqua consultum remaneat conferendo eidem, quum primum sese obtulerit occasio, aliquod Beneficium simplex, ne in opprobrium ordinis, et characteris mendicare cogatur, quod Episcopo scriptum fuit, et dum praedictus Sacerdos a spe recuperandae Parochiae dejicitur, ejusdem conservationi miserationis intuitu prospiciatur: *Regist. Lit. Lib.* 33. *die* 7. *Julii* 1770.

(55) Mens fuit, ut audiretur Promotor Fiscalis, et transmitteretur Processus, et interim superextantes fructus Parochiae soluta Œconomo congrua, et demptis expensis, tradantur Parocho Laetti: *in Thesaur. tom. XLVII, pag.* 198. §. 1.

(56) *Not.* 5. *Lit.* O. *tom.* 4.

terea detrusus in carcerem, Parochiae administratione interdictus, qui a residentia saepissime discedit, otio, voluptatibus indulsit, neglexit Legatorum piorum implementum, et ad populum conciones, pueros, puellasque Catholicae fidei rudimenta docere omisit, an privandus et removendus sit a Parochiali munere; etsi defensionem ab hisce vitae ambiguis signis valide pararet? Sacro Senatui, ut differretur resolutio, ac scriberetur Episcopo juxta mentem (57), firma remanente adpositione oeconomi respondere visum fuit: *Camerinen. seu Fabridnen.* 8. *Maii* 1784. *dub.* 1.

27. Ac eidem petenti fructuum restitutionem, damnorumque emendationem, rescriptum praedictum pariter fuit: *Ibid. dub.* 3.

28. Episcopus Seduni Johannem Rodulphum Gaillard aetate gravem Ecclesiae S. Theoduli in loco Camperiaco Rectorem ab exercitio publicarum, solemniumque concionum amovit, tanquam ignarum, et indoctum, et ad Seminarium Clericorum, donec vixerit, relegavit, et ad examen synodale submisit. Verum Rectore non obtemperante, idem Antistes ei ademit potestatem administrandi in eodem loco Sacramenta, exercendique caeteras functiones Ecclesiasticas, praeter Sacrosanctum Missae sacrificium, et tandem illum declaravit a Divinis suspensum, et beneficio privavit. Sic privatus Rector ad S. C. recurrit, petens redintegrationem, et responsum tulit ut Episcopus se gerat ad formam Concilii Tridentini *Sess.* 21. *cap.* 6. *de Reform.* (58), eique scribantur juxta instructionem (59): *Sedunen.* 9. *Sept.* 1775.

§. X.

Parochus quoad Residentiam, et Absentiam.

1. Episcopus Regiensis in negotiis, in quibus opus est disceptatione majori sedem Romanam consuluit, et quaerit inter cetera, si aer loci curae esset noxius, ut absque magno vitae periculo residere aliquis posset, casu, quo non sit Parochus originarius illius loci, an alibi posset residere? non posse S. C. respondit. Si tamen Rector in-

(57) Et mens fuit, ut Episcopus ipsemet curet, quod Johannes Boccalini renunciet Beneficio Parochiali reservata tantum congrua juxta Taxam Synodalem; quatenus vero ille recuset, trasmittet processum anni 1766., et referat quonam, et qua auctoritate restitutus fuerit ad Parochiam, de criminibus illi objectis, de diffamatione secuta, et de damnis, et qualitate illarum: *in Thesaur. tom. LII. pag.* 114.

(58) Ibi „ Quia illeterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores Sacris minus apti sunt officiis; et alii, propter eorum vitae turpitudinem, potius destruunt, quam aedificant; Episcopi, etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati, eisdem illiteratis, et imperitis, si alias honestae vitae sint, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint; quacumque appellatione, et exemptione remota “

(59) Edocebatur in Epistola, ut Episcopus duos distinguat casus, ut necessaria nempe scientia Parochus careat ad instruendum populum licet bonis sit moribus imbutus: et ut ignarus simul sit, ac inhonestae turpisque vitae, ut destruet potius, quam aedificet. Hinc justum S. C. putavit, ut Gaillardum a Parochia Episcopus removerat, et aeque justum judicavit, ut praelative ei praestentur alimenta ex reditibus Parochiae, ut libere est absque conditione incolendi Seminarium vivere possit, nec victum indecenter mendicaret; ut nempe remotio consisteret, et alimentorum necessitati provideretur: de poena suspensionis a Divinis judicium S. C. non tulit, censens hanc poenam tantam in se continere vim, ut satis illum represserit, punieritque ob contemptum sui Episcopi, et ob alias vexationes, quarum est reus judicatus “ *Regist. Lit. Lib.* 33. 16. *Sept.* 1775.

firmus esset, et in loco Parochiali curari defectu medicorum, medicinarumve non posset, tunc ab Ordinario dilationem trium, vel quatuor mensium dari posse, ut in locis viciniorihus maneat, recuperandae sanitatis causa, posito interea ab ipso Ordinario in Parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex reditibus ejusdem Parochiae: *Regien. anni* 1573. *dub.* 1.

2. Insuper ad alia perspicua facienda dubia censuit S. C. solum odium non sufficere, quod si graves inimicitiae vere adsint, et post obtentum beneficium, ac sine culpa obtinentis ortae, tunc posse ab Ordinario dari ei dilationem, ut in alio loco viciniore tutiore maneant, durantibus dumtaxat ipsis inimicitiis, dummodo ultra annum non durent. Interea autem, si de Parochia agatur, ponendum in ea ab Ordinario Vicarium idoneum cum congrua portione ex reditibus Parochiae: *Ibid.*

3. Deinde putavit non esse causam habendam pro legitima non residendi, quando Rector inveniatur absque fructibus, quum essent omnes resignati fructus reservati: *Ibid.*

4. Item non posse tamquam residentes considerari eos, qui morantur in urbe, et habent curam tria, vel quatuor millia procul Civitate: *Ibid.*

5. Si esset aliquis, qui studio vacet in Civitate non posse in eadem Civitate habitare: *Ibid.*

6. Denique posita necessitate Magistri Grammaticae in Civitate non posse concedere alicui ut moratur in urbe, relicto Vicario ad curam cum salario, definitur: *Ibid.*

7. Rodoricus Pincheiro Episcopus Portugallensis, cum Parochialem Ecclesiam haberet nuncupatam Abbatiam S. Olajae Oppidi, seu loci de Constante suae dioecesis obtinuit a Sede Apostolica Vicarium perpetuum, in quem omnis cura animarum legitime translata, et Sacramentorum administratio fuit. Renunciavit postea hujusmodi Parochiam, quam in totum Gaspar Riberius consecutus est, et curam modo agit declarationis, eum non esse obbligatum ad residentiam dictae Parochiae, durante vita dicti Vicarii perpetui, in quem legitime omnis animarum cura dictae Ecclesiae Parochialis translata fuit; et S. C. sua consilia propitia pandit si modo tota animarum cura translata fuerit in hunc solum Vicarium perpetuum: *Portugallien. circiter an.* 1574.

8. Involutum dubium Vicarii Generalis, num Parochus teneretur in aedibus Parochialis Ecclesiae, seu intra limites Parochiae residere et an ad restitutionem fructuum esset adstrictus Parochus ille, qui nunquam sic resedit, licet eidem Parochiali Ecclesiae in divinis inservierit. S. C. aperuit, non teneri, sed cogendum esse in posterum residere in domo Ecclesiae, vel si Ecclesia eam non habet, in alia propinguiore intra limites Parochiae *Ravennaten. an.* 1577. *dub.* 2.

9. Petentibus veritatem S. C. ostendit, nempe compellendos Parochos esse, ut maneant in domibus Ecclesiae, si quas habent; secus in domo propinguiori intra limites Parochiae sub obtentu autem inimicitiarum minime excusandos esse, nisi obtinuerint literas à S. C., quae ubi petitae fuerint, dabuntur juxta formulam consuetam: *Faventina Decem.* 1589. *dub.* 1.

10. S. C. Episcopo rescripsit, ut hujusmodi inhibitione (Curiae nempe Metropolitanae) utpote nulla, et contra dispositionem Concilii decreta, non obstante, compelleret Curatum ad residentiam. Ad Vicarium Apostolicum Urbini scribendum a praecepto Episcopi, sive alio actu, cum procedat ad cogendos Curatos ad residentiam, non dari appellationem ad effectum suspensi-

vum, ut aperte cavetur Decreto *cap.* 4. §. *eadem tit.* 54. (60). Itaque sciat, eam inhibitionem ab Episcopo sperni posse, et propterea de cetero caveat ab hujusmodi inhibitionibus: *Feretrana* 6. *Sept.* 1591.

11. Deliberavit S. C. Parochos minime abesse absque Ordinarii licentia posse: *Abulen.* 1. *Dec.* 1593. *dub.* 2.

12. Solam distantiam loci etiam cum aequa causa discedendi non excusare Parochum, ut possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repente se offerat, quae non patiatur dilationem petendi hujusmodi licentiam decisum est: *Vicen.* 7. *Octob.* 1604. *dub.* 1.

13. Nec Parochum habentem justam causam abeundi extra Parochiam per duos menses, aut tres satisfacere suae conscientiae, si petat licentiam jurans gravem se habere eam, quam non expediat, causam manifestare; licet Episcopus non concedat. Similiter abesse non posse, si Praelatus rigidus suam causam rationabilem minus aequam judicat: *Ibid. dub.* 2.

14. Nec posse per hebdomadam abesse non petita, vel non obtenta licentia etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbando: *Ibid. dub.* 3.

15. Nec esse liberum a culpa, et a poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgenti admodum causa ad curandam suam valetudinem morbo gravi instanti recessit, et cum bona fide non petiit ab Episcopo licentiam, quia bona fides satis non est, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam, ut supra dictum est; nec sufficere licentiam tacitam, sed oportere esse expressam juxta formam ejusdem Concilii *Sess.* 23. *cap.* 1. (61).

16. S. C. cepit consilium quoad Parochos nobiles, vel graduatos, et dignitates, qui resident, et alia munia exercent, et cum licentia abeunt, cogendos esse (decrevit) ad subeunda per se ipsos, et non per substitutos ea munia, ad quae Parochi tenentur, tolerandos autem, ut per substitutos suppleant in illis casibus tantum a Concilio Tridentino permissis: *Ibid. d.* 6.

17. S. C. judicium interposuit, hujusmodi Rectorem habitare debere in aedibus parochialibus Ecclesiae si ipsa aedibus non careat: *Nullius* 6. *Apr.* 1606. *dub.* 1.

18. Necnon si intra limites Parochiae non tamen in aedibus parochialibus domicilium habuerit, fructus tamen facere suos, nec in aliam poenam incidere, quam in eam, de qua praeceptum Episcopi ad inhabitandas illius Parochiae aedes urgentis verba facit, statuit: *Ibid. dub.* 2.

19. Censuit S. C. Parochos tempore pestis teneri in Ecclesia Parochiali residere, illosque cogi debere ad praescriptum *cap.* 1. *sess.* 23. *de reform.* (62), et Parochiae incolis peste laborantibus Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae per se, vel alios idoneos omnino ministrare, et supradicta esse significanda Archiepiscopo, et aliis Episcopis per literas S. C.; factaque relatione Sanctissimo Domino Nostro approbavit: *Mediolanen.* 13. *April.* 1630.

20. S. C. commisit Archiepiscopo Pisano, ut quando constet sibi inimicitias veras esse, illasque sine culpa Oratoris ortas ad duos menses concedat Oratori licentiam petitam, et pro dictis inimicitiis sedandis se interponat: *Pisana* 14. *Decem.* 1630.

21. Rectores Ecclesiarum Parochia-

(60) *Vide not.* 147. *tom.* 1. *pag.* 111.

(61) *De Reform.* ibi „ Discedendi autem „ Licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant “.

(62) *Vide not.* 2. *pag.* 2.

lium Religionis Montisianae ad praescriptum Sacr. Concil. *cap.* 1. *sess.* 23. *de reform.* (63) adigi debent ad residentiam: *Derthusen.* 27. *Maii* 1634. *dub.* 10.

22. Judicium fuit S. C. concedere facultatem petitam pernoctandi extra Parochiam, sed jussit dari literas Episcopo, ut ex causis expressis eidem commutet Parochiam: *Militen.* 1. *Decem.* 1635.

23. Habentes curam animarum praesertim in Ecclesia S. Stephani ad continuam residentiam juxta formam Sacri Concilii (64) esse cogendos firmavit: *Adrien.* 14. *Martii* 1637. *dub.* 2.

24. Intemperiem, ac insalubritatem acris non excusare a residentia definire S. C. placitum est: *S. Agathae Gotorum* 16. *Mart.* 1641.

25. S. C. Episcopo commendavit, ut veris existentibus inimicitiis per Agatium Sergium Curatum Saluti, et per Fabium Sergium Curatum Pervocati suppositis, et quando absque Oratorum causa provenerint, pro suo arbitrio indulgeat eisdem, ut per sex menses extra eorum residentiam abesse valeant, constitutis interim idoneis Vicariis ab eodem Episcopo approbandis, qui curam animarum laudabiliter exerceant, et dummodo intra dictum tempus vel inimicitias componere, vel Ecclesias resignare curent: *Militen.* 15. *Octob.* 1644.

26. Aeris intemperiem non excusare Parochum a residentia statutum est: *Nicien.* 4 *Aug.* 1646.

27. Injungitur Episcopo, ut si inimicitiae non possint componi omnino provideat, vel mediante resignatione, vel aliis modis a jure permissis, ut Orator personaliter resideat ad formam Concilii (65): *Civitatis Ducalis* 26. *Apr.* 1653.

28. Ad evadendas Turcarum invasiones populus terrae Miliarinae confugit ad terram Insulae. Episcopus Ecclesiam Parochialem S. Jo. Baptistae Miliarinae univit alteri Parochiali S. Jacobi alterius terrae. Ad patrios inde lares paulatim redivit Populus. Harum Parochialium petita proinde fuit dismembratio, quae a S. C. fuit denegata. Nunc exquiritur, num Parochus residere in terra Miliarinae teneretur? non teneri fuit declaratum: *Lunen. Sarzanen. Dism.* 3. *Martii* 1703 *dub.* 2.

29. Matthaeus Angelus Scalfati Rector Ecclesiae Parochialis S. Felicis Universitatis Paganorum licet habeat alios quatuor Concuratos tenetur ad residentiam ad formam S. C. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Refor.* (66). *Nucerina Paganorum Resid.* 19. *Maii* 1708. *dub.* 1.

30. Parochus Villae Lapidiae antea in Ecclesia S. Michaelis Archangeli curam animarum exercebat. Haec inde collapsa est, hac de causa in Ecclesia seu Oratorio Societatis S. Bernardini suo munere fungitur. At restaurata prima incertum est, an, et in qua Ecclesia ex praedictis Parochus residere teneatur? rescribitur in Ecclesia S. Bernardini. Haec enim intus Villam Lampridiam adest, ubi Vice-Curatum retinere obstrictus erat: *Spoletana Paroch.* 16. *Nov.* 1715. *dub.* 2.

31. Quum Pagus de Marcinelle ad secundum esset ab urbe Caroloregii lapidem, ubi non adest Pastor animarum curae; sed Pastori Ecclesiae Marcinelle subest, scire exoptatur, quomodo provideretur circa Parochi praedicti de Marcinelle residentiam? S. C. Vicarii in oppido Caroloregii deputationem jussit: *Leodien. Jur.* 17. *April.* 1734. *d.* 2.

32. Felix Perez Parochus Ecclesiae oppidi de Tamarit facultatem ab Archiepiscopo residendi in loco de la Rie-

(63) *Vide not.* 2. *ibid.*
(64) *Vide not. ut supra.*
(65) *Vide not. ut supra.*
(66) *Vide not. ut supra.*

ra, sito intra limites Parochiae, ubi adest Vicarius ad curam animarum exercendam ob distantiam duorum millium ab Ecclesia Parochiali consecutus est. Causa hujusmodi veniae fuit aeris intemperies ejusdem Villae. At ab Archiepiscopo successore coactus deinde fuit ad residendum in aedibus Parochialibus Villae de Tamarit, et eo reclamante S. C. decidit eum teneri ad morandum in aedibus Parochialibus non obstante Archiepiscopi Antecessoris licentia: *Tarraconen. Resid.* 24. *Martii* 1736. *dub.* 1.

33. Jo. Faner Parochus Villae Alayor a Clero tam saeculari, quam Regulari insulae Minoricae ad urbem missus fuit, ut quaedam gravia negotia ex antiquae regulae forma, toto semper orbe servata pertractaret, hisce expletis, et post lapsum sedecim annorum in suam Paroeciam ad reversionem faciendam indiligens fuit, et tum patrocinium motae litis, tum inimicitias cum Praesidibus Anglicanis Insulae Minoricae ad absentiam excusandam in S. C. deduxit, et ponderato dubio, an Parochus praedictus ad residentiam teneatur? definitio fuit protelata, et rescriptum ad mentem. Lis enim agebatur super beneficio ab illo possesso, inimicitiae haud comprobatae fuerant: *Majoricen. Resid.* 20. *Decem.* 1738. deinde causa reproducta rescriptum est ad Card. Praefectum juxta mentem: 10. *Jan.* 1739.

34. Thomas Gregorius Parochus Ecclesiae S. Mariae in Coelum Assumptae Vici nuncupati Collis Campi Rasci, quamvis major numerus Parochiae incolarum in Vico Scandolarii inhabitet, ubi etiam extat Ecclesia S. Sebastiani, in qua asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, residere tenetur diu, noctuque in aedibus parochialibus ejusdem Ecclesiae: *Fulginaten.* 19. *Aug.* 1752. *dub.* 1. *confir.* 12. *Maii* 1753.

35. Dum Jo. Dominicus Fabianus Parochus factus ob avunculi resignationem ad residentiam Lunii properavit, ut invisus populo fuit rejectus; incertum est, quomodo sit providendum? et respondit ad mentem, firma remanente deputatione Vicarii a D. Secretario electi: *Alerien.* 30. *Julii* 1757.

36. Ignatius Antiochus Garau Rector Parochialis Ecclesiae supplicavit, ut a residentiae onere dispensaretur mensibus aestivis, ob insalubrem Parochiae aerem, suique corporis gracilitatem. Episcopus testimonium referebat medicorum, qui fatebantur ibi aestivis, autumnalibusque mensibus non sine vitae discrimine morari. Intendebat item Episcopus, aeris intemperiem Parochum a residentia non excusare. Relata causa ad S. C. placuit statuere, ut Ignatius Parochus oppidi de Senorbi, et Arixi tempore aestivo, et autumnali ob aeris inclementiam discedere non posset ab iisdem locis, sed ut daretur Decretum ad formam Algarensis (67): *Calaritana* 8. *Maii* 1762.

37. Parocho Evangelisti indultum absentandi a sua Parochia in loco Provertii posita per triennium concessum fuit. Exposuerat enim nullam adesse non solum Parochialem, verum etiam conductitiam domum ad habitandum idoneam, et vicinitatem loci praedicti ab

(67) 13. *Martii* 1762. hisce verbis „ Pro gratia ad quatuor menses aestivos currentis anni tantum, comprehensis Conciliaribus, arbitrio Episcopi, cum obligatione commorandi in locis Parochiae proximioribus non infectis aeris intemperie, quatenus ex iis in occurrentibus Solemnitatibus, vel necessitatibus, sine detrimento propriae valetudinis accedere possit Orator ad consulendum Parochianorum indigentiis deputato idoneo Vicario ab Ordinario approbando, qui resideat et curam animarum. ac Sacramentorum administrationem laudabiliter exerceat. “

Urbaniae civitate, ubi residebat. At populo expostulante, eum ipse munus Vicarii Generalis in dicta Urbe obiret; S. C. censuit locum esse moderationi indulti triennalis concessi eidem Parocho super dispensatione a residentia, et ad D. Secretarium pro praefixione termini: *Urbanien.* 4. *Januar.* 1764.

38. Card. Episcopus Portuensis in relatione Status suae Ecclesiae exposuit, quod Parochi suae Dioecesis ex immemorabili consuetudine fere omnes, ut plurimum aestivo tempore obtenta ab Ordinario licentia, ac idoneo pro animarum cura Sacerdote deputato, ne cum majori parte Parochiae incolarum ob veneficum aerem mortem subire cogantur, quatuor mensibus a suis Ecclesiis abesse sueverunt; re examinata ita in S. C., an, et quomodo propter aeris intemperiem sit providendum? rescriptum est, arbitrio Card. Episcopi ad decennium, et in reliquis detur decretum ut in Algaren. (68): *Portuen. Visit. SS. LL.* 8. *Aug.* 1778. *dub.* 1.

39. Jussit Tyburtinus Episcopus, ut Jo. Baptista Ciucci Parochus Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis in terra Anticuli Corradi domum ad eamdem Paroeciam spectantem restauraret, mox illam incoleret. Conquestus de hoc praecepto Cinccius rem detulit ad S. C., quae decrevit non licere eidem Parocho habitare in domo paterna juxta modum (69): *Tyburtina Resid.* 29. *Julii* 1786. *confirmat.* 3. *Febr.* 1787.

Participantes *Vide Presbyteri.*

Participatio *Vide Presbyteri* §. 2.

Paschale Praeceptum, *Vide Praeceptum.*

Patrimonium Clericorum.

1. Firmatur ordinatum ad Sacros ordines ad titulum patrimonii ne dum sine licentia, sed etiam cum venia Episcopi illud alienare non posse antequam beneficium Ecclesiasticum sit sufficiens adeptus, vel aliunde habitat, unde honeste vivere possit. *Taurinen.* 2. *Sept.* 1604.

2. Censuit S. C. patrimonium, ad cujus titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia Episcopi permutari cum aliis bonis liberis non minoris reditus, aut valoris, sed debere Episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris patrimonii, itaut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a Concilio praescripta (70): *Terracinen.* 20. *Julii* 1019.

3. Statuit S. C. eum, qui de facto alienavit patrimonium ad cujus titulum ordinatus fuerat nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem, ut proponitur, factam, esse ipso jure nullam: *Cajacen.* 6. *Martii* 1638.

4. Cum actum fuerit de Clerico, qui nullum beneficium habebat, nec praeter bona patrimonii sacri, alia possidebat, ex quibus sustentari posset, et in emphyteusim perpetuam absque Episcopi licentia eadem bona concesserat cum reservatione annui canonis, qui fructibus responderet. Latebat, an hujusmodi contractus sustineatur non obstante dispositione sacri Concilii Trid. *cap.* 2. *sess.* 21. *de reform.* (71)? et rescribitur, secundum ea quae proponuntur contractum concessionis in emphyteusim absque licentia Episcopi factae non esse validum: *Parmen.* 20. *Julii* 1641

(68) *Vide not.* 67. *praecedentem.*

(69) „ Nempe praefigatur Parocho ab Episcopo congruus terminus ad restaurandam „ Domum Parochialem, quo elapso inhabitare teneatur. " *Ead. Caus.* 29. *Julii* 1786.

(70) *Sess.* 21. *Cap.* 2. *de Reform.*, ubi habentur, quod Patrimonia Clericorum „ sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint: antiquorum Canonum poenas super his innovando. "

(71) *Vide not. praeced.*

5. Oblato Libello S. C. pro explanatione, an dispositio sacri Concilii *in Cap.* 2. *Sess.* 21. *de reform.* (72) prohibens alienationem patrimonii Clericorum absque Episcopi venia extendatur ad fidejussores per eosdem Clericos factas itaut respectu dicti patrimonii obligatio non sustineatur? extendi etiam ad Fidejussiones juxta tamen distinctionem factam in declaratione ejusdem S. C. tenoris seq. Die 15. Febr. 1604 censuit S. C. neque in hujusmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum necessariis executioni locum esse; licere autem capere in causam judicati eam fructuum ratam partem, quae tot annis superesset, praeter eam, quae ad ordinati conservationem non laute, sed tenuiter vivendo, Judicis ecclesiastici arbitratu fuerit necessaria. Posse autem ipsum creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad creditorem, uti re haereditaria pertinebit. *Nullius Patrim. Sacr.* 15. *Mart.* 1642.

6. Declaravit S. C. renunciationem patrimonii ad cujus titulum Clericus sacris ordinibus fuit initiatus absque licentia Episcopi factam validam non esse etiam post consecutionem beneficii ad ejus vitam sufficientis: *Aquilana* 24. *Febr.* 1652.

7. Ad examen in S. C. revocati fuerunt contractus celebrati a Clericis de bonis patrimonii sacri, hinc disputatum est, an Presbyter possit absque licentia Episcopi donare patrimonium, ad cujus titulum est ordinatus reservato sibi usufructu ad vitam? responsum prodiit non posse: *Dubium Patr.* 10. *Ottob.* 1676.

8. Instante Josepho Greco examinatum fuit, an qui patrimonium suum, ad cujus titulum est sacris ordinibus initiatus, alienare possit, si aliunde se sustentare valeat, et quatenus affirmative; an Episcopi licentia sit necessaria secundum disposita per Concilium *Sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* (73)? et rescriptum est danda esse decreta alias edita tenoris sequentis. Quaeritur an verba illa Concilii *Sess. et Cap.* praedictis, atque illa deinceps alienare etc. ita intelligenda sint, ut post quam Ordinatus adeptus fuerit beneficium, vel aliunde habeat, unde commode vivere possit, requiratur etiam licentia Episcopi, die 6. *Aug.* 1602. censuit requiri licentiam, quamvis Ordinatus sit adeptus beneficium: *Bitecten.* 16. *Novem.* 1686. *dub.* 1. et 2.

9. Sequens agitatum fuit dubium: An bonis ad commodam conservationem postea quaesitis, vel beneficio sufficienti adepto, statim patrimonium evanescat, vel potius requiratur expressa subrogatio bonorum, seu beneficii assequuti ab Episcopo facienda loco patrimonii, qua subrogatione expresse non facta patrimonium adhuc vigeat, nec expiret clausula, donec, et quousque fuerint de aliquo beneficio Ecclesiastico provisi, vel aliunde habuerint, unde commode vivere possint, non obstante? voluit S. C. ut darentur Decreta (74): *Dubium Patrim. Sacri* 12. *Julii* 1687.

(72) *Vide not. praeced.*

(73) *Vide not. praeced.*

(74) Nempe *in Oretana Augusti* 1604. *lib.* 14. *Decret. fol.* 70. *et seq.*, *et in Terracinen.* 20. *Julii* 1619. in quibus responsum fuit, titulum, et privilegium patrimonii ordinati, non extingui, quamvis ordinatus acquirat beneficium, nisi fiat ab Episcopo subrogatio. Hinc Monacell. Formul. *Leg. Pract. For. Eccl. tit.* 3. *form.* 18. *num.* 1. *ait* „. At per simplicem acquisitionem beneficii Ecclesiastici, sive aliorum bonorum, non extinguitur titulus patrimonii antea assignati, nec perdit exemptionem a gabellis, neque revertitur ad constituentem: sed est necesse quod ab Episcopo sive ejus Vicario Gene-

10. Dubio relato an a beneficio, ad cujus titulum, quis ordinari intendit detrahenda sint omnia Missarum eidem adjecta, vel potius, ejs non detractis, faciendus sit calculus omnium fructuum ad constituendam summam a synodali constitutione requisitam? et responsum datur negativum nisi in fundatione cautum sit, ut in casu impedimenti teneatur per alium celebrare, et donec ascendat ad Sacerdotium, pro rata parte Missarum, aliunde habeat, quo vivere possit: *Tyburtina* 8. *Julii* 1690.

11. Thomas Galeottus patrimonium habuit cum conditione, ut duraret, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens obtineret. Habuit Canonicatum Ecclesiae Cathedralis reditus 60. scut., et dubiis exortis, an ipso jure reversum dicatur patrimonium? et quatenus affirmative.

12. An subripiendum collectis? S. C. hujusmodi instantiam remisit ad Episcopum pro declaratione prout de jure (75): *Tolentinaten. Rev. Patr.* 10. *Maii* 1692. *dub.* 1. *et* 2.

13. Facta est controversia, an in re, de qua nunc agitur, aliquid fuisset a Const. *Speculatores* Innoc. XII. Pont. Max. anno 1694. (76) publicata innovatum; et dubio discusso, an onera Missarum sint detrahenda a reditu beneficiorum ad effectum constituendi summam in Constitutione Synodali descriptam pro titulo, seu patrimonio Clerici, etiam in vim novissimae Const. Sanctissimi Domini nostri (77)? et rescribitur dandum esse decretum (78): *Signina Ordinat.* 14. *April.* 1696.

14. Suanensis Episcopus sua auctoritate aliquos ex censibus ex piis Fi-

rali, Beneficium (ut cumque ad victum sufficiens) sive bona per ordinatum acquisita specifice subrogentur ad instantiam ordinati, aut aliorum interesse habentium loco patrimonii, cum ad eumdem Episcopum spectet recognoscere, an Beneficium, sive bona ordinato perventa sint tuta, et sufficientia ad congruam illius sustentationem, ut rejecta contraria sententia, quam tenent Garz. *de Benef. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 186., et alii, apud Bonac. *de Sacram. Ordin. disp.* 8. *part.* 5. *num.* 41 firmant de veriori Barbosa *de offic et potest. Episc. alleg.* 19. *num.* 90. (*et ad Sess.* 21. *cap.* 2. *Concil. Trid. verb. Donec beneficium Ecclesiasticum*) Nicol. *Lucub. Can. lib.* 1. *tit.* 7. *de renunc. n.* 5. *Ventrigl. prax. part.* 1. *adnot.* 42. §. 2. *num.* 3. Ubi quod haec sententia in praxi servetur, *Panimol. dec.* 6. *annot.* 3. *n.* 6. Ubi Decretum S. Congr. Immunit. alleg. eod. S. Congr. *in Firmana* 10. *Julii* 1640. *lib.* 3. *Decret. fol.* 123. *Civitatis Castelli* 5. *Maii* 1648. *lib.* 4. *fol.* 49. *a tergo* " Et idem Autor *cit. Oper. tit.* 13. *form.* 3. *num.* 18. subjungit. ,, Qui vero titulum habet patrimonii constitutum sub conditione *donec, et quousque provisus fuerit de Beneficio Ecclesiastico, aut aliunde habuerit unde commode sustentari valeat, quo casu eveniente Patrimonium redeat ad constituentem absque alia declaratione:* non dicitur spoliatus neque privatus titulo, quamvis beneficium vel bona acquirat, sed viget patrimonium, ut prius, non obstante conditione praedicta, donec ab Episcopo non fiat subrogatio, sic declaravit Sac. Congr. Conc. 12. *Julii* 1687., in qua confirmavit decreta olim emanata *in Terracinen.* 8. *Aug.* 1602. *et* 20. *Julii* 1619., et nuper in *Senogallien.* 20. *Junii* 1705. *ad* 4., et haec addenda sunt aliis auctoritatibus quas retuli *tom.* 1. *tit.* 3. *adnot. ad form.* 18. *num.* 1. "

(75) *Vide not. praecedentem.*

(76) *Die* 4. *Novem. Bull. Rom. Tom. IX. pag.* 374. in qua §. 3. decernitur, neminem subjecionem ad effectum suscipiendi Ordines illius Episcopi, in cujus dioecesi beneficium situm est, acquirere, ,, Nisi beneficium praedictum ejus sit reditibus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Dioecesi obtineret. "

(77) *Vide not. praec.*

(78) Vide *Tyburtina Ordinationis* 8. *Julii*

delium eleemosynis constitutis in summa annua ducatorum 5. assignavit in supplementum patrimonii sacri cujusdam Clerici Mecuccini. Communitas terrae Proceni Ecclesiae B.M. V. de le Piane, cui fideles eleemosynas deferunt, patrona hos census nulliter assignatos esse contendit. Quaesita S. C. dictam assignationem minime sustineri declaravit: licet Episcopus Mecuccinium singulis Dominicis, Festisque diebus ad celebrationem Missae in ea Ecclesia vigore assignationis obligaverit: *Suanen.* 17. *Julii* 1702.

15. Ob excessivum Ecclesiasticorum numerum, qui exempti sunt a collectarum solutione Communitas Rocchae Contratae causa ejusdem gravis damni assiduas querelas jacet. Et S. C. sua consilia dispensavit, nempe non esse moderandam taxam synodalem Senogalliae, per quam constituitur patrimonium Presbyterorum in quodam anno reditu scut. 40. monetae Romanae: *Senogallien.* 27. *Junii* 1705. *d.* 1.

16. Nec licere Ecclesiasticis in constitutione patrimonii assignare bona praeter taxam a Constitutionibus Synodalibus praescriptam. *Ibid. d.* 3.

17. Ac impetrato beneficio bona in titulum patrimonii ante assignata redire ad primaevum statum facta prius subrogatione per Ordinarium: *Ibid. d.* 4.

18. In casu autem, quo beneficii proventus non sufficiant ad integram conservationem provisi redeunt ad primaevum statum tot bona pro rata parte fructuum beneficii obtenti, facta subrogatione pariter per Ordinarium: *Ibid. dub.* 5.

19. Julius Caesar Raggioli reliquit loca montium pro fundatione meri legati pii Missarum, et Stephanum Mazzarelli praedilexit, ut etiam possit ei deservire pro patrimonio sacro. Hic sub praetextu, quod testatoris permissu Capellaniam in patrimonium Ecclesiasticum quocumque onere solutum obtinuisset, instante Rev. Fabrica S. Petri resolvit S. C. oneri Missae quotidianae dictum Ecclesiasticum patrimonium subjacere: *Romana Celebrat. Miss.* 13. *Junii* 1711.

20. Postquam Petrus Placentinus in suo condito testamento Alexium de Amaris ad Capellanias erigendas nominaverat cum venditione Locorum Montium vocabilium; adhuc vivens eidem Alessio assignavit fructus 10. LL. Montium non vacabilium pro Patrimonio Ecclesiastico ea conditione, ut aliunde provisus dimittere teneatur. Post ejusdem Petri obitum haeres urget, ut Loca Montis non vacabilia constituta pro patrimonio sacro, et ab Episcopo adprobato dimittat., et S. C. quaesita dimittere ea subrogato scripto ritu Apostolico teneri praecepit: *Romana. seu Nepesina Patrim. Eccles.* 27. *Junii* 1711.

21. Archangelus Tramazzius Clericus Romanus cupiens initiari ad titulum simplicium beneficiorum, quae in Dioecesi Agathopolis obtinuit, literas testimoniales a Vicario Urbis monentes eum de congrua more Romano re-

1690. *num.* 100. Et Giraldi (*Exposit. Jur. Pontif. Part. II. sum. Const. Apost. ad Concil. Trid. pag.* 873.) ait: „ Quod post publicationem cit. Const. *Speculatores*, usque a *die* 14. *Aptil.* 1695. vivente adhuc ipso Innoc. XII. Legislatore, pluries exorta fuit controversia, an ab eodem Const. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum missarum beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur, annexarum, ad effectum constituendi summam taxae in Synodo praefinitae, sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium; libratisque in Cong. Concil. rationum momentis, hinc inde militantium, respondit, id in utroque casu relinquendum esse arbitrio Ordinariorum, ut videre est *in Thesaur. resol. etc. Vid. not.* 310. *tom.* 2. *pag.* 260.

quisita sub poenis in Constitutione Innocentiana contentis habuit. Ordinatus fuit illorum titulo, et cujusdam Capellania cum onere diuturni servitii Ecclesiae Sanctissimae Annuntiationis Urbi Agathopolis. Accessit inde ad Urbem, ubi celebrare inspecto Romano ritu de patrimonio Clericorum non valuit, et S. C. invocavit, quae suspensionem incurrisse, et pro absolutione et dispensatione ad annum, et interim curet de supplemento patrimonii juxta taxam Romanam (79) provideri, respondit *die* 28. *Novem*. 1711. Rediit inde, et S. C. recessit a decisis, eum non incurrisse censuit, praestito tamen juramento per eumdem de permanendo in Dioecesi Agathopolis: *Romana seu S. Agathae Gothorum Patrim. et Susp*. 27. *Maii* 1713.

22. Jo. Nicolaus de Laurentiis inter Patres Societatis Jesu fuit admissus, et nondum expleto tyrocinii biennio, nec tribus emissis simplicibus votis de sui superioris licentia fuit ab Episcopo Aquilano ad sacros ordines permotus. At quum post emissa vota fuerit a Societate dimissus, et ideo suspensus ex tituli defectu supplicavit S. C. ad hoc ut a Patribus Societatis assignationem congruae alimentariae obtineret. Sed bis terque etiam rejecta petitio fuit. Preces modo instaurat rationes plures cumulans, quae a Societate elisae fuerunt, sed nihil profecit, quum dictum fuisset in decisis: *Neapolitana Cong*. 28. *Febr*. 1722.

23. Quum Ignatius Troili Maceratensis filio sacrum constituisset Patrimonium in bonis in territorio Montis Luponis Lauretane Dioeceseos, Respublica illa, quae gravibus premebatur oneribus ob Clericorum bona summam scutorum 91615. conficientia, et exempta, deprecatus est, ut declaretur promovendis ad sacros Ordines non licere bona in patrimonium extra Dioecesim assignare, quasi Episcopus extra Dioecesim jurisdictionem exerceret. Verum Patrimonia sic assignata valida esse S. C. firmavit: *Lauretana Patrim. Sacr*. 6. *Decem*. 1749. *dub*. 1.

24. Etiam patrimonia sacra assignata per promotos ad sacros Ordines in bonis sitis in aliena Dioecesi, quando tempore Ordinationis promovendi possidebat bona in propria Dioecesi firma esse statuit S. C. *Ibid. dub*. 2.

25. Sacerdos Bonifacius Reali de Monte Leone testamento jussit, ut impenderentur pecuniae in favorem haereditatis, vel in favorem presbyteri faciendi ex Domo Reali; vel ut ipse repetebat in beneficium Sacerdotis ex domo praefata faciendi, proque suo patrimonio, ipsumque Sacerdotem voluit universalem esse haereditatis dominum. Post testatoris obitum Clericus Antonius Reali a contemplatis stipitibus descendens, bonorum assignationem patrimonii titulo postulavit. Objiciebantur ei qualitatis sacerdotalis defectus. Qualitatem sacerdotalem haud solo sacerdotis vocabulo indicari, replicabat Antonius. S. hic adivit C., et patrimonio gavisus est, ad sacros ordines postea promotus. Post hujus mortem Jo. Reali frater supplicavit, ut idem patrimonium assignaretur Bonifacio suo filio, quo studiis commodius vacare possit,

(79) Canonicus Romualdus Honorante *in Praxi Secret. Urbis Vicarii cap*. 3. *not*. 3. §. *Constitutio pag*. 44. ait: Constitutio autem dicti patrimonii regulariter fieri solet ab uno ex quatuor Notariis Vicariatus, quem maluerit Ordinandus, cum directione tamen D. Secretarii ejusdem Tribunalis, nec conficitur Instrumentum, nisi recognita fuerit securitas fundi, seu bonorum assignandorum, et quod ipsorum reditus, et proventus ad scuta sexaginta monetae Romanae, deductis oneribus, annuatim ascendant, juxta stylum almae Urbis.

suoque tempore ad ordines sacros promoveri. Huic instantiae sese opposuerunt Ecclesiae {a Testatore per vices usufructuariae relictae casu, quo Sacerdos praeoptatus deficeret. In disquisitionem venit, an esset praefati patrimonii, bonorumque fructuum assignationi locus? responsum exiit negativum, et demandatum fuit, ut recurreret, tempore susceptionis Ordinis Sacri: *Spoletana Assig. Patrim.* 4. *Maii* 1763. Ad legitimam 22. aetatem annorum pervenit pro suscipiendo subdiaconatus ordine precesque integravit et ratae fuerunt: 31. *Aug.* 1771.

26. Ad titulum patrimonii sacri, quod in favore Ravennatensium ordinaverat Vincentius Mencoli, Sacris Ordinibus fuit initiatus Sacerdos Andreas Cignani qui licet provisus postea fuerit de Parochiali Ecclesia villae de Massa, illud dimittere contra fundatoris legem recusavit. Hinc Magistratus Prior, et Decanus Collegii, quibus nominatio relicta est, ad eam devenerunt, sed illi diversa sentierunt. Primus Clericum Raphaelem Cignani, secundus Clericum Nicolaum Fuschini nominavit. Facta idcircò quaestione, decretum est, locum esse nominationi dicti patrimonii sacri, licet Andreas Cignani reditus Parochiales non sufficere ad sui congruam conservationem probare cogatur: *Ravennaten. Patrim. Sacri* 19. *Julii* 1783. *d.* 1.

27. Ac esse locum gratificationi in favorem Raphaelis Cignani, quum nominatus prius fuerit, ac summa egestate prematur: *Ibid. dub.* 2.

Reliqua Vide *Capellania* §. *IX. Sacramentum Ordinis* §. *X.*

§. I.

Patronus quoad Jura, ac Praeeminentiam.

1. Joh. Antonio, et Anderae, aliisque de Incaris patronis Ecclesiae, seu Oratorii publici trium Magorum intra limites Parochiae S. Mariae Rezzonici Larii Lacus existentis, intra praefatae Parochialis Ecclesiae ambitum eleemosynas colligere fas non est: *Comen. Jur. Par.* 21. *Aug.* 1706. *dub.* 10.

2. Abusus irrepsit, ut in Ecclesia Collegiata S. Hieronymi Nationis Illyricorum Urbis, nonnulli Canonici, ac Beneficiati post adeptam possessionem residentiam deserunt. Princeps Julius de Sabellis patronus ad unum ex Canonicatibus vacantem novo nominato Canonico conditionem apposuit, ut Canonicatus vacet, si provisus per annum a residentia abfuerit. At cum de patroni facultate fuisset dubitatum, utrum id liceret patrono? ut Card. Vicarius juris remediis contra absentes procederet, responsum est: *Romana Nom. ad Can.* 3. *Octob.* 1711. *dub.* 3.

3. Occasione controversiarum, quae inter Jo. Baptistam Sagnanum Rectorem Ecclesiae Parochialis Casalis Zebbug, et servientes, sive custod. s Ecclesiarum B. M. Assumptae, et S. Rocchi agitabantur. S. C. decrevit primum electionem, et deputationem assistentium pro Diacono, et subdiacono in Missis, et Vesperis solemnibus dictarum Ecclesiarum B. M. Assumptae, et S. Rocchi ad Parochum non ad servientes, seu Custodes illarum spectare: *Melevitana Jur. Par.* 23. *Febr.* 1715. Deinde ad servientes: 22. *Junii ejusd. an.* Denique ad patronos spectare deliberavit: 20. *Sept. ejusd. an.*

4. Ad Capellam S. Erasmi Ecclesiae Cathedralis spectant libere candelabra, crux, aliaque argentea ornamenta, eorum tantummodo custodia ad Deputatos Civitatis Capellae patronos adjudicatur; quamquam ex pecunia Civitatis ea confecta fuerint: *Cajetana* 2. *Julii* 1718. *dub.* 1.

5. Item quoad duas statuas argenteas jam factas, et quoad pecuniam exactam, et exigendam ex vectigalibus,

et aliis effectibus assignatis dictae Capellae per Civitatis consilium libere ad Capellam, custodiam vero earumdem, et redituum administrationem ad Deputatos spectare deciditur: *Ibid. d.* 2.

6. Dubium, an jus praesentandi ad Capellaniam, seu Abbatiam ab Hercule Murgia in Ecclesia S. Mariae de Platea Coriolani fundatam privative ad familiam Murgia, seu cumulative etiam ad familiam Interzato, et Mannarino spectet? S. C. ad suos Judices pro solutione remisit: *Rossanen.* 20. *Januar.* 1725. *dub.* 1.

7. Cum Capellaniae fundatae tum a Josepho Delgrado, tum a Laurentio de Avila conferantur etiam non habentibus aetatem requisitam pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis; S. C. idcirco decrevit nominationem Capellanorum Interinorum spectare ad patronos, non autem ad Ordinarium ex vi assertae consuetudinis Dioecesis: *Angelopolitana Cap.* 5. *Apr.* 1732. *dub.* 4.

8. Patres S. Francisci terrae Argentae ad eorum libitum possunt amovere ab Altari Sanctissimae Conceptionis in eorum Ecclesia a familia de Martiis erecto, statuam B. M. V. petita prius, licet non obtenta, licentia a patrono; non autem crucem et candelabra insimul alligata dissolvere, aliaque supellectilia sacra a patrono facta pro usu dicti Altaris alio asportare invitis ejusdem patronis: *Ravennaten. App. Miss.* 12. *Aug.* 1787. *dub.* 5.

9. Clericus Joseph Maria Brozza opera ejusdem genitoris praesentationem de jure patronatus beneficii Simoniace a fundatore ac patrono Luca Peretti obtinuit. Clericus inde patronum mente volventem susceptam opinionem deponere, ut interficeret, aggressus est, ideo praedictus patronus tam ratione Simoniae, quam ingrati animi gratia facultatem postulat nominandi alium sibi benevisum, et rescriptum prodiit, ad Episcopum prout de jure: *Salutiarum Benef.* 1. *Julii* 1741.

10. Posteaquam a Margarita Testa, uti Matre, et tutrice Dominici, et Mariae Caeciliae pupillorum, ad quos pertinet juspatronatus duarum Capellaniarum amovibilium, quae fundatae existunt in Ecclesia Parochiali Divi Nicolai Oppidi Scheggini, nominatus fuerat Sacerdos Dominicus Antonius Amicius Capellanus, hic plurima bona eisdem Capellaniis supposita distracta, ac alienata fuisse a Felice Testa comperiit, ac reductionem Missarum postulavit. Patrona vero rogavit, an ei liceat, aliisque suis successoribus dictum Capellanum removere inconsulta S. C., quae instante Capellano, ne possit sine causa amoveri, circumscripta nominatione novi Capellani, et ut scribatur Episcopo pro nova informatione, et voto juxta instructionem resolvit: *Spoletana Capellan.* 28. *Mart.* 1744. *dub.* 4.

11. Dubium examinari opus fuit, an a Patribus Carmelitis Oppidis Vulturis apponi testatoris Johannis Augustini de Cappellis Stemma super parietes Conventus, et Ecclesiae possit, ac etiam innovari, vel destrui in eisdem absque consensu patronorum pro tempore, et eorum Stemma absque istorum consensu noviter depictum super dictos muros sit delendum, vel insimul ponendum etiam Familiae fundatoris stemma? S. C. rescripsit dilata, et ad mentem: *Januen. Capell.* 26. *Febr.* 1752. *dub.* 7. Deinde S. C. declaravit lapides, quibus onera Patrum Carmelitarum Conventus Vulturis inscripta sunt, et celebriori loco in obscurum ab ipsis translati restituendi sunt eodem, quo erant, loco usque a fundatione dicti Conventus, et Ecclesiae, juxta voluntatem supradicti Johannis Augustini, et Johannis Baptistae Germanorum fratrum de Cappellis testatorum: 25. *April.* 1752. *dub.* 5.

12. Fratres Perucca beneficio instituto in Ecclesia S. Jo. Baptistae Ceresati ad juspatronatum passivum ejusdem vocavit omnes descendentes, dummodo capaces essent, et in tenera aetate etiam existentes. Ob id patroni supplicarunt, ut nominatio fieri posset de puero etiam lactenti, qui in agnatione esset, et novam dotem scut. 600. in censibus, quae scut. 30. reddunt, obtulerunt, ut voti compotes evaderent; sed S. C. preces non admisit: *Vercellen.* 9. *Aug.* 1766.

13. Capellaniae a Maria Angela Picucci institutae patronatus Clarae Trovarelli a fratre Francisco, qui nullos habebat filios concessus fuit; inde petita fuit facultas in posterum eligendi aliquem Capellanum ex suis filiis, quin obstricta sit Presbyterum Congregationis Presbyterorum Secularium, et Regularium pro ut testator praeceperat, nominandi. Descendentia enim familiae testatoris extincta erat. S. C. autem nulla capta resolutione responsum retulit, ut Oratrix utatur jure suo: *Firmana Capell.* 20. *Januar.* 1781.

14. Jo. Baptista Vittori patronus Altaris Majoris Ecclesiae Cathedralis, petiit, ut Stemma suae Familiae, quod ab illo Episcopus ob facilioris restaurationis Ecclesiae commodum amoverat, reponeretur ibidem ad ostendendum familiae patronatum, et quod suis sumptibus Majus Altare fuit restauratum, et impetravit: *Balneoregien.* 29. *Novem.* 1783. *dub.* 2.

15. Quum familia de Rubeis gaudeat patronatu Capellae S. Bartholomaei Ecclesiae Archipresbyteralis terrae Varceni, licet eidem Familiae infra ambitum dictae Capellae retinere scamna, et sedilia dummodo divinis ea non praestent impedimentum, et juxta hunc modum recedendum est a decisis sub die 24. Novem. 1781. quoad dictam familiam: *Alatrina* 7. *Maii* 1785. *dub.* 2. Deinde recessit a decisis, et remisit arbitrio Episcopi: 26. *Novem. ejud. anni.* Postmodum stetit in secundo loco decisis: 16. *Decem.* 1780. et iterum stetit in secundo, et quarto loco decisis: 7. *Julii* 1787.

16. Patronis Rectoratus instituti per Borromaeum Accursi in Ecclesia SS. Conceptionis Montis Milonis, qui accepto pretio cesserant juspatronatus Canonico Antonio Assortati, ob revocatam cessionem, et restitutum pretium, permittitur nominatio ad eumdem Rectoratum, nec factus est locus devolutioni nominationis: *Maceraten. Jusp.* 22. *Aug.* 1795.

17. Quum Capellania fundationis Petri Andreae Marinucci declaretur Laicalis, sed retineri non posse a Laico, et foemina, quia testator Sacerdotes in Capellanos nominavit, decisum deinde est, non licere patronis manualem solvere eleemosynam Capellano, sibique retinere superextantes reditus: *Montis Alti Capell.* 22. *Aug.* 1795. *d.* 2.

18. Jus autem nominandi spectare resolvitur pro duabus ex tribus vocibus ad Elisabetham Marinucci, unicae supertiti ex familia Johannis Antonii, et Gregorii Marinucci, quibus duplicem fundator attribuit vocem, excluso pro tertia voce Valentino alterius non vocatae familiae Marinucci: *Ibid. d.* 3.

§. II.

Patronus quoad Onera.

1. Episcopus in Visitatione Villae Belloculorum Communitatem patronam, hominesque dictae Villae assignare dotem Ecclesiae Parochialis S. Sebastiani teneri, ut in fundatione promiserit, mandavit. Expostulavit Communitas, et praesumptionem induci post lapsum annorum 257. conventionis, qua pro dote Capellanus Curatus decimas percipiat, et aere suo Communitas ceteris Ecclesiae indigentiis supplere tenea-

tur, asserit. S. C. autem Episcopi decretum ratum non habuit, firmo remanente onere Communitatis pro manutentione tam Ecclesiae juxta solitum, quam congruae Parocho debitae: *Fanen. Exeq. Decr. S. Visit.* 22. *Nov.* 1760. *dub.* 4. *confirmat.* 28. *Febr.* 1761.

2. S. C. decidit patronos publici Oratorii in Oppidi Castri novi Foliani agro siti occasione ejus Festivitatis non teneri invitare Archipresbyterum Ecclesiae Parochialis dicti Oppidi pro celebratione Missae cum cantu, et interventu Sacerdotum in choro sine tamen assistentia Diaconi, et Subdiaconi: *Placentina Fest.* 14. *Apr.* 1764. *d.* 1.

3. Neque iidem patroni in prima Dominica Octobris, in qua celebratur festum B. M.V. Sanctissimi Rosarii in Parrochiali Ecclesia, occurrente festo S. Francisci celebrando in praedicto Oratorio, tenentur illud in aliam diem transferre: *Ibid. dub.* 2.

4. Societas S. Laurentii terrae Tophiae, jurepatronatus Canonicatus Ecclesiae Collegiatae dicti loci gaudens supplere fundum illius Praebendae usque ad annua scut. 30., et in eadem summa manutenere adstrictus est. Ad scut. 20. enim reditus illius decreverat: *Nullius seu Farfen. Canon.* 16. *Junii* 1770. *dub.* 2.

5. Necnon hujusmodi supplementum solvendum etiam est a die motae litis a praefata Societate pro annis praeteritis, in quibus Capitulum minime integre dicta annua scut. 30. sumpsit: *Ibid. dub.* 3.

6. Ad patronos spectat reaedificatio Capellae S. Nicolai de Bario, et S. Antonii Abbatis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Majoris Urbis Alatrinae, non autem ad Capellanos, qui ex eorum fundationibus vix congruam conservationem percipiunt: *Alatrina Reaedifi. Cap.* 29. *Julii* 1775. *dub.* 1.

7. Ac Episcopus praefigat terminum patronis, quo elapso, procedat prout de jure: *Ibid. dub.* 2.

8. Vincentius Cataldius cujusdam beneficii patronus, qui fructus illius tempore vacationis percepit, ad refectionem domus ruralis, quae ruinam ob reparationes omissas minatur, adstrictus est: *Asculana* 6. *Maii* 1786. *d.* 2.

9. Capellaniae taxative fundatae a Leonilda Gervasi patronus Franciscus Xaverius Acciajoli ob assumptam ab ejus auctoribus obligationem solvendi Capellano annua scut. 32. monetae Urbini damnatur ad supplendam eamdem summam imminutam reditus fundi assignati: *Nullius, seu Terrae Nonantulae Cap.* 7. *Maii* 1791. *dub.* 1. *confirm.* 6. *Aug. ejusd. anni.*

Paupertas

Dubium, an personae, focularia Parochialis, et Matricis Ecclesiae S. Mariae Collis terrae Peschi Constantii constituentes possint dici miserabiles personae, seu quae dicendae sint personae miserabiles? S. C. non definivit sed arbitrio Ordinarii remisit: *Nullius seu Montis Casini* 2. *Januar.* 1726. *dub.* 7. *confirm.* 11. *Sep.* 1728.

Pecunia quoad Erogationem, ac Investimentum.

1. Requiritur, an in pecuniis Locorum Piorum investiendis requiratur assensus Episcopi, aut ejus Vicarii Generalis? et quatenus affimative.

2. An sit concedendus gratis? S. C. responsum edidit, ut dentur, et in futurum serventur Decreta: Amalphitana 19. Julii 1699. et 6 Febr. 1700. (80) *Sarnen.* 27. *Julii* 1705. *dub.* 1. *et* 2.

3. Pecuniae deductis oneribus superextantes ex haereditate Hyacinthi Sgambae sunt erogandae in celebra-

(80) *Vide Verb. Episcopus* §. *XVIII. tom.* 3. *pag.* 326. *num.* 27.

tionem aliarum Missarum, ultra taxatas a testatore, et ab Ordinario: *Firmana Legat.* 12. *Febr.* 1729. *dub.* 2.

4. Pecuniam, quae superest praeter subsidia dotalia a Jacopo Porphyrio relicta, et puellis nativis oppidi, vel teritorii Murri Vallium promissa, impendendam esse in locis Montium pro augendis dotibus usque ad summam a testatore praescriptam, S. C. existimavit: *Firmana Sub. Dot.* 12. *Maii* 1759. *dub.* 4.

5. Pretium duarum domorum, quae alienatae fuerunt ad quamdam Capellaniam possessam a Sacerdote Nicolao Forlani spectantes investiendum est, non autem erogandum in restaurationem aliarum domorum ejusdem Capellaniae, ac Domus coloniae, quae ruinam minatur: *Recineten.* 10. *Septem.* 1785. *dub.* 2.

6. Episcopus Narniensis occasione Visitationis comperiit, Canonicos Cathedralis pecuniam mensae Capitularis occupare consuevisse absque ulla Decessorum suorum et sua venia. Rogavit hinc ut eliminaretur hujusmodi abusus. S. C. decrevit, ut ea investimenta per eosdem fieri possent; et quoad futurum facienda, in casibus particolaribus Episcopus uteretur jure suo; et imperavit insuper, ut investimenta praeterita sustinerentur: *Narnien.* 15. *Maii* 1790. *dub.* 1. *et* 2.

§. I.

Pensio Ecclesiastica quoad Amissionem, seu Extinctionem (81) Reductionem et Applicationem.

1. Pensio haud potest ab Episcopo converti in Seminarii erectionem absque Sedis Apostolicae auctoritate: *Maurianen.* 14. *Febr.* 1625. *dub* 3.

2. Ad beneficium S. Petri collatum Georgio Enrico Kroch imposita fuit pensio Scut. 130., ad cujus ratam partem Scut. 50. Nominatus fuit Desiderius Albanus ejusdem Basilicae Beneficiatus, qui pro expeditione, aliisque indigentiis receptis Scut. 190. jus pensionem exigendi in Fratres de Barigionis cum pacto redimendi transtulit. Sed ante expeditionem cessit primus terminus, et ejus ratam partem cessionarii exegerunt. Id jurgia jactavit super extinctione pensionis, quod exacta fuit ante Literarum expeditionem, sed pacata sunt decreto, literas Apostolicas reservationis pensionis esse exequendas: *Romana Exped. Liter. Apos.* 21. *Junii* 1721.

3. Joseph de Mello Canonicus Cathedralis Ecclesiae in perpetuum Coadjutorem sibi adlegere Raphaelem Monteiro de Sylva statuit. Propterea gratiam admissionis coadiutoris, ac pensionem reservandi in favorem Francisci de Mello nepotis Josephi consecutus est. Post Josephi obitum Franciscus solutionem ejusdem exposcit. Raphael cecidisse a jure illam exigendi, quia nomen dederat Armatae Militiae Lusitani Regis, quia indultum obtentum non extenditur, *etiamsi castra sequatur*, objecit. Et S. C. revera cecidisse a jure pensionem exigendi censuit: *Ulissiponen. Orient. Pens.* 23. *Novem.* 1737. *dub.* 1.

4. Nec reductioni pensionis a Parocho Gaudentio Mossotti sibi relictae in summa 80. Scut. in resignatione Parochiae Loci Nibbiae, nec dimissioni bonorum Ecclesiae Parochialis, nec assignationi congruae 100. Scut. quam resignans Mossotti resignatario Jacobo Mariae Pottojae se dare paratum offerebat, et sibi quodcumque onus assumebat, dummodo ipse cunctos Parochialis Ecclesiae fructus, ac reditus collegisset, locum esse rescriptum fuit:

(81) *Vide not.* 51. *tom.* 1. *pag.* 245.

Novarien. 16. *Januar.* 1726. *dub.* 2.

5: Quum Clericus Philippus Pesoli, ad cujus favorem reservata fuit pensio annua 24. Ducatorum auri de Camera super omnibus fructibus, ac reditibus Canonicatus, ac Praebendae, quam idem in Ecclesia Cathedrali possidebat, et jam resignaverat, militiam saecularem in Civitate Barchinonensi assumpsisset, ideo Canonicus Praebendatus perspicuum facere studuit, an omne jus exigendi pensionem amisisset? et S. C. rescripsit, non esse locum pensionis solutioni. Etiamsi Philippus non voluntarie, sed coacte, et per dolum, fraudemque in minori aetate militarem Cingulum in se suscepisse narraverit: *Anagnina Pens.* 19. *Septem.* 1778.

§. II.

Pensio Ecclesiastica quoad Capacitatem eam assequenti ac retinendi.

1. Quaerit Episcopus examen a Sede Romana hujusce dubii, an Clericus, cui fuit reservata pensio, ex dispensatione postea eidem concessa illam retinendi, etiamsi non incedat in habitu Clericali, et Matrimonium contrahat, si idem Clericus transierit ad armatam militiam possit dictam pensionem amplius exigere? S. C. censuit, non posse pensionem exigere, nec dispensationem suffragari, nisi specifice etiam dispensetur, quoad militiam armatam: *Nicien.* 19. *Decem.* 1648.

2. Jacobus Sorbolongus Clericus Conjugatus Foro-Sempronii quatuor pensiones in summa centum triginta quinque Scutorum monetae Romanae super trium Archipresbyteratuum Ferrariensis Dioecesis ac alteram super mansionariae pariter Ferrariensis fructibus, reditibus, ac proventibus Apostolica auctoritate sibi reservatis, seu translatis annuatim percipit; verum quia tribus ab hinc annis in vexilliferum Equitum levis Armaturae vulgo Cornetta ab Alexandro VIII. Pont. Max. deputatus, et in eodem officio custodiae Sum. Pont. adhuc continuat; licet in eo, ut notum est, saeva non exerceat, supplicat propterea Orator, cui super solutione, et extinctione pensionum praefatarum nunquam fuit mota lis, pro securitate suae conscientiae aperire: an dictae pensiones valide retinere, et percipere possit itaut per exercitium supradicti Officii non possint dici extinctae? S. C. censuit Oratorem esse dispensandum, facto verbo cum SSmo, et facta relatione Sanctitas sua sententiam benigne approbavit, Oratorem absolvit ad cautelam in praeteritum, pensiones huc usque perceptas condonavit, ac in futurum cum eo dispensavit, itaut, durante servitio inter cohortes, et ad Custodiam summi Pontificis Indultum in statu Clerici conjugati ampliandum, et extendendum sit ad hujusmodi statum militarem, ac proinde pensiones praedictas percipere, et retinere valeat, ac si militiae adscriptus non esset: *Romana* 20. *Junii* 1693.

3. Card. Marescottus translationem fecit pensionis, quam sibi in majori summa fuerat reservata in favorem Galeatii Tursii pro quantitate Scut 30. annuatim. Quumque subinde fuisset Galeatius adscriptus inter Equites Levis armaturae Pontificiae, ac ulterius cogitasset de matrimonio contrahendo, indultum obtinuit eam retinendi pensionem etiamsi castras sequeretur, et non incederet in habitu et tonsura. At in dicto indulto mentio haud facta fuit, quod Galeatius tempore intermedio a translatione pensionis ad concessionem indulti fuerit inter levis Armaturae Equites adscriptus, idcirco ab exactione pensionis illo tempore se abstinuit et ob id agitatur, an illud Officium Custodiae Corporis Pontificis Equitum levis Armaturae obstet retentioni pensionis? S.C. prodiit affirmativum respon-

sum: *Romana Indulti* 7. *Decem.* 1720. *dub.* 1. *Confir.* 31. *Maii*, *et* 20. *Decem.* 1721.

4. Blasius de Clementibus vigore indulti Conclavistarum, quo elargitur dispensatio super omnibus defectibus quoad beneficiorum provisiones, ac reservationes pensionum, putans se dispensatum fuisse ab irregularitate ab eo contracta, ex quo in aetate duodecim annorum evirare se fecit ad vocem conservandam, et causa pensionem acquirendi, quam in eum Card. Petruccius summae scut. 50. super mensae Æsinae fructibus transtulit, prima tonsura insigniri curavit. Modo petiit, an indigeat dispensatione, seu revalidatione? et translationem pensionis esse convalidandam ad cautelam definitur: *Æsina Pen.* 13. *Maii* 1702. *dub.* 1. *et* 2.

§. *III. Pensio Ecclesiastica quoad Reservationem.*

1. Johannes Baptista Chircherius professionem emissurus inter Clericos Regulares Congregationis Somaschae in Collegio Sanctae Mariae Secretae civitatis Mediolani supplicavit, ut facultas sibi pensionem super quodam beneficio ecclesiastico, cujus jure praesentandi gaudet, reservandi impertiatur, ut ope illius livellum constituere possit. In precibus de ejus paupertate constat. S. C. vero distulit decretum, et ad mentem (82) rescripsit: *Comen.* 6. *Maii* 1719. Deinde non esse precibus annuendum censuit, addiditque ad D. Secretarium juxta mentem, (83): 22. *Novem.* 1721.

2. Archipresyteratum terrae Nojae renunciavit Joseph Carolus Saracino reservata super omnibus fructibus, quos ad annuos ducatos 200. ascendere expressit, pensione annua ducatorum 40. in favorem Michaelis Saracino filii fratris sui. Paullus Petronius, cui collatus fuit Archipresbyteratus cum hoc onere comperiit expressionem falsam esse quantitatis redituum, ac pensionem solvere recusavit. Nam reditus non deductis expensis ascendere vix ad ducatos 118. Opinio proinde oppidum implevit, quod pensio reservata sit contra non ad formam Concilii (84)? et S. C. opinionem suo decreto firmavit: *Baren. Pens.* 30. *Junii* 1759. *dub.* 1.

(82) „ Et mens fuit ut exquirerem a memorato San. Mem. Clemente XI., an, in hypotesi, in qua S. C. esset in sensu assignationis alicujus summae ex fructibus Beneficii titulo livelli, ipse esset, nec ne resolutionem confirmaturus, et Sanctitas Sua respondit aliud esse pensionem Ecclesiasticam aliud Livellum, et quod in puncto Livelli S. C. procederet prout de jure " *Ead. Caus.* 22. *Novem.* 1721. §. 3.

(83) Scilicet, ut reservetur pensio Scut. 12 Romanorum: *Ead. Caus.* 22. *Nov.* 1721.

(84) *Sess.* 24. *cap* 13. *de reform.* ibi „ Ad haec in posterum hae Cathedrales Ecclesiae, quarum reditus summam ducatorum mille, et Parochiales, quae summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur " Hoc decretum quoad Ecclesias Parochiales ampliatum est a Bened. XIII. *Const. Quanta Ibid. Sept.* 1724. prohibente juxta Edictum Innocentii XII. *Volendo la Santità* 11. *Novem.* 1692. Guerra *Epit. Bull. tom.* 3. *pag.* 56. per organum Datariae pubblicatum, quod in omnibus confirmat, ne locorum Ordinarii, aut quicumque alii parochialium collatores etiam juris patronatus laicalis, ullo modo, dictas Ecclesias Parochiales, quarum fructus duc. 100. non excedunt, pensionibus aggravent, neque earumdem resignationes, aut permutationes admittant cum pensione in favorem cujuscumque, et sub quocumque titulo, etiam alimentorum praestationis; et multo minus sine causa, beneficio pleno, de possessorum consensu, ex quacumque causa, vel titulo; reservata Papae facultatae easdem pensiones imponendi in favorem dumtaxat, et commodum fabricae, et ornamentorum ipsarum Parochialium:

§. *IV. Pensio Ecclesiastica quoad Solutionem.*

1. Episcopus Montis Alti, qui unitas Parochiales Ecclesias dissolvit nulliter, ex reditibus alterius Parochiae B. M. V. de Casalicchio, quae tunc vacabat, annuam pensionem scutorum 10. singulis annis Rectori, seu Parocho S. Andreae assignavit injuncto eidem onere agendi quotannis septem sacra pro benefactoribus ejusdem Ecclesiae de Casalicchio; Sed S. C. hanc pensionem firmam esse existimavit: *Montis Alti Unionis Eccles.* 5. *Decem.* 1744. *d.* 2.

2. Annuam pensionem scut. 100. ex reditibus Archiepiscopatus Florentini Pontifex in favorem adolescentis Ferdinandi Caroli Capponii Equitis Hyerosolomitani, uti expressum fuit in breve, eam non deberi nisi postquam Clericus factus fuisset, mandavit. Conditio fuit moderata, ac triennale tempus ad Tonsuram clericalem accipiendam concessum ac interim facultas fruendi pensione data fuit. Tonsuram conferre Archiepiscopus renuit, nisi Clericali veste initiaretur, et quaesitum interim fuit, an sint solvendae eidem pensiones elapsae, et decurrendae, seu obstet Breve? sed diffetur resolutio, et ad mentem dicitur: *Florentin.* 2. *Sept.* 1747. *dub.* 2.

3. Joseph Carolus Saracino reservata super omnibus fructibus, quos ad annuos ducatos 200. ascendere expressit, pensione annua ducatorum 40. in favorem Michaelis Saracino filii sui fratris Archipresbyteratum terrae Nojae deposuit. Paullus Petronius cui collatus fuit Archipresbyteratus cum hoc onere deprehendit falsum enunciasse super quantitate redituum, pensionemque solvere negavit, quia reditus non deductis expensis ascendere vix ad ducatos 118. Examen ob id necessarium fuit an eadem pensio sit solvenda in totum, vel in parte, et in qua summa? rescribitur pensionem validam esse dempta congrua conciliari pro Parocho: *Baren. Pensionis* 30. *Junii* 1759. *dub.* 2.

Pensionarius.

1. Clem. XI. Pont. Max. super fructibus Mensae Archiepiscopalis Calaritanae in favorem Josephi Pizzoli pensionem annuam ducat. 150. auri de Camera immunem ab omnibus oneribus tam impositis, quam imponendis reservavit. Archiepiscopus quoad vixit, pensionem solvit, retentis scutis tribus cum dimidio pro quolibet centenario ratione subsidii, et excusati, quo Mensa gravabatur, eo defuncto successit in Spoliis, ac jure percipiendi fructus elapsos sede vacante Ecclesia Cathedrali vigore Indulti S. Pii V. Pont. Max. Pensionarius quaestionem excitavit, ut illa rata pars ab Archiepiscopo retenta restituatur, ac immunis ab ullo onere in posterum reddatur. S. C. primum nullam dedit responsionem, ut concordetur factum coram D. Secretario: *Calaritana Pensionis* 14. *Martii* 1729. *d.* 1. *et* 2. Deinde pensionem praefatam immunem esse praeterquam quoad subsidium anni 1716. et 1717. sancivit: 14. *Maii ejusd. anni dub.* 1.

2. Necnon Mensam Archiepiscopalem teneri restituere quidquid hactenus percepit ratione dictorum onerum, ac subsidii, et excusati, exceptis praedictis annis constituit: *Ibid. dub.* 2.

3. Numerum Seminarii Alumnorum amplitudini Dioecesis imparem agnoscens Card. Tanarius illum usque ad 20. adauxit, renovavitque taxam ad rationem scutorum trium pro centenario super beneficiis Civitatis, et Dioecesis, ejusque solutioni pensionarios quoscumque obnoxios voluit. Detrectarunt nonnulli pensionarii, et causa remissa ad S. C. fuit. Quae pensio-

narios ad solutionem in favore Seminarii predicti devinctos voluit: *Veliterna Taxae Sem.* 20. *April.* 1771.

Pensiones Ordinis Hierosolymitani *Vide Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani* §. II.

Perinde Valere gratia *Vide Sanatoria.*

Permutatio.

Episcopus Aquae Taurinae demisse deposcit, ut Oppida Proceni, et Onani Status Ecclesiastici ejus Dioecesis fiant Soanensis Praesulis titulo permutationis, adjudicatis sibi aliis binis Manciani, et Capalbii Oppidis ditionis Magni Hetruriae Ducis. Primae enim terrae a suae Dioecesis, cujus Pastor est, continuatione sunt distantes, et propinquae Civitati Soanae; secus secunda Oppida finitima urbi Aquae Taurinae, et a Civitate Soanae remota. S. C. autem permutatione denegando ad mentem (85) rescripsit: *Aquipendien. seu Soanen. Permut.* 9. *Febr.* 1715.

Reliqua *Vide Beneficia Ecclesiastica* §. *VIII. Bona Ecclesiastica* §. *X. Parochus* §. *IX.*

Perpetuitas *Vide Emphyteusis* §. *III.*

Perseverantiae Votum *Vide Regulares* §. *VIII.*

Personae Ecclesiasticae *Vide Clerici.*

Pertinentia *Vide Administratio* §. *II. Eleemosynae* §. *II.*

Pia Opera *Vide Legatum Pium.*

Piae Magistrae *Vide Magisrtae Piae.*

Piae Oblationes *Vide Eleemosynae.*

Pietatis Mons *Vide Mons* §. *II.*

Plebanus.

1. Praeposito Ecclesiae Parochialis S. Georgii terrae Urbisaliae licet peragere secundam supplicationem Rogationum, et aliis supplicationibus intervenire, quae fiunt a Plebano Ecclesiae Parochialis S. Laurentii ejusdem terrae; ita tamen, ut praecedentia Praeposito in sola supplicatione secunda Rogationum, in aliis vero Plebano competat: *Maceraten. Jur. Par.* 17. *Junii* 1719. *dub.* 5. *et* 6.

2. Ac in functionibus explendis in Ecclesiis existentibus intra limites Plebaniae, vel in aliis locis tertiis, interveniente Plebano, et Praeposito, non eidem Praeposito, sed Plebano praecedentia competit: *Ibid. dub.* 7.

3. Licet vero Praeposito eidem alternatim cum Plebano in ipsius domo concionatorem tempore Quadragesimae retinere: *Ibid. dub.* 8.

4. Plebano, seu Vicario perpetuo Plebanae Ecclesiae S. Jo. Baptistae in Octavo jus, et praeeminentiam peragendi supplicationem ipso die Festo Sanctissimi Corporis Christi privative quoad Parochum Fugnani, competere S. C. definivit: *Faventina Praeemin. et Jur. Paroch.* 14. *Maii* 1746. *d.* 10.

5. Idem Plebanus S. C. interrogavit, num posset eamdem supplicationem ab Ecclesia Parochiali S. Petri Fugnani inchoare, eamque ducere per limites ejusdem Parochiae; et responsum habuit, ut solitum servaret: *Ibid. dub.* 11. Simile quoque Plebanus idem tulit responsum, dum exposuit, num ipse posset deberetque Missam solemnem in Ecclesia S. Petri celebrare, ac populo ejusdem Ecclesiae S. Petri in singulis functionibus, quae ibidem

(85) Mens fuit esse humiliter consulendum Sanctissimum, ut per Breve motu proprio Sanctitatis suae concedere dignetur omnibus Episcopis Aquipendii Palatium R. C. Apost. existen. in terra Onani Dioecesis Soanen., et facultatem abessendi a Dioecesi Aquipendii per sex menses quolibet anno comprachensis Conciliaribus ad effectum exercendi in Palatio dicti oppidi Jurisdictionem, et Pontificalia privative super suis Subditis tantum, factaque de praemissis per infrascriptum Secretarium relatione eidem Sanctissimo; Sanctitas sua benigne annuit ac S. C. sententiam approbavit die 13. Febr. 1715., *Lib. Decret.* 65. *fol.* 58.

peraguntur praecedere? *Ibid. dub.* 13.

Pluralitas Beneficiorum *Vide Beneficia Ecclesiastica* §. *VI.*

Pluralitas Beneficiorum quoad Dispensationem *Vide Dispensatio* §. *VI.*

§. I.

Poena in Genere.

1. Statuit S. C. Vicarium, sede vacante, qui concesserit aliter dimissorias, quam praescriptum sit a Concilio *cap.* 10. *Sess.* 7. (86) posse puniri ab Episcopo, qui ad eam Ecclesiam vacantem promotus est juxta *cap.* 16. *vers. Episcopus vero Sess.* 24. *de reformat.* (87), et Capitulum incidere in poenas *cap.* 10. *Sess.* 7. (88): *Tarraconen. Febr.* 1590. *dub.* 4.

2. Constitutio Sanctissimi Nostri contra male ordinantes, et male ordinatos data die 11. Decem. 1624. (89) similiter est observanda: *Limana* 10. *Mart.* 1629. *d.* 3.

3. Dubio discusso, an quatenus Matrimonium, in quo Parochus verba sponsae intellexit, et contradicebat, esset invalidum, debeat Episcopus ex officio illud declarare invalidum, et contrahentes in foro exteriori punire, et quibus poenis? rescripsit S. C. Episcopum posse tam contrahentes, quam alios, qui ministerium praestiterunt poenis arbitrariis punire: *Sarzanen. Matr.* 15. *Febr.* 1648. *dub.* 2.

4. Planum fecit S. C. dubium, Episcopus quibus poenis procedere possit adversus administratores bonorum Monialium Regularium subjectarum; qui reddere rationes recusant? posse procedere juxta formam Const. Gregorii XV. (90) Pont. Max. *Neapolitana Exac. Rat.* 11. *Mar.* 1673. *dub.* 2.

5. Certum non est an, et quibus poenis sit coercendus Confessarius Monialium, quatenus non paruerit? poenis statutis a jure rescribitur: *Spole-*

(86) Quo capite Synodus Sancta statuit Sede vacante nulli Capitula dent dimissorias nisi arctato occasione obtinendi, vel obtenti beneficii Ecclesiastici; poena varia contra varios contravenientes.

(87) *Sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.* ibi „ Episcopus vero ad eamdem Ecclesiam vacantem promotus ex eis, quae ad eum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario, et aliis quibuscumque Officialibus, et administratoribus, qui sede vacante, fuerunt a Capitulo, vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum officio, seu administratione delinquerint: etiam si praedicti Officiales redditis rationibus, a Capitulo, vel a Deputatis ab eodem, absolutionem, aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo teneatur Capitulum de scripturis, ad Ecclesiam pertinentibus, si quae ad Capitulum pervenerunt, rationem reddere. “

(88) *Vide not.* 86.

(89) Urbani VIII. quae incipit *Secretis Æternae* (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 5. *pag.* 295.), qua confirmatur, et renovatur Constitutio Clementis IV. vetans, quemquam Episcopum ordinare Clericum alterius Dioecesis sine licentia, et literis ejus Episcopi, in cujus provincia est natus, vel ejus, in dictione cujus beneficium habet. Et hoc fecit, quia statuit in eadem Constitutione, ut Ultramontani non ordinentur ab Episcopis Italiae, neque ad ordines minores, aut Clericalem tonsuram, nisi dimissoriae requisitae propriorum Ordinariorum per Nuncios Apostolicos, seu Collectores eorum regionum, ac per Vicarium Urbis approbatae fuerint; suspensionem autem ab officio Italis, et inhabilitatem ad alios ordines minatur iis Clericis, qui falsas literas dimissorias protulerint, et privationem fori; quam dispositionem Innoc. XI. rogatus a magno Magistro Melitae *Const. Cum dudum* 1. *Julii* 1684. (*Bull. Rom. tom.* 8. *pag.* 309.) extendit ad Clericos Melitenses; et hanc idem Pontifex explicavit alia *Const. Alias postquam* 30. *Januar.* 1686. (*Bull. Rom. ibid. pag.* 366.), quod superior Constitutio intelligi debet tantum de iis, qui ordinati sunt cum falsis literis dimissorialibus, non de iis, qui sine ullis fuerunt ad ordines promoti.

(90) *Vide not.* 26. *tom.* 1. *pag.* 19.

tana Jur. Par. 19. *April.* 1692. *d.* 6.

6. Suum S. C. explicavit consilium ad dubium, an, et quibus poenis possit procedi contra Beneficiatos Ecclesiae Collegiatae S. Martini simplicia beneficia, et residentialia obtinentes minime residentes, neque inservientes, rescriptum prodiit ad formam Literarum Apostolicarum Alex. VI. Sum. Pont. (91): *Leodien. Benef.* 27. *Mar.* 1706. *dub.* 3.

7. Ostendit S. C. quoad quaesitum, an, et quibus poenis PP. Reformati Ordinis S. Francisci terrae Montecchii cogi possint ab Episcopo ad celebrationem annuarum Missarum 180., et 20. Officiorum pariter annuorum per contractum assumptam? esse satis provisum in decretis generalibus de celebratione Missarum (92): *Camerinen. Celebr. Miss.* 28. *Januar* 1708. *d.* 2.

8. Joseph Reynaud Frater Laicus Secularis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, dimisso post sedecim annos habitu, deseruit dictam Congregationem, et ad titulum patrimonii callide obtentis literis dimissorialibus sui Episcopi promotus fuit ad Sacros Ordines. Reclamavit Procurator Generalis, ut ad Claustra rediret, et S. C. definivit, eum exeundo a praefata Congregatione absque dispensatione, seu facultate in poenas contentas in Constitutionibus ejusdem Congregationis, non tamen suspensionis incurrisse: *Carpenctoraten. Voti Persever. et Ordinum* 22. *Febr.* 1710. *d.* 1.

9. Sacerdos Carolus Masciola praevia donatione scut. 100. a Communitate Oppidi Hyspelli obtinuit, ut deputaretur durante ejus vita Capellanus cujusdam oneris Missarum implendi per Capellanum amovibilem in Ecclesia S. Mariae Mausolei extra moenia Oppidi sita. Postea dubitavit de hac electione, quam confirmandam renuit S. C., ac ideo Oratorem in aliquam poenam contra Simoniacos a jure latam non incidisse decrevit: *Spoletana Capell.* 28. *Martii* 1711. *d.* 2.

10. Quoad poenas, quibus sunt puniendi Parochi Civitatis Laudae, quatenus impediunt electionem sepulcri in Ecclesia Patrum Carmelitarum Discalceatorum ejusdem Civitatis consulta S. C. procedendum pro ut de jure (93) rescripsit: *Lauden. Funer.* 2. *Maii* 1711. *dub.* 3.

11. Poenas a jure praescriptas incurrisse Canonicos S. Euphemiae lo-

(91) Quibus anno 1493. confirmavit Concordiam initam inter Capitulum, et Decanum super jure dicta beneficia conferendi, quae inter caetera firmat „ quatenus per tres „ menses continuos abessent, ex tunc eo „ ipso obtentis Altaribus privati essent, a„ liique in locum ipsorum a Capitulo prae„ sentati per Decanum instituerentur" *Ead. Caus.* 6. *Febr.* 1706. §. 2.

(92) Relatis *in Const. Nuper Innoc. XII.* 23. *Dec.* 1697. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag.* 464.) in quibus §. 24. legitur „ Caveant etiam respective omnes Regulares, tum subditi, tum Superiores quicumque nedum locales, sed etiam Provinciales, et Generales, ne Missarum celebratio, et omnium Decretorum praemissorum exequutio, cum pernicie propriarum animarum, cum praejudicio illarum, quibus Missae sunt applicandae, et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae, et passivae, ac graduum, et Officiorum, quae obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, et officia obtinenda prorsus incurrant "

(93) „ Illud facili negotio decidi potest, „ demandando, puniendos esse poenis con„ tentis *in c.* 1. *de sepult.* 126., quod cum „ sit literale, nullis indiget adminiculis, „ vel ulterioribus superfluis Doctorum alle„ gationibus " ait Ursaja *Discep. XIV. tom.* 1. *part. II. num.* 42. Qui hanc causam patrocinatus est in favorem Patrum Carmelitarum: ut videre est *ex cit. discept. et seq. per tot.*

ci Insulae adhuo absentes post praecepta Vicarii Capitularis S. C. putavit. Nam ad residentiam in dicto loco teneantur: *Comen. Serv. Chori* 3. *Decem.* 1712. 13. *confir.* 1. *April.* 1713.

12. Quum ob aes alienum vendita praevia facultate fuerit ab Universitate S. Gemini nonnulla bona stabilia, inter quae aliqua ad Hospitale S. Catharinae ejusdem Oppidi spectantia; obscurum fuit, an, et in quas poenas ejusdem auctores inciderint, et qui vigore ipsius adhuc detinent, ac occupant bona dicti Hospitalis, eorumque pretium? rescribitur, ut consulant suis conscientiis: *Narnien. Alienat.* 29. *April.* 1713. *dub.* 2.

13. In mentem venit suspicari de Simonia, quia fecerat Sacerdos Damianus Mastrota donationem diaetae, quae erat de juribus Beneficii, seu Capellaniae, qua de causa obtinuerat idem Damianus subinde nominationem ad idem Beneficium. S. C. postquam non constare de Simonia, et donationem esse illicitam difiniverat; ad dubium: an, et in quas poenas incurrerit Mastrota? rescripsit: non incurrisse, et ad mentem (94): *Neapolitana Praet. Simoniae* 26. *Aug.* 1719. *d.* 2.

14. Pater Antonius Petragrossa, et Frater Alexander Monaci Coenobii Montis Oliveti percusserunt Vicarium eorum Parochialis Ecclesiae, qui actualem exercet animarum curam; illico expostulatum est quibus poenis procedendum sit contra dictos Monachos, et responsum, eos detrudendos esse nomine S. C. in carcerem formalem, et per Abbatem certiorem Card. Episcopum de poena deliquentibus imposita reddendum: *Mediolanen. Censur.* 2. *Decem.* 1719. *dub.* 4.

15. Dum quaesita fuit S. C. de validitate matrimonii non contracti coram Parocho proprio neutrius ex contrahentibus, uti Archiepiscopus dubitavit, propositum est etiam dubium, quaod poenam, quam Sacerdos incurrit, qui praesentiam, et assistentiam praestitit Matrimonio praedicto? S. C. protelavit definitionem, et scribi juxta instructionem mandavit: *Jadren.* 24. *Aug.* 1720.

16. Quum constaret de excessibus Capituli Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Civitatis Tudelae contra D. Junguitum provisum Apostolicum Thesaurarium Canonicum venit ad examen dubium: an, et sub quibus poenis cogendum sit Capitulum ad exhibenda omnia instrumenta, et jura, quae respiciunt reditus, praeeminentias, et jura Dignitatis Thesaurariae, et Canonicatus? rescribitur cogendum esse sub poenis pecuniariis in quantitate arbitrio Nuntii, et in subsidium suspensionis a Divinis: *Nullius Tudelae* 22. *Novem.* 1727. *dub.* 4. Deinde S. C. rem ad Card. Bellugam remisit, ut partes inducantur ad concordiam, et quatenus conficere nolint, idem Card. eam ex officio peragat: 13. *Martii* 1728.

17. Dignitates, Canonici, Portionarii, Capellani, aliique Collegiatae Ecclesiae de Zafra culpabiles ab Episcopo Pacensi reperti ad satisfaciendum multae, et poenae correctionali tenentur. Postea latebat, an sub poenae correctionalis nomine, intelligatur carceratio, reclusio, multa pecuniaria, et suspensio a divinis? S. C. rescripsit, affirmative in omnibus, dummodo carceratio sit ad breve tempus, et ad mentem: *Pacen. seu Nullius Jurisd.* 15. *Januar.* 1729. *dub.* 4.

18. Dubio relato ad S. C., an, et quas poenas incurrant Abbas, et Re-

(94) Nempe, ut Card. Archiepiscopus mandet, Mastro tam removeri: *Ead. Caus.* 26. *Aug.* 1719.

ligiosi Monasterii Aldesparchii curam animarum exercentes in Ecclesiis eidem Monasterio unitis sine Episcopi adprobatione ? explicatur , Episcopum posse juris remediis procedere . *Pasarien. Paroch.* 28. *Julii* 1731. *d.* 4.

19. Parochi S. Antonii, et S. Martiani Castelli Montis Barutii, nisi intersint functionibus Sabbati Sancti, ac Sabbati Pentecostes in Ecclesia Archipresbyterali S. Mariae Magdalenae, quae Majoritate pollet, sunt poenis arbitrio Episcopi plectendi: *Aquen. Praeemin.*, *et Jur. Paroch.* 8. *Martii* 1732. *dub.* 3.

20. Quum Damianus Meyer Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Georgii Civitatis Coloniae palam in Comitiis Capitularibus exprobraverit in Decanum ejusdem Ecclesiae, quod nullo jure Capitularia commentaria retineret, ac plura in eis contra expressam Capituli mentem inseruisset; Decanus ipse, ne sua Dignitas in posterum vilesceret, poenam Canonico Meyer indixit, ut per mensem ab instante Nativitatis Dominicae Festo incipiendum stricte penes Ecclesiam Georgianam resideret, ita ut omnibus horis Canonicis usque ad finem interesse teneretur, rigorosioremque expectaret disciplinam si secus fecisset. Adversus Decretum hoc caeteri Canonici reclamarunt, et proponi curarunt, num hae poenae a Decano inflictae validae essent? Verum causa haud definita jussum, ut coadjuverentur probationes juxta D. Secretarii instructionem: *Colonien. Juris Mult.* 11. *Januar.* 1737. *dub.* 2.

21. Opus fuit S. C. judicio, in quas poenas Constitutionum Montis frumentarii inciderint transgressores? ad Card. Ordinarium juxta Constitutiones negotium esse remittendum: *Nullius seu Farfen. Montis Frum.* 19. *Sept.* 1744. *dub.* 5.

22. Ad oppidum Forigii visitaturus accedens Episcopus Isolanus edixit, ut Sacerdotes omnes, et Confessarii sese ad eum conferrent, ut non de moribus, sed de eorum doctrina dijudicaret. Obstitit Clerus ac Episcopus contra reluctantes poenam suspensionis inflixit. Sed in disquisitionem adductum est, an, et quibus poenis multari debeant Sacerdotes, qui prosequutioni Sacrae Visitationis praetensum impedimentum praebuerunt? responsum fuit, ut praevia absolutione a Censuris ad cautelam scribatur Episcopo juxta instructionem (95): *Isclana Nullit. Edicti, et Susp.* 29. *Maii* 1745. *dub.* 4.

23. Clerum S. Mariae de Podio Civitatis Riveliae ob non accessum ad supplicationem in die Dominica Palmarum anni 1744. in poenam non incidisse, responsum est: *Policastren. Praeeminen.*, *et Jur. Paroch.* 22. *Januar.* 1746. *d.* 4.

24. Neque etiam in poenam eumdem Clerum incidisse statuitur, ob non expletas Ordinarias supplicationes dicto anno 1744. separatim a Clero S. Nicolai: *Ibid. dub.* 5.

25. Questione super supplicatione Sanctissimae Virginis de Monte Carmelo, quae singulis annis duci solebat a Patribus Carmelitis Civitatis Trani, facta, Archiepiscopus edixit, ne in eam supplicationem aliqui interveniant, nisi qui ad ferendum simulacrum B.V.M. sunt necessarii. Preces Archiepiscopo obtulerunt Carmelitae illum cogentes, ut caveret, ne quid offensionis populi ex Canonicis machinationibus oriretur, illique Epistolas S. C. quibus solitum interim servari mandabatur, tradiderunt, Archiepiscopus tamen edictum servari jussit. Ducta est ad nutum Ordinarii pompa, et fuit a Canonicis, a-

(95) *Vide not.* 1. *pag.* 2. *tom.* 3.

liisque Sacerdotibus saecularibus turpe dissipata. Ob id disquiritur num Patres isti contravenerint praefato Edicto, et quibus inde poenis sint puniendi? S. C. respondit Patres Paganum, et Pennellam teneri ad petendam veniam ab Archiepiscopo: *Tranen. Juris Funer. et Process.* 21. *Novem.* 1750. *dub.* 11.

26. Poenalia praecepta suspensionis, officii, et beneficii contra Priorem Franciscum Chelium, et Petrum Simium rationum Congregationis Presbyterorum, seu Capituli Civitatis Pisciae exactores ab ejusdem Dioceseos Episcopo ob Libros, quos penes Archivum Capitulare repositos esse ipsa jam Episcopalis Curia asseruerat, non editos, comminata, sustineri non possunt: *Piscien.* 24. *Martii* 1753. *d.*4.

27. Parochus Ecclesiae S. Johannis Evangelistae Castri Granaroli, cui onus incumbit personaliter interveniendi supplicationi Corporis Christi peragendae ab Ecclesia Archipresbyterali dicti loci, ob non interventum incidit in poenas in Constitutionibus Synodalibus transgressoribus inflictas: *Faventina Jur. Paroch. et Praeemin.* 18. *Sept.* 1756. *dub.* 4.

28. Synodum Dioecesanam habiturus Asculanus Antistes, Sanctiones, quas ferre constituerat, Capitulo Cathedralis Ecclesiae, et Parochis Civitatis legendas tradidit. Parochis nonnullae asperiores poenae visae sunt in iis comminatae, hinc tres deputati fuerunt Parochi, ut ab Episcopo moderationem illarum peterent. Id factum fuit, imo Cleri nomen Parochi usurpantes, protestati sunt, Cleri mentem ab illarum adprobatione esse alienam. Audita S. C. respondit, ut Episcopus procederet prout de jure. Et Episcopus mandavit, ab iisdem Parochis Civitatis expleri per mensem exercitationes spirituales in Religiosis Domibus unicuique citatorum ab eodem designandis juxta instructionem dandam eorumdem exercitationum Directoribus; Reclamarunt Parochi praedicti apud S. C., et postularunt, num esset exequendum Decretum Episcopi? Verum S. C. dixit ad mentem (96): *Asculana* 29. *Aug.* 1767.

§. II.

Poena Ecclesiastica, seu Censurae in Genere.

1. Supplicatur declarari, ut si contingat aliqua homicidia Capitulorum Cathedralium, et Collegiatarum militibus Capitaneis praefectis, et aulicis, ubi habent Capitula dominium temporale, in reprimendis haereticorum injuriis committi, Archiepiscopum, Capitula, et Clerum sententias censurarum, et poenarum propterea non incurrisse: S. C. respondit minime concedendum: *Gnesnen. Febr.* 1590. *d.*1.

2. Qui beneficia ecclesiastica cum pacto compensandi, vel restituendi adepti sunt, severe animadvertere in eos poenis a jure communi statutis, et a S. Pii V. Pont. Max. Constitutionibus mandatur: *Tarraconen. Febr.* 1590. *dub.* 2.

3. Cum Abbas ex privilegio Pontificio (97) facultatem habens ea omnia faciendi, quae peragere potest Abbas benedictus de mandato Vicarii Apostolici quibusdam secularibus non sibi, sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram, et ordines minores contulisset, et hac de causa Concilii, et Constitutioni Sixti V. Pont. Max. (98)

96. „Quae scilicet fuit, ut suspenso Decreto poenali, una simul, et publice peterent veniam ab Episcopo" *Ead. Caus.* 29. *Aug.* 1767.

(97) *Vide not.* 2. *tom.* 1. *pag.* 2.

(98) *Vide not.* 1. *tom.* 1. *pag.* 1.

contravenisset, S. C. tam ordinantem, quam ordinatum incidisse in poenas propositas Constitutione Sixti V. Sum. Pont. (99) censuit: *Cremonen.* 13. *Junii* 1591. *dub.* 3.

4. Censuit S. C. eum, qui de facto alienavit patrimonium, ad cujus titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, ut ad ejus titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse: *Cajacen.* 6. *Mar.* 1638.

5. Clerici Neapolitanae Dioecesis Sede Episcopali vacante illicite ordinati vigore brevium extra tempora nuncupator. ab aliis Episcopiscum testimonialibus Vicarii Capitularis Neapolitani, absque dimissoriis vicinioris Episcopi, necnon illi, qui ordinaverunt, inciderunt in poenas a Sacro Concilio praescriptas (100): *Neapolitana Ord.* 15. *Dec.* 1685. *dub.* 2.

6. Censuras Ecclesiasticas in appellantem prolatas minime valet Judex Delegatus Apostolicus non auditis partibus, nec cognita causa relaxare, aut nullas declarare: *Sardiniae Jurisd.* 15. *Maii* 1700. *dub.* 4.

7. Pro comperto non habetur, quanam poena puniendus sit Antonius Renna titularis Ecclesiae S. Antonii Viennensis, qui jussa Abbatis Generalis non fecerat, imo ansus fuerat illum excommunicare sub obtentu exemptionis, quod se esse Vicarium Basilicae Laternanensis jactabat. S. C. primum Abbati, ut processus conficiat, et ad poenas prout de jure procedat, praecepit: 14. *Nov.* 1699. *dub.* 3. Deinde confirmat id *in Nullius seu Montis Virginis Cen.* 26. *Junii* 1700.

8. Capitulares, seu Participantes Ecclesiae Collegiatae terrae Martinae ob locationes ad ipsorum vitam bonorum ejusdem Capituli, factas, quae pro rata annuae eorum portionis duc. 45. pro quolibet vigore Decreti anni 1625. Archiepiscopi Tarentini non ultra triennium ab ipsis conducta retinere poterant, quod si ulterius habuissent, restituere ea deberent, in poenas *Extrav. Ambitiosae* (101) non incidisse, itaut absolutione indigeant, S. C. decrevit: *Tarentina Cen.* 9. *Apr.* 1701. *dub.* 3.

9. Quaestio orta est in S. C. inter Paulum Llorens Rectorem Ecclesiae Parochialis S. Mariae Villae Mataronis, et Presbyteros ejusdem Ecclesiae participantes. Unus ex his Romam ad causam agendam ab aliis missus est, nempe Sacerdos Jo. Serra, qui ad participandum auctoritate Episcopi ad suam naturalem vitam admissus fuerat, ut ad sacros ordines promoveretur. Idem occasione absentiae plura obtinuit distributiones, ac emolumenta lucrandi indulta. At postremo reportato indulto, et haud expectata ejus exhibitione privatus ille fuit admissione a praedicto Rectore, et alter in ejus locum suffectus. Privatione autem nulla enunciata, redintegratio concessa fuit. Deinde ambiguum fuit, an idem Rector ob patratum spolium in odium recursus ad Romanam Curiam incidis-

(99) *Vide not.* 4. *tom.* 1. *pag.* 21

(100) *Sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.*, in quo statuitur, ut promoti, literis dimissoriis obtentis a quovis in jurisdictione Episcopi loco Capituli, sede vacante, succedente in easdem poenas incidant contentas in *Cap.* 10. *Sess.* 7. *de reform.*, in quo Capitulum contraveniens Tridentinae dispositioni Ecclesiastico interdicto subjectum remaneat, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali praesertim in criminalibus gaudere possit; in majoribus vero ordinati ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso jure suspensi. Privilegii tamen clericalis privatio hodie non incurritur, nisi post judicis declarationem juxta *Const.* Urbani VIII. *Secretis* 11. *Decem.* 1624. *Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 5. *pag.* 289.

(101) *Vide not.* 66. *tom.* 1. *pag.* 51.

set in censuras Bullae Coenae (102); sed non incidisse declaratum est: *Barchinonen*. 26. *Novem*. 1701. *dub*. 2.

10. Quum Maximilianus Franciscus Gobertus Comes de Rechem vetasset Parochis locorum sui Comitatus celebrationem festivitatis S. Lamberti patroni Civitatis, et Dioecesis Leodiensis, Episcopus, ut se abstineat ab hac prohibitione, eum monuit sub censurarum poena. Comes non paruit Episcopo, imo non nulla contra Canones egit illa occasione. Episcopus eumdem una cum ministris in poenam interdicti, et censuras incurrisse firmavit; de hoc consulta S. C. censuras latas ratas habuit: *Leodien. Cens*. 11. *Martii* 1702.

11. Censuras latas ab Archiepiscopo Sypontino visitanti urbem Garganicam contra Carolum Gambadorum Primicerium Ecclesiae Collegiatae dictae Civitatis absentem de mandato Nuntii Apostolici, Donatum Gambadorum, et Michaelem de Philippis, qui exemptos esse a praestanda obedientia ajebant, S. C. nullas declaravit. Nam ab eis appellatio ad S. C. interposita fuerat: *Sepontina Cen*. 8. *Julii* 1702.

12. Postquam Canonici Ecclesiae Collegiatae Urbis Laviniae quoddam praedium Ducibus de Caesarinis ad tempus absque Sedis Apostolicae assensu locaverant, animo penderunt, num in censuras incurrissent? dubium S. C. diluit, respondens, ut facerent ultimae locationis revocationem infra mensem, alias in censuras declararentur incurrisse, et quoad autem elapsas locationes eos ad cautelam absolvendos esse censuit: *Albanen. Ben*. 17. *Novem*. 1703. *dub*. 2.

13. Denegarunt in actu Visitationis Clerici, et Capellani Ecclesiae Parochialis S. Crucis Monasterio S. Mariae de Maxera Ordinis S. Benedicti unitae quarti libri traditionem, in quo inter cetera dictae Ecclesiae opera pia, legata, reditus, bona, et onera legebantur. Hac de causa Abbas dicti Monasterii illos censuris ecclesiasticis supposuit. Censuris irretiti ad S. C. confugerunt, quae dictas censuras validas esse, et procedendum ad ulteriora S. C. judicium fecit: *Nullius, seu Calaguritana Visit. et Cen*. 14. *Jan*. 1705. *confirmat*. 16. *Maii ejusd. anni*.

14. Cum Jo. Baptista Montanus ad ordines sacros ab Episcopo Lauretano, in cujus Cathedrali beneficium residentiale absque testimonialibus Firmani Archiepiscopi sui Ordinarii obtinuerat, fuisset evectus, S. C. servatam non fuisse in hac ordinatione formam Constitutionis Innocentianae (103) putavit. Modo proponitur dubium, an, et in quas poenas inciderit tam Episcopus ordinans, quam Clericus ordinatus? respondit S. C. in casu de quo agitur non esse illis culpam attribuendam. *Firmana seu Lauretana Ord*. 14. *Nov*. 1705. *dub*. 2.

15. Ponit S. C. aperte, an, et quatenus Archiepiscopus Turritanus excesserit suae facultatis limites in Dioecesim, et Episcopi Bosanensis Dioecesanos, inciderit in censuras, et quales? negativum dando responsum: *Turritana seu Bosanen. Jur*. 17. *Martii* 1708. *d*. 7.

16. Necnon S. C. decidit, Episcopum Bosanensem, qui ad ordines sacros suos subditos promovit, qui ratione studiorum moram traxerant in Civitate Saxerensi sine testimonialibus Archiepiscopi Turritani, necnon ordinatos in poenas contentas in Const. Innoc. XII. Pont. Max. (104) incidere: *Ibid. dub*. 9.

17. Superiores Carthusiae S. Laurentii prope oppidum Padulae Dioece-

(102) *Vide not*. 183. *tom*. 1. *pag*. 352.
(103) *Vide not*. 75. *tom*. 1. *pag*. 60.

(104) Quae incipit *Speculatores* 4. *Novem*. 1694. (*Bull. Rom. t. IX. pag*. 374.) *et*

sis Caputaquensis sitae ad Episcopum Policastrensem, et Marsicensem suos Monachos munitos literis dimissorialibus, in quibus idem Episcopum Caputaquensem, ad quem facultatem impertiri pertinebat, sed abnuebat, testati sunt fuisse absentem, vel ad Pontificalia exercenda impeditum, dimiserunt. Ob id S. C. interrogata censuit illicite eos ordines suscepisse; modo ad dubium, an, et quas poenas incurrerint ipsimet ordinati, et eorum superiores? respondit ead. S. C. superiores poenas contentas in decretis Clem. VIII. (105) Pont. Max. incurrisse, sed ex gratia esse absolvendos: *Caputaquen. Ord.* 11. *Febr.* 1708. *dub.* 2. (106).

18. Dum Abbas Monasterii Sanctissimae Trinitatis Cavensis Ordinis S. Benedicti licite non potuit conferre Clericatum Philippo Polichettio nato in Dioecesi Cavensi, inde domiciliato in Dioecesi Salernitana absque debitis testimonialibus, sive dimissorialibus, S. C. dictum Abbatem, et Polichettium in poenas indictas in Bulla Innocentii XII. Pont. Max. (107) incidisse resolvit: *Salernitana Ord.* 12. *Jan.* 1709. *dub.* 2.

19 Definiverat antea anno 1660. S. C., ut jus visitandi Ecclesias oppidi Cerignolae in Apulia, ubi Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae S. Petri quasi Episcopalem cum territorio separato posse exercere putat, viciniori Episcopo Minerbiensi competere; Archipresbyter vero suos subditos ordinandos nonnullos dimissorialibus, non autem testimonialibus suis literis dicto Episcopo remisit. At cum hic eos rejecisset, ille cum iisdem dimissorialibus ad Episcopum Asculanum eosdem mittere non dubitavit. Agitatum hinc fuit dubium tam pro Archipresbytero Cerignolae Ordinario, quam pro Ordinatis, et resolutum fuit, nec Archipresbyterum, nec Ordinatos in ullas incidisse poenas; et id confirmatur in *Nullius, seu Minerbien. Concor.* 1. *Junii* 1709. *dub.* 2.

20. Joseph Reynaud Frater Laicus Secularis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, dimisso post 16. annos habitu, deseruit dictam Congregationem, et ad titulum patrimonii callide obtentis literis dimissorialibus sui Episcopi sacris ordinibus fuit initiatu. Reclamavit Procurator Generalis, ut ad Claustra rediret, et S. C. definivit, eum exeundo a praefata Congregatione absque dispensatione, seu facultate in poenas contentas in Constitutionibus ejusdem Congregationis, non tamen suspensionis incurrisse: *Carpenctoraten. Voti Persever. et Ord.* 22. *Febr.* 1710. *dub.* 1.

21. Ignatium Lamoream ad ordines minores, et sacros ab Episcopo Laquedoniensi absque testimonialibus Episcopi Bituntini literis, cui ratione originis subjiciebatur, illicite promptum esse S. C. resolvit. Inde ad dubium an idem Episcopus ordinans, et or-

§. 8. decernit „ Ita vero praemissa omnia, et singula perpetuo, ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem praemissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a Collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum Ordinum exequutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae Nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat. "

(105) *Diei* 15. *Martii* 1596., in quo habetur „ Quod qui non fecerint, officii, et „ dignitatis, seu administrationis, ac vocis „ activae, et passivae privationis, ac alias „ arbitrio ejusdem S. D. N. Papae reservatas poenas incurrant. " *Vide not.* 31. *tom.* 1. *pag.* 22.

(106) *Vide not.* 67. *tom.* 1. *pag.* 52.

(107) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

dinatus in poenas in Const. Innocentii XII. Pont. Max. (108) contentas inciderint? respondit ut Episcopus consulat suae conscientiae, et ordinatus remaneat suspensum arbitrio Episcopi Bituntini. *Laquedonien. seu Biluntina Ordinat.* 16. *Novem.* 1709. *dub.* 2.

22. Maria Fuschina Mater Clerici Johannis Legiuni per publicum Instrumentum solemniter se obligavit ad annuam dationem libr. 288. super ejus domo dotali percipiendam in favorem Sacerdotis Josephi Antonii Marzagorae, ut congrue se sustentare posset, ea tamen expressa conditione, ut beneficium a Josepho retentum, et ad cujus titulum ad sacros Ordines promotus fuerat, in favorem filii sui renunciasset. Assignatio, resignatio expleta fuit. Sed in Literis Apostolicis resignationis clausula expressa est, ut nulla intercesserit pactio Simoniaca, seu illicita. In exequutione vero suspicati sunt de Simonia, hinc conventio communi voto rescissa fuit. Joseph, qui bona fide omnia gesserat, in possessione beneficii remansit; sed dubium proposuit, an ipse incurrerit poenas de jure latas contra Simoniacos? S. C. respondit in casu, de quo agitur, non incurrisse, sed consulat conscientiae suae: *Cremonen. seu Lauden. Simoniae* 16. *Januar.* 1712.

23. Vicarius Generalis Dioecesis Melphiensis, et Rapollensis quaedam assertae visitationis decreta affigi in valvis Abbatialis Ecclesiae S. Mariae de Perno positae prope fines Dioecesum dictarum, et Muranae jussit. Vicarius Generalis Muranus ea divelli praecepit, ac putans jurisdictionem Ecclesiasticam perturbatam esse, denunciari Vicarium Melphiensem poenis irretitum in perturbatores ejusdem jurisdictionis stututis voluit. Vicarius Muranus eadem de causa censuris obnoxium illum esse declaravit. Supradictam Ecclesiam in Dioecesi Melphiensi sitam esse S. C. primum, deinde censuras in Muranum Vicarium latas validas deprehendit: *Melphien. Jurisd.*, *et Cens.* 16. *Julii* 1712. *dub.* 3. (109)

24. Censuras vero latas in Vicarium Melphiensem nullas esse putavit: *Ibid. dub.* 4.

25. Moniales Benedictinae SS. Antonii, et Clarae Officiales quosdam Monasterii servitio addictos a Parochi jurisdictione exemptos esse sentierunt. Obstitit huic tamen Prior Collegiatae Ecclesiae S. Annae in Judicem Conservatorem, nominatus, et Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis. Intentatae hinc fuerunt invicem censurae, poenaeque; sed petito S. C. oraculo hanc quaestionem sedavit, nempe electione judicis illegitima declarata, censuras latas contra judicem praedictum, non in Vicarium validas esse, sed non esse molestandos censuit: *Barchinonen. Jur. Paroch.* 21. *Januar.* 1713. *d.* 5.

26. Ob aes alienum praevia debita facultate ab Universitate S. Gemini nonnulla bona stabilia vendita fuerunt, inter quae aliqua ad Hospitale S. Catharinae ejusdem oppidi pertinebant; ideo interrogata S. C., an, et in quas poenas ejusdem auctores inciderint; et qui vigore ipsius alienationis adhuc dicta bona Hospitalis, eorumque pretium detinent, ac occupant? Rescriptum prodiit, ut suis conscientiis consulerent: *Narnien. Alienat.* 29. *April.* 1713.

27. Episcopus Spoletanus Visitationem prosequens in Ducatu Ferentilli, mandatum dedit Canonico Guerrae perlustrandi Abbatialem Ecclesiam S. Petri. In hac Visitatione oppositionem a Vice Curato Sacerdote Augustino

(108) *Vide not.* 76. *tom.* 1. *pag.* 61.

(109) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

Placido, qui fores Ecclesiae clausit, passus est; idcirco adversus illum inquisitionem instituit, et ei vadimonium denuntiavit termino praefixo ad dicendum causam quare ob perturbatam visitationem jure delegato peragendam censuris obnoxium declarari non deberet. Inde ob contumacialem ejusdem absentiam censurae fuerunt relaxatae; et in S. C. discutitur, num ratae sint? ratas non esse dictum fuit; licet Episcopo jurisdictio delegata adjudicata fuerit: *Spoletana Jurisd. et Cens.* 30. *Sept.* 1713. *dub.* 2.

28. Obtinuit vigore rescripti S. C. Capitulum Ecclesiae Cathedralis possessionem omnium bonorum haereditariorum tam Episcopi Caraffae, quam Episcopi Terrer; inde devenit ad Caraffae testamenti exequutionem. Hodiernus autem Episcopus contra Canonicos querelam, et actionem furti, et spolii exposuit. His contradicentibus, et ad Sanctam Sedem appellantibus Episcopus eosdem in censuras incurrisse declaravit. De his S.C. quaesita, an sint validae? non esse validas decrevit: *Ugentina Spolii* 14. *Martii* 1716. *dub.* 4.

29. Nec Canonicos incurrisse in censuras ipso jure indictas contra usurpatores, et bonorum Ecclesiae occupatores sancivit: *Ibid. dub.* 5.

30. Quum collatio ordinum, et dimissorialium concessio subditis Abbatiarum Centulae, et Cantoni ad Episcopum Caputaquensem minime earumdem dimissorialium concessio ad proprios Abbates spectaret; petitum fuit an, et in quas poenas inciderint ordinati literis dimissorialibus Abbatum, quam ipsi Abbates? rescribitur non esse molestandos: *Caputaquen. Jurisd.* 17. *Decem.* 1712. *dub.* 10.

31. Censurarum processus, et intentatio contra Sodales Societatis Orationis, et Mortis loci Praedarii, cui ob aggregationem Archiconfraternitati Mortis Urbis factam privilegia aggregantis adjudicata fuere, non sustinetur: quamquam per vim aperta Parochialis janua fuerit, in qua Parocho abnuente cadaver cujusdam Viatoris Ecclesiae Parochialis S. Petri loci Pogni Sodales deposuerunt: *Novarien. Aggre.* 24. *Sept.* 1718. *dub.* 13. *confirmat.* 13. *Januar.* 1720.

32. S. C. nullas censuras latas declarat, et mandat, ut Episcopus ex integro adversus Presbyteros Ecclesiae S. Antonii Terrae Pedemontis rationem reddere de Missarum implemento renuentes procederet: *Aliphana* 10. *April.* 1723. *dub.* 3.

33. Mortuo Matthaeo Episcopo Sorano inventarium bonorum in palatio Episcopali existentium Canonici cònfecerunt. Inde causa quaestionis excitatae ab haerede ab intestato propter bona patrimonialia cum eodem transactionem inierunt. At testamentum emersit, quo ille bona patrimonialia haeredibus scriptis, cetera successori in beneficium Ecclesiae eroganda reliquerat; ob id successor Episcopus de nullitate transactionem redarguit, incurrisse in censuras contrahentes praetentionem excitavit. Perpenso itaque dubio, an contrahentes illi censuras incurrerint, et quomodo absolvendi? rescribitur pro absolutione ad cautelam, et ad mentem: *Sorana Nullit. et Censur.* 14. *Martii* 1722. *dub.* 2. *et.* 3.

34. Censuras ab Episcopo S. Marci contra Clerum Terrae Roggiani intentatas pro praetensa sortis alienatione validas non esse, si de investimento constiterit obfirmatum fuit: *S. Marci Plur.* 16. *Januar.* 1723. *dub.* 12.

35. Episcopus Togastensis, Vicarius Capitularis Archiepiscopatus Ulixibonensis Orientalis, qui nonnullos Clericos origine, et domicilio Patriarcatui subditos, ac proinde non suos sub-

ditos ordinavit ad titulum quarumdam Capellaniarum existentium in Ecclesiis Dioecesis Ulixibonensis Orientalis, quae Capellaniae non erant Ecclestiastica beneficia, poenis a Sacro Concilio Tridentino, et a Bulla *Speculatores* (110) impositis obnoxius remansit: *Ulyssiponen. Occident.* 26. *Junii* 1723. *d.* 3. Quum S. C. oraculum iterum audire fuisset expetitum, eadem praevio recessu a Decisis, Episcopus praedictus ut consulat conscientiae suae, rescribere non recusavit: *Ibid.* 19. *Aug.* 1724.

36. Vicarius Capitularis Ecclesiae Turritanae ad censuras contra Archipresbyterum, Decanum, et Canonicum antiquiorem ejusdem Ecclesiae ob receptas suspicionum causas a Parochis de Ossi, et de Osilo in judicium in eumdem deductas, processit, relaxavitque. Nam Capitulum facultatem recusationes Vicarii recipiendi ad se spectare ait, idcirco juste eas, quae exhibitae a Parochis fuerant, adscivit. S. C. minime censuras validas esse decrevit: *Turritana* 16. *Novem.* 1724. *dub.* 4. *confir.* 13. *Januar.* 1725.

37. S. C. censuit non constare de legitima ad effectum, de quo agitur, nempe, ut oblati alicujus Religionis fruantur fori privilegio, et immunitate a secularibus exactionibus, oblatione Dominici Antonii Laragione, quae de se suisque bonis Monasterio S. Mariae de Sagittario Ordinis Cistericensis fecisse dicitur, hac de causa censurae latae in eundem ab Episcopo non sustinentur, sed idem Episcopus ex integro procedat, et ad mentem: *Anglonen.* 29. *Januar.* 1724. *dub.* 2.

38. Censuras latas a Synodalibus Constitutionibus prohibentibus cohabitationem nisi post relatam absolutoriam, contra Sponsos Bartholomaeum Malaspinam, et Rosam de Corvis, qui matrimonium absque praeviis denunciationibus Parocho reluctante inierant, esse validas statuit S. C.; et quoad alias latas ob contumaciam Episcopus procedat ex integro, termino praefixo unius mensis, quo elapso, et casu quo non compareat, omnino ad ulteriora procedat: *Placentina* 3. *Febr.* 1725. *dub.* 2.

39. Latae censurae a Curia Archiepiscopali Neapolitana contra Rectorem Ecclesiae S. Angeli ad Nidum, qui cum suo Clero ad interveniendum supplicationi indictae post obitum Innocentii XIII. causa auxilium Divinum implorandi in novi Pontificis electione, se exemit, non sunt attentata: *Neapolitana* 24. *Martii* 1725. *dub.* 2. *confirmat.* 21. *Julii* 1742. *d.* 3. (111).

40. Censuras relaxatas per Archiepiscopum Gnesnensem adversus Canonicos deputatos administratores bonorum Archiepiscopatus tempore sedis vacantis, reddere rationem recusantes, nisi idem Archiepiscopus cum adjunctis procederet, non sustineri S. C. judicavit: *Gnesnen.* 14. *April.* 1725. *dub.* 2.

41. Quum Episcopus Melivetanus Titularis commorans in Civitate Theatina ad Ordines minores, et Sacros Franciscum de Fulgentiis cum dimissoriis Vicarii Generalis Abbatiae S. Mariae de Casanova promovisset, quas dimissorias ad Episcopum Valvensem mittere spectabat, aperte indicavit S. C. an, in quas poenas inciderit tam di-

(110) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

(111) Huic Decreto postmodum accessit. *Const. Praeclarum* 4. *Octob.* 1755. (*Bull. ejusd. Pont. Tom. IV. pag.* 152.) Bened. XIV., qua declaratur quae, et qualis exemptio conveniat ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione Hospitali S. Angeli a Nido nuncupat. eiusdem Ecclesiae, et personis; et §. 15. cautum est, ut Rector, aliique Clerici Presbyteri Hospitali addicti non teneantur accedere ad Processiones ab Archiepiscopo quocumque jure indictas.

ctus Franciscus, quam Vicarius Generalis praedictae Abbatiae? Franciscum esse suspensum, quamdiu Episcopo Valvensi videbitur censuit; quo vero ad Vicarium Generalem Abbatiae difertur resolutio, et interim, ut se abstineat a concedendis literis dimissorialibus praecepit: *Valven. seu Sulmonen. Dubium Ordinat.* 22. *Martii* 1732. *dub.* 2.

42. Abbas Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis, qui dispensavit super aetate Religiosos Monasterii sibi subditos pro ordinibus suscipiendis, ac Monachi ipsi ordinati cum dispensatione Abbatis, vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus et sine dimissoriis Episcopi Brixinensis in poenas Canonicas incidunt: *Brixinen.* 12. *Decem.* 1733. *dub.* 5.

43. Clericus Laurentius Meldicheschius ordinatus fuit ad titulum beneficii amovibilis cum causa, quia ejus reditus pro sacro patrimonio constituendo satis erant, ab Episcopo Ilcinensi, ubi aderat beneficium, absque literis dimissorialibus, vel testimonialibus Episcopi Pientini Ordinarii ejusdem ratione originis, et domicilii. Hanc Ordinationem jam antea S. C. licitam fuisse judicium fecit; modo tum qui Ordines contulit, tum qui eos suscepit, non incidisse in poenas a Sac. Concil. Tridentino, et a Bulla Speculatoris (112) statutas decidit: *Pientina, seu Ilcinen. Ordinat.* 18. *Julii* 1733. *d.* 4. Deinde causa reproducta, ut praedicti consulant suae conscientiae respondendum putavit: 8. *Aug. ejusd. anni.*

44. Jacobus Antonius Mutius Parochus Villae Frassinelli questus est Johannem Baptistam Fontana, Lazarum, et Angelum Mariam Poirè Decuriones praedictae Villae necdum sibi intulisse impedimentum, quominus Decimas, et Primitias colligeret, verum etiam istas exegisse, pluribusque insuper violentiis tam in Ecclesia, quam in Domo Parochiali patratis, Ecclesiasticae jurisdictionis exercitium adeo perturbasse, ut in censuras summo Pontifici reservatas inciderint; propterea actum fuit in S. C. primum, an de excessibus constaret, et utique constare responsum, deinde an censuras incurrisset? et non incurrisse censuras summo Pontifici reservatas rescriptum fuit: *Januen.* 9. *Febr.* 1737. *dub.* 2.

45. Censuras latas a Vicario Generali Suessano, tum contra Parochum Jannuarium Olivierium Ecclesiae in Casali Cellularum existentis non residentem, tum contra Curiam Metropolitanam, quae decretum a se emanatum injustum pronunciavit, necnon Censuras latas in predictum Vicarium a Curia Capuana metropolitana non sustineri S. C. declaravit, necnon ad D. Secretarium juxta mentem (113) rem remisit; nam jam S. C. antea firmaverat Curiam Metropolitanam inhibitiones ad effectum suspensivum quoad Parochorum residentiam concedere non potuisse: *Suessana Residen. et Censur.* 15. *Martii* 1738. *dub.* 5.

46. Quum Abbas Monasterii S. Mariae Rivipulli in Tarraconensi Provincia positi ob improvidam administrationem nonnullorum Presbyterorum, quorum societas inibi erecta fuerat, ac ob census impositos contractusque initos absque ejusdem auctoritate, postulasset, an, et contra quos sint relaxandae censurae a sacris Canonibus inflictae? rescriptum retulit, dilata, donec reddita sit ratio: *Vicen.* 18. *Junii* 1735. *dub.* 2.

(112) *Vide not.* 75. *et* 208. *tom.* 1. *pag.* 60. *et* 156.

(113) Nempe supplicante Jo. Baptista Tartaglia Vicario Generali Curiae Episcopalis Suessanae S. C. eum a censuris in ipsum latis a Vicario Generali Curiae Capuanae absolvit, et cum eo super irregularitate praetensa dispensavit *Lib.* 88. *Decret. pag.* 115.

47. Censuras per Episcopum Bisacciarum occasione ejus accessus ad urbem Romuleam latas contra Capitulum Cathedralis Ecclesiae procurationem persolvere abnuens, non sustineri mandatur: *Bisacciarum* 15. *Martii* 1738. *dub* 6.

48. Quum Judex Conservator deputatus a Ministro Provinciali Ordinis Min. Observ. in Dioecesi Perusiae, et ultra per unam diaetam processerit in Fulginatensi Dioecesi, Episcopus reclamavit; et posteaquam illum non habere ultra Dioecesim facultatem procedendi S. C. definiverat, dubio excusso, an sit locus relaxationi censurarum? respondit S. C. ad mentem: *Fulginaten. Jurisd.* 1. *Julii* 1741. *dub.* 3.

49. Episcopum Policastrensem moram in oppido Laureae trahentem et procurationem exigentem contra resolutionem diei 1. Junii 1737. editam, incurrisse in poenas contentas *in Cap. exigit de censibus in* 6., *et cap.*3. *Sess.* 24. *de reform.Sac.Concil. Trident.*(114) declarare S. C. non dubitavit: *Policastren. Procurat.* 7. *April.* 1742. *d.* 2.

50. Quum narratum fuisset, utrum Episcopus Alexani, ejusque Officiales incurrerint, et inquas poenas ob non servatam taxam Innocentianam? responsum prodiit, ut quoad praeteritum consulat conscientiae suae: *Alexanen.* 1. *Sept.* 1742. *dub.* 13.

51. Priorem Provincialem Ordinis Praedicatorum in urbe Aletii in conventu S. Johannis de Aymo degentium Visitationem personalem Monialium Monasteriorum exemptorum sui Ordinis facientem alibi, veluti ad exedras pro Confessiones excipiendo, vel ad Fenestrellam Sanctissimae Communionis in poenas Alexandri VII. Pont. Max. Constitutionis (115) incidere judicium C. fuit: *Lycien. Claus.* 22. *Sept.* 1742. *dub.* 9.

52. Et relato dubio an Episcopum Lyciensem directe, vel indirecte talem dictam Visitationem impedientem in poenas Constitutionis Clementinae de statu Monachorum (116) incidere S. C. dedit responsum, ut in casibus particularibus recurrant: *Ibid. dub.* 10.

53. Occasione quaestionis super pertinentia cujusdam ripae, et quercum exortae Marcellus de Felicianis Rector Ecclesiae Parochialis Castri Petronii cum Francisco Nucciarello Œconomo Fabricae Ecclesiae S. Mariae Consolationis Tuderti transegit, nonnullis Arboribus fabricae adjudicatis et lege adjecta, ne ullus ad incisionem, nisi obtenta Ordinarii licentia procederet. Hac non impetrata Œconomus praedictus plurimas, et praeter illas quae concessae ei fuerant, ripae quercus incidere fecit. Conquestus est Rector, et Episcopus Œconomum in censuras *in extrav. Ambitiosae* (117) contentas in-

(114) *Vide not.* 357. *tom.* 3. *pag.* 341.

(115) *Incipien. Felici Sacrarum* 10. *Octob.* 1664. (*Bull. Rom. Tom. VI. Part. VI. pag.* 34.), ubi decernente, quod Superiores Regulares visitationem personalem Monialium ad crates, et omnino extra Clausuram Monasterii peragere debeant, quoad poenas contra inobedientes disponit §. 8. ,, Si quis vero praedictorum Regularium aliquid contra praesentium tenorem facere, vel moliri praesumpserit, aut adimplere neglexerit, ipso facto poenam excomunicationis, et privationis omnium officiorum, quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae, et passivae absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, et exemptionibus tueri possit, quominus ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato, quoties, et quando opus fuerit corrigi, et puniri valeat. "

(116) *Cap. Attendentes* ubi sancitur ,, Si vero Visitatores ipsos in praemissis impedire praesumpserint, seu aliquo praemissorum (nisi moniti resipiscant) ipso facto excomunicationis sententiam se noverint incursuros, privilegiis, statutis, et consuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris ".

(117) *Cap. unic.*, cujus vigore bonorum

cidisse censuit. Exhibuit idcircò Œconomus privilegium Clementis VII. Pont. Max. Societati suae concessum, quo eidem potestas vendendi, et bona stabilia alienandi Ecclesiae, et Hospitalis datur, et S. C. interrogata censuras haud esse relaxandas respondit: *Tudertina Censur.* 22. *Sept.* 1742.

54 Praeceptum a Vicario Nullius Castellanae editum sub censurarum comminatione, validum non est: *Polymnianen. Juris Quaest., et Process.* 30. *April.* 1746. *dub.* 15.

55. Exequutores Pii Montis Juvenazzi, qui absque Episcopi interventu, uti a testatore principaliter vocati, ad controversam nominationem devenerant: licet S. C. nulla declaraverit eorum gesta, tamen eos in censuras, aliasque poenas non incurrisse censuit, addendo ad mentem: *Castellaneten.* 27. *April.* 1748. *dub.* 8. *confir.* 8. *Maii.* 1751.

66. Per censuras est Vir Marchio Laurentius Centurio compellendus, quia nolit parere S. C. decreto, quo demandatur triennalis cohabitatio; licet ipse eam in urbe explere paratus esset: *Januen. Matrim.* 3. *Aug.* 1748.

57. Xaverius Gangale, quem e Graeco ad Latinum ritum transisse asserit Episcopus matrimonium contraxit contra formam Constitutionis *Pastoralis* (118) cum Graeca puella Laureta Stratico coram Parocho Graeco puellae. Huic separationem praecepit Episcopus, et ipsum non obtemperantem Ecclesiasticis censuris devinxit. Dubium igitur movetur, an censurae sustineantur? protelavit S. C. resolutionem, ut transportentur acta, et interim pro absolutione cum reincidentia ad tres menses: *Cassanen. Matrim.*, *et Nullit. Cens.* 26. *April.* 1749. *d.* 2.

58. Quum placuisset S. C. non constare de validitate interdicti Oratorii S. Rocchi Oppidi Viqueriae, cui fuit subjectum ob factam resistentiam occasione Pastoralis Visitationis declarare; inde sancivit Sodales Sanctissimi Nominis Jesu dicti Oratorii in Censuras propter assertum Interdicti spretum non cecidisse: *Derthonen. Visitat.* 26. *Januar.* 1760. *dub.* 24.

59. Quum postulatum fuisset; an censurae ab Archiepiscopo Coloniae contra Vicarium Kempensem Tenhoff auctoritatem, et mandata proprii Ordinarii spernentem decretae latae validae sint? responsum est, ad mentem: *Colonien.* 14. *Martii* 1767. *dub.* 22.

60. Pecuniae in creditum Capellae B. M. V. Gratiarum depositae titulo reintegrationis, et a Communitate oppidi S. Genesii dictae Capellae pro quibusdam supplicationibus donatae attributionem in favorem dictae Communitatis Consiliarii bona fide demandarunt. Tum Judicem, tum Consiliarios, et Secretarium in censuras non incurrisse sua consilia S. C. pandit: *Camerinen.* 11. *Julii* 1767. *dub.* 1.

Poena Ecclesiastica seu Censurae in specie *Vide Excommunicationis, Interdicti, Suspensionis Censurae.*

Poena Ecclesiastica seu Censurae quoad Absolutionem, *Vide Absolutio* §§. *IV. V. VII. et X.*

Poena Inhabilitatis *Vide Matrimonium* §. *XXVIII.*

§. III.

Poena Temporalis seu Multa.

1. Vicarius Capitularis nequit poenas, seu multas pecuniarias in proprios usus convertere, sed integras piis locis applicare debet: *Elnen.* 28. *Martii* 1648. *dub.* 6.

Ecclesiasticorum alienatio non tenet; et alienantes, et recipientes sunt excommunicati, praelatisque diversis diversae poenae imponuntur.

(118) *Vide not.* 70. *tom.* 1. *pag.* 54.

2. Certum est S. C. non inservientes Ecclesiae, nec divinis intervenientes praeter amissionem distributionum quotidianarum posse ab Archiepiscopo per multas pecuniarias, aut alia juris remedia compelli: *Jadren.* 17. *Sept.* 1650.

3. Archiepiscopum sine adjunctis Canonicos in choro posse multare decisum est: *Calaritana* 20. *Decem.* 1653. *dub.* 1.

4. Et dubio in trutina posito, quatenus Archiepiscopus possit in choro multare, an multa respondere debeat distributioni horae, pro qua fit multa, an vero possit multando excedere dictam quantitatem? rescribitur, Archiepiscopum suo arbitrio multare posse: *Ibid. dub.* 2.

5. Ac putavit S. C. Canonicis ab hujusmodi multa non competere appellationem ad effectum suspensivum: *Ibid. dub.* 3.

6. Perspicuum factum est, an Canonici justa de causa possint Archiepiscopum recusare in dicta multa distributionis faciendae? responsione, non esse locum recusationi, sed posse competere recursum ad S. C. *Ibid. d.*4.

7. Demum declaravit S. C. Archiepiscopum etiam non existentem in choro multare posse, necnon Procuratorem deputare. *Ibid. dub.* 5.

8. Decreto, quo praecipiebatur ab Episcopo, ut Presbyteri tam admissi, quam admittendi ad Consortium Ecclesiae Cathedralis intra sex menses Cantum Gregorianum tenerentur addiscere, unita fuit poena scut. 25. Sacrario ejusdem Ecclesiae applicanda; et post alios sex menses privari deberent iidem non sufficienter instructi distributionibus quotidianis. Ideo S. C. consulta, sustineri decretum illud affirmavit: *Parmen.* 11. *Maii* 1669. Inde poenae praedictae moderatio fuit efflagitata, et S. C. delendam esse poenam in primo semestri, et ad secundum semestre apponendam esse poenam amissionis distributionum futurarum: 24. *Jan.* 1671. *dub.* 1.

9. Necnon applicationem poenarum esse faciendam locis piis resolvit: *Ibid. dub.* 3.

10. Contrahentes Matrimonium, quo Parochus non audivit sponsae verba ex animi turbatione, sunt punibiles poena pecuniaria: *Tolentina Matr.* 28. *Nov.* 1671. *dub.* 2.

11. Dubia proposita, an contrahentes matrimonium coram Parocho, qui tantum audivit verba foeminae, sed virum et annuli traditionem aspexit; testibus deponentibus de utriusque expresso consensu sint puniendi, et quibus poenis?

12. An etiam testes, qui scienter interfuerunt?

13. An etiam qui consilium dederunt? enucleantur, affirmativo responso, et poena arbitraria Episcopi: *Venetiarum, seu Vicentina Matr.* 11. *Martii* 1673. *dub.* 2. 3. *et* 4.

14. In consultationem cadit, an sponsi antequam matrimonium per verba de praesenti contraxerint, invicem conversantes subjacere debeant poenae Synodali 25. librarum cerae elaboratae, et propinae decreti Carolenorum 15., sive poenae pecuniarum Ducat. 7. cum dimidio? S. C. servandam esse Constitutionem synodalem quoad poenam applicandam lociis piis, et respective taxam Innocentianam (119) sancivit: 18.

(119) Quae emanata est ab Innocentio XI. pro Foro Ecclesiastico. Haec taxa die 8. Octob. 1678 non est nisi ressumptum Ordinationum Sacrorum Canonum, et Sacrum Congregationum. Et ejus Executrix est Sacra Congregatio Concilii privative quoad omnes. Hanc refert Ferrari *Bibliotheca Verb. Taxa*.

Julii 1699., modo confirmatur *in Amalphitana* 6. *Febr*. 1700. *dub*. 2.

15. Inspecta interposita appellatione ad Curiam Metropolitanam Aquilejensem praeceptum poenale scut. 100. de non discedendo e Civitate Comi ab Episcopo injunctum Sacerdoti Antonio Gatti non sustinetur : *Comen. Irr. et Grav*.9 . *Sept*. 1702. *dub*. 3. *confirmat*. 1. *Martii* 1704.

16. Ad dubium, an in casu, quo vocati Priores, Guardiani, ceterique superiores parvarum Conventuum ad Synodum Dioecesanam non interveniant, subjacere debeant multis in praedicta Synodo adversus contumaces intentatis? affirmative respondetur, arbitrio Ordinarii excepta multa pecuniaria : *Pientina Synodi* 16. *Junii* 1703. *d*. 2.

17. Canonicus Poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis executor deputatus literarum Apostolicarum ad instantiam Fabricii Bonnicii Canonici Thesaurarii procedere non potuerat contra Episcopi decretum super traditione clavium Custodiae privative Reliquiarum dictae Ecclesiae ex defectu jurisdictionis; idcirco S. C. quoad poenam modo decrevit dictos Canonicos, Poenitentiarium et Thesaurarium, Sanctissimae Inquisitionis Patentatos, necnon notarium accedere ad urbem, et D. Pro-Secretario cum Assessore S. Officii juxta mentem: *Melevitana Atten*. 28. *Junii* 1704. *dub*. 2.

18. Multas ab Episcopo exactas a Dioecesanis Geruntinis applicare debere locis piis ejusdem Dioecesis placuit S. C. firmare ; *Geruntinen. et Cariaten. Synodi, et Grav*. 2. *Octob*. 1706. *dub*. 8. *confirmat*. 11. *Febr*. 1708.

19. Episcopus bina edidit decreta sub poena pecuniaria exequenda. Felix de Soda Presbyter Insulanus exequi renuit, eo quod tanquam unicus Syndicus Apostolicus PP. Min. de Observ. S. Francisci se exemptum esse a jurisdictione praetendebat. At S. C. executionem poenae factam a Curia Episcopali contra praefatum Sacerdotem sustineri, sed esse indulgendum decrevit: *Insulana Ex*. 5. *Julii* 1710. *dub*. 2.

20. Felix de Soda Sacerdos simplex absque licentia Episcopi Insulani Dioecesim visitantis ex ipsa Dioecesi discessit contra ejusdem Episcopi edictum paulo ante sub poenis arbitrariis promulgatum. Citatus inde ad personaliter functionibus ecclesiasticis assistendum obedire recusavit. Hinc in contumaciam excommunicavit Antistes, et ad poenam duc. 100. damnavit. Hanc poenam S. C. arbitrio Card. Praefecti moderavit: *Insulano Ed. Cen*. 14. *Nov*. 1711. *d*. 1.

21. Poena aureorum 300. applicanda locis piis Carolo Antonio Buxia Canonico Ecclesiae Collegiatae S. Victoris oppidi Balernae ab Episcopo imposita, eo quia suo praecepto assistendi Archipresbytero in sua hebdomada benedictionem cum Venerabili elargienti obtemperare abnuebat, ad unius diei punctum est moderanda: *Comen. Distr*. 18. *Apr*. 1711. *dub*. 2.

22. Tumulatio cadaveris Comitis Caesaris de Manellis non fuit sine dissidio super electione sepulcri inter PP. Cappuccinos, et Parochum S. Nicolai excitato. Vicarius Generalis definitive in favorem PP. pronunciavit, et a dicto Parocho ad Ecclesiam Cappuccinorum comitari praecepit, alias nunc pro tunc gravamen multae pro quolibet die Parocho non obtemperante, relaxavit. Hoc decretum venit in discussionem, et esse exequendum dijudicatur: *Aesina Sep*. 22. *Sept*. 1714.

23. Mandata poenalia contra non nullos, qui Episcopus detentores librorum rationum locorum piorum, qui exhibenda in visitatione erant, lata, sunt revocanda. Nam post indictam excommunicationem contra eosdem, li-

cet protestati sint non esse administratores, nec librorum detentores, praecepit sub poena ducat. 300. eisdem, ut ad dicendum causam quare non esse denunciandos incurrisse in excommunicationem comparerent. Propterea S. C. huic resolutioni addidit, ut Episcopus acriter moneatur a Card. Praefecto: *Ugentina Cens.* 14. *Martii* 1716. *dub.* 2.

24. Marium Gigli de Cathedralis Ecclesiae Archipresbyteratu a sede Apostolica provisum sub interdicti, et ducat. 300. poena Episcopus vadari voluit. Tertio peremptorii termini elapso die, eumdem declaravit interdictum, et pro dicta poena multavit. Fecit expostulationem ab hoc decreto Archipresbyter, et a S. C. definitionem tulit, nec interdictum, nec privationem Archipresbyteratus nec poenale mandatum sustineri debere omnibus insuper circumscriptis ab Episcopo gestis: *Ugentina Archip.* 6. *Junii* 1716.

25. Cum Archipresbyter Ecclesiae Parochialis oppidi Montis Leonis quartam partem Decimarum Ecclesiae administraverit, nec illam ad formam Decreti Visitationis fuit condemnatus pro executione dicti decreti ad duc. 40., postea cum executa quoque non fuerint alia decreta Visitationis quoad non nulla utensilia ex dictis decimis facienda, ac eorumdem refectionem, declaravit Vicarius Capitularis incurrisse in duc. 30. poenam. Sed Archipresbyter salvam non esse sibi congruam autumabat. Re in S. C. deducta, statutum est, significatoriam in Visitatione relaxatam pro duc. 40. ratione exitus incompetentis, et suspensa interim poena duc. 30. sustineri: *Arianem. Congr.* 20. *Febr.* 1717. *dub.* 2.

26. Episcopus Melevitanus decrevit, ut Beneficiati Ecclesiae Parochialis S. Pauli Urbis Vallettae cum Parocho, et Clero conveniant, omnibusque Cleri functionibus intersint et supplicationes bini bini euntes ad chorum expleant, iis imposita poena peccuniaria. S. C. aperuit, num haec valida sit poena? respondens non esse validam, sed dandas esse poenas mitiores arbitrio Episcopi imponendas statuit: *Melevitana Divin. Off.* 29. *Januar.* 1718. *dub.* 4.

27. Ex quo Bartholomaeus Cordella, et Clara Paradisi matrimonium inierint coram Parocho, dum confessiones audiebat, et Testibus, instante Promotore Fiscali examinatum fuit, an, et quae poena imponenda foret Conjugibus, qui ideo hoc pacto contraxerunt, quia alter vir dum denunciationes explebantur, impedimentum opposuerat, ex quo Claram ducere cupiebat, ea dissentiente ejusque Patre? S. C. respondit, esse solvendam aliquam eleemosynam Ecclesiae Parochiali Montis Giberti (in qua scilicet matrimonium contractum fuerat) arbitrio Card. Praefecti (120): *Firmana Matrim.* 24. *April.* 1723. *dub.* 2.

28. Poena ducat. 14. imposita per Episcopum adversus Canonicos non intervenientes Congregationi Casuum moralium, et Sacrorum Rituum non sustinetur, sed est ad solutionem unius ducati pro qualibet vice reducenda: *Accerrarum* 23. *Aug.* 1727. *dub.* 5.

29. Poena ducatorum centum ab Episcopo imposita contra Canonicos Ecclesiae Cathedralis absentes a tempore Visitationis absque ejus licentia est reducenda ad ducata quinque: *Ibid. dub.* 8.

30. Et in casu deficientiae, quod Canonici, nempe non recitent praeter horas Canonicas, Officium Defuncto-

(120) Card. Praefectus subinde decrevit, praefatam eleemosynam esse solvendam in scutis decem. *Ead. Caus.* 24. *April.* 1723.

rum, B. M. Virginis, et Psalmos Poenitentiales, poena ab Episcopo imposita non est exequenda: *Ibid. dub.* 13.

31. Contra eos, qui Congregationi, et discussioni Casuum Moralium non intersunt, poenam in Synodali Decreto ab Episcopo Larinensi edito inflictam sustineri deciditur; in presbyteros nempe curam animarum habentes, et confessarios esse statuendam in duobus carolenis, quantum vero ad reliquos in uno, sublata vero poena suspensionis: *Larinen.* 30. *Aug.* 1732. *d.* 2. quum antea ad mentem rescripsisset: 9. *Febr. ejusd. anni*.

32. Sub nominae poenae correctionalis intelligendam pecuniariam multam S. C. putavit: *Pacen. seu Nullius Jurisd.* 15. *Januar.* 1729. *dub.* 4.

33. Quoad multam pecuniariam contra nonnullos Ecclesiasticos Terrae Castrinovi latam ab Archiepiscopo Lancianensi die 7. Mensis Decem. 1733., quod Visitationi ipsius in dicta terra peragenti illi restiterunt, S. C. non esse molestandos mandat. Nam censurarum poena praecesserat: *Lancianen. Visit.* 15. *Januar.* 1735. *dub.* 4.

34. Capitulo Cathedralis Ecclesiae jure multandi Capitulares, caeterosque Ecclesiae ministros pro levibus tantum excessibus adjudicato, etiam definitur in multis tantum jus ei competere pecuniariis duorum nempe, vel quatuor, et ad summum sex ducatorum, juxta casus; ita tamen ut multa ista in usus pios erogetur: *Civitatis Provinciae Compostellanae Juris Mult.* 3. *Decem.* 1735. *d.* 3. Ad inde trutinam iterum producta causa, in eadem stetit S. C. sententia, et addit pro multis pecuniariis tantum usque ad summam ducatorum decem: 12. *Martii* 1746.

35. Poena inflicta a Praeposito Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis Rhaudi duobus Canonicis Coadjutoribus in curam animarum in eo quod ipsius curae exercitium respicit, in casu contraventionis moderatur poena in summa arbitrio Card. Archiepiscopi praefinienda. *Mediolanen. Jur. Paroch.* 3. *Decem.* 1735. *dub.* 1.

36. Modernus Episcopus Juvenacensis in causis criminalibus potest exigere multas, seu poenas pecuniarias, non obstante decreto antecessoris Episcopi Chyurliae, illarum exactionem interdicentis: *Juvenacen.* 30. *Martii* 1743. *dub.* 3.

37. Et non tenetur idem Episcopus bona sibi in compensationem dictarum poenarum relicta, Ecclesiae Cathedrali, haeredi a praelaudato Episcopo Chyurli ascriptae, restituere: *Ibid. dub.* 4. sed novis emergentibus testibus, qui adfirmant bona illa in compensationem dictarum poenarum relicta, et posita in loco nuncupato *La via di Bari*, nihil commune unquam habuisse cum reliquis Episcopali Mensae praediis, sed ab Antistite Chyurliae, donec Juvenacensem Cathedram moderatus est, ad annum usque 1724. retenta semper fuisse tanquam divisa, et separata; consilium mutavit S. C., et propterea ad haeredem Cathedralem restituenda esse praecepit: 24. *Aug. ejusd. anni*.

38. S. C. declaravit Ecclesiae S. Nicolai Riveliae jus ante pulsandi tintinnabula in die Sabbati competere hora tamen designanda ab Episcopo; hinc etiam definivit non incidisse in poenam ducatorum centum: *Policastren. Praec. et Jur. Paroch.* 22. *Januar.* 1746. *dub.* 11.

39. Regulares Abbatiae Eberbacensis Ordinis Cisterciensis, et Moniales Marien-munster ejusdem Ordinis cogi possunt per multas pecuniarias in actibus Episcopi Wormatiae jurisdictionis, quam eidem S.C. adjudicaverat: *Wormatien. Jurisd.* 9. *Julii* 1746. *dub.* 6.

40. Qua de causa licita fuit exactio

centum Imperialium facta a Vicariatu Wormatiensi, nec tenetur dictam summam praedicto Monasterio restituere, et omnia damna reficere: *Ibid. d.* 7., et causa reproducta S. C. rescripsit ad mentem: 17. *Sep.* 1746. *dub.* 1.

41. Episcopus Alexani multas sibimet adplicare nequit: *Alexanen.* 1. *Sept.* 1742. *dub.* 10. (121)

42. Et quaerens idem Episcopus, an easdem multas adplicare possit Fabricae Ecclesiae, responsum habuit, ut supplicet in casu indigentiae: *Ibid. d.* 11.

43. Simplices Presbyteri cogi possunt ad assistendum, et inserviendum Ecclesiae Insignis Collegiatae Sancti Germani in Festis mobilibus, aliisque solemnioribus Festivitatibus, ac in toto spatio octo dierum Corporis Christi et per totam hebdomadam majorem, itemque Ecclesiae Montis Casini in die anniversariae Dedicationis ejusdem Ecclesiae, quando habetur Pontificale sub poena Carolenorum duorum ad formam Decreti visitationis, et edictorum. Ita S. C.: *Nullius Montis Casini* 19. *Novem.* 1757. *dub.* 1.

44. Nec est locus restitutioni poenarum jam exactarum: *Ibid. dub.* 2.

45. Ac iidem Presbyteri compelli possunt ad interveniendum publicis supplicationibus sub praedicta poena ad tramites ejusdem Decreti, et edictorum: *Ibid. dub.* 3.

46. Atque quum obscurum esset, an Presbyteri dictae civitatis S. Germani compelli possint ad accedendum quotannis ad Coenobium Montis Casini pro obedientia Abbati praestanda sub poena interdicti, vel pecuniaria juxta formam edictorum, et Decretorum? affirmative respondit moderata tamen poena ad duos carolenos tantum: *Ibid. dub.* 4.

47. Quum esset S. C. relatum, an multae a Curia Archiepiscopali Coloniensi intentatae, et a denegante traditionem calicum, et non obtemperante exactae sustinerentur? rescriptum exiit ad mentem (122): *Colonien.* 14. *Martii* 1767. *dub.* 23.

48. Nicolaus Castracane rem habuit cum Vincentia Fabrini sua famula sub jurata promissione futuri matrimonii; gravis utero effecta Vincentia est, secreto itaque studuerunt matrimonium contrahere, sed non valuerunt, convolarunt ad Vicarium Generalem Calliensem, ibique Matrimonium clandestine coram testibus contraxerunt. Ambo separati fuerunt, et discussa, compilato processu, Matrimonii validitate; validum S. C. judicavit, addiditque ad mentem et ad D. Secretarium

(121) Hanc rem docte expendit Bened. XIV. *De Synod. Dioeces. Lib. X. Cap. IX. num.* 1. *seqq. pag.* 269. *Edit. Rom.* 1755., et constituit Episcopum non posse sibi applicare multas a Tridentino inflictas Clericis non residentibus, aut concubinariis, et quae ad retundendam Clericorum, et Laicorum contumaciam indicuntur, itemque nulla certa Lege, vel Statuto sint taxatae, seu in certa pecuniae summa praefinitae, sed arbitrio Episcopo decernuntur. Sed poenas pecuniarias, quas incerta mensura designant canones, vel Synodicae Constitutiones, potest Episcopus in suae inopiae levamen erogare; et Episcopus, qui praefacta pecunia suam sublevare cupit inopiam, facultatem, eam sibi addicendi, petat a S. C. Concilii; et prout adnotavit Secretarius in Causa Novariensi diei 11. Maii 1658. *S. C. pro diversitate circumstantiarum, et Episcoporum, pro ut ipsis, et eorum integritate, et bonitati, magis, aut minus fidit, similia indulta applicandi poenas pecuniarias concessit*; et revera dicto Episcopo permisit ad sex annos, ut posset multis pecuniariis uti ad prosequendas lites, quas intentaverat pro indemnitate locorum piorum suae Dioecesis, cujus sumptibus subeundis pares non erant suae mensae reditus.

(122) Nempe scriptum fuit Eminentissimo Electori, ut multas, quas illa Curia exegit, restitui, condonarique faciat: *Regist. Lit. Lib.* 32. 14. *Martii* 1767.

cum Sanctissimo quoad multam respondit: *Callien. Matrim.* 7. *Sept.* 1776. *dub.* 1.

49. Inito Matrimonio clandestino inter Jacobum Mastini, et Livia Tucci causa fuit inquirendi, an locus esset multae pecuniariae, et in qua summa? S. C. respondit, esse locum in scutis 20. Nam Curia Episcopalis in scut. 50. imposuerat poenam Jacobo praedicto: *Feretrana Matrim.* 26. *Junii* 1779. *d.* 2.

50. Quum Episcopus Amerinus Sacra Apostolorum Limina visitaturus retulisset Cathedralis Ecclesiae Priorem Curatum, neque per se, neque per suum adjutorem Evangelium explicare in Missa Parochiali, sese exemptum, et a longa consuetudine munitam esse putantem, petit an, et quibus poenis sit idem Prior in casu contraventionis multandus. Sed S. C. scribi ei demandavit juxta mentem (123): *Amerina Visit. Sac. Lim.* 10. *Febr.* 1781. *dub.* 2.

51. S. C. mandavit Canonicos Ecclesiae Cathedralis renuentes adesse in eadem Ecclesia, cum Episcopus ordinationem statutis a jure temporibus ibi habeat, alternativae privilegio non obstante, coerceri arbitrio Episcopi pro poena pecuniaria tantum: *Alatrina* 20. *Aug.* 1785. *dub.* 2.

52. Per definitivam sententiam decrevit Episcopus Archipresbyterum Philippum Dominici ac Priorem Bernardinum Laurenti teneri ad redditionem rationis pro administratione bonorum ad plura Sodalitia Civitellae spectantium, et pro hujusmodi effectu mandata de gravando in scutato uno pro quolibet contra eosdem relaxavit, donec rationem reddidissent. Re in gradu appellationis ad S. C. delata, quamvis ipsos ad referendam rationem coegerit, gravatorias tamen non sustineri declaravit: *Tudertina Reddit. Rat.* 22. *April.* 1787. *dub.* 2. *confirmat.* 28. *Julii ejusd. anni.*

53. Capellanus Sodalitii B. M. V. de Consortio Massae Fiscaleae exequutionem decretorum Episcopi Cerviensis, qui Divina in Sacrario explere praeceperat, neglexit. Fundator Johannes Fabri autem mandaverat ut ministerium ille ageret ad unum, ut ipse censebat, Altare Ecclesiae B. M. V. de Consortio. Hoc sibi prodesse putabat, vel non incidisse, vel pro obtinenda gratia absolutionis a poenis quinquaginta obulorum pro unaquaque omissione, et fuit voti compos factus quoad secundam partem petitionis; nam quoad primam incidisse in censuram decrevit: *Cervien.* 7. *Junii* 1788. *dub.* 6.

54. Quum occasione Sacrae Visitationis Ecclesiae Collegiatae B. Mariae in Coelum Assumptae Sulmonis in Latio Vicarius Apostolicus integram procurationem exigere curaret, et Capitulum dimidiam ei deberi putaret, remissa fuit decisio ad S. C. hujus quaestionis, in qua Capitulum ait Vicarium Apostolicum ob excessivam exactionem incidisse in poenam dupli; at S. C. judicata non excessiva exactione, non incidisse illum in poenas decrevit: *Terracinen. et Setina* 18. *Junii* 1796. *dub.* 2.

Poena Temporalis seu multa quo ad

(123) Antequam S. C. opportunum responsum Episcopo proferret; rescribendum eidem voluit, ut exceptiones a Canonico Cibo exponendas recipiat, et S. C. transmittat. Interim vero jussit permittendam ab Episcopo esse PP. Cappucinis Doctrinae Christianae institutionem, quam prius sciente, et adprobante Episcopo praedecessore habere consueverant. Nam tam Sanctum Opus, quo dum animarum bono consulitur, nemini praejudicium infertur, nec disciplinae Ecclesiasticae ordo perturbatur impediendum esse nunquam S. C. putavit: *Regist. Lit. Lib.* 34. 10. *Febr.* 1781.

Absolutionem. *Vide Absolutio* §. *VIII.*

Poenitentiae Sacramentum. *Vide Sacramentum Poenitentiae*.

Poenitentiariae Praebenda. *Vide Canonicatus* §. *VII.*

Pœnitentiarius.

1. Poenitentiarii Minores Ordinis Praedicatorum in Basilica S. Mariae Majoris per Provincialem Romanae Provinciae Ordinis praedicti, seu Priorem S. Mariae supra Minervam de Urbe ad formam Motus Proprii S. Pii V. Pont. Max. servata norma Constitutionum Clementis VIII. et Innocentii XII. Sum. Pont. constitui debent; non autem electio eorumdem ad Cardinalem Majorem Poenitentiarium spectat: *Romana Pœnit. Minor. Liber. Bas.* 15. *Decem.* 1714. *dub.* 1.

2. Et praedictorum Poenitentiariorum minorum remotio ad P. Provincialem seu Priorem S. Mariae supra Minervam Ordinis praedicti ad formam pariter motus proprii praedicti S. Pii V. servata forma Constitutionum dictarum Clementis, et Innocentii non autem ad Card. Majorem Poenitentiarium spectat: *Ibid. dub.* 2.

3. Praedicti Poenitentiarii Minores curae jurisdictioni, potestati, Visitationi, et correctioni praedicti Provincialis seu Prioris ad formam motus proprii dicti S. Pii V. quoad ea, quae ad observantiam Regularum tantum pertinent, non Cardinalis majoris Poenitentiarii subjacent: *Ibid. dub.* 3 (124).

Reliqua *Vide Canonicus* §. *VI.*

Pollutio *Vide Ecclesia in Genere* §. 4.

Populus *Vide Benedictio* §. 3.

Pontificale Romanum (125).

1. Quoad Pontificalia Episcopi S. C. praecepit servandam esse consuetudinem cujusque Ecclesiae de qua consuetudine nisi constet, servandum esse id quod praescribitur in Pontificali: *Abulen. anno circiter* 1582. *dub.* 2.

2. Ecclesia Burgensis quaerit declarari, quid agendum sit, quando Dioecesanus, et Pontificale discordant? S. C. censuit servandum esse Pontificale

(124) Has resolutiones confirmavit Benedictus XIII. *Const. Emanarunt* 15. *Julii* 1724. *Bull. Rom. Tom.* 9. *Part.* 2. *pag.* 331. De eadem controversia quoad electionem nempe dictorum Minorum Poenitentiariorum Ordinis Praedicatorum Liberianae Basilicae, ac jurisdictionem in eos Card. Majoris Poenitentiarii antea a Card. Petra, dum munus Consultoris Canonistae Sacrae Poenitentiariae obibat, exaratus fuit *Discursus pro Card. Majori Poenitentiario, in quo examinatur praetensi Brevis Apostolici subsistentia, quod adversus illius jurisdictionem adducitur. quoad Minores Poenitentiarios Ordinis Praedicatorum Basilicae Liberianae et relatus in ejusdem erudito Opere de Sacra Poenitentiaria Apostolica pag.* 324. *edit. Rom.* 1712.

(125) Pontificale Romanum liber est Ritualis, quod complectitur ritus, et caeremonias Episcopales, quas Episcopi in suis functionibus Episcopalibus, in administrando Sacramento Confirmationis, Ordinatione Clericorum, Consecratione Episcoporum, Regum, et Imperatorum, benedictionibus vexillorum Militarium, Cruce-Signatorum adhibere solent. Hujus Libri plures prostant editiones, inter quas praecipuae sunt illae, quas procurarunt Pontifices Clem. VIII. Urban. VIII.; et eminet illa, quae Romae ex Typographia Vaticana apud Jo. Mariam Salvioni anno 1726. cura Card. Annibalis Albani prodiit in fol. in tres Partes divisa. Hunc Librum pro caeremoniis, et ritibus ab Ecclesiae Catholicae Episcopis observandis restitui primum Clem. VIII. *Const. Ex quo* 10. *Febr.* 1596. *Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 2. *pag.* 93. abrogatis aliis curavit, postquam eruditis viris, atque in Sacris caeremoniis exercitatis emendandum dederat. Post Clementem Urbanus VIII. *Const. Quamvis* 17. *Junii* 1644. Pontificale recensuit, cum plurimi errores denuo in eodem libro typographorum inscitia, seu incuria, aliave de causa irrepsissent, ut ait in cit. Const., quae in Bull. Rom. non fuit relata. Iterum editum est sub Bened. XIII., mandatum tamen ut nihil immutaretur. Joseph Catalanus super hunc librum Commentaria summo studio elaborata Romae anno 1744. edidit.

potius quam Dioecesanum, quia illud authenticum est (126): *Burgen. an. circiter* 1582. *dub.* 1.

3. Inde postulatur, quid agendum, quando Archiepiscopus celebrat in Pontificali sive missam audit in sua sede eminenti prope Altare? S. C. censuit non esse recedendum a praescripto Pontificali (127): *Ibid. dub.* 3.

4. Postquam S. C. declaraverat, non esse a Capitulo, et Clero terrae Serrae Capriolae solemniter Episcopum sub umbella in actu ineundi Visitatinem recipiendum ad januas Castri; sed tantum ad fores Ecclesiae indutum tamen habitu Episcopali: deinde servandum esse Pontificale, et Caeremoniale (128): *Larinen.* 12. *Apr.* 1698. *dub.* 1.

5. Expedit, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano *tit. de minor. Ordin.* (129) quoad dubium, an posita consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam tonsuram, et minores ordines die Vespere feriae sextae ante diem sabbati quatuor temporum? *Portallegren.* 13. *April.* 1720.

Pontificalia *Vide Episcopus.* §. XV.

Portio Canonica *Vide Episcopus* §. XVI.

Portionariatus quoad Erectionem.

Universitas loci de Paniza supplicavit ad divinum Cultum augendum, et ad occurrendum malae administrationi curae animarum Ecclesiae Parochialis pro erectione quatuor Portionariorum in dicta Ecclesia, ex quibus duo saltem deberent Confessiones audire assignata congrua ex massa communi redituum Ecclesiae; et S. C. non esse locum petitae erectioni, et ut Episcopus provideat prout de jure, decrevit: *Caesaraug. Erect.* 27. *Maii* 1702.

Portionarius, Portionarii *Vide Presbyteri Participantes*

Possessio.

1. Possessio capta ab Aloysio Terrentio nominato ad Capellaniam fundatam ab Ubaldo Conversi in Ecclesia S. Nicolai Castri Elegobitiarum non esse circumscribenda, prout praecedens Capellanus ad triennium nominatus autumaverat, ex quo ipse durante triennio, et proinde ante nominationem Aloysii a S. C. perpetuitatem postulaverat: *Pisauren. Capell.* 2. *Decem.* 1786. *dub.* 2.

2. Denegatur praetensa circumscriptio possessionis Capellaniae laicalis institutae a Valerio Augustino Salvatori in Ecclesia Cathedrali, in quam missus fuit Sacerdos Petrus Catrani absque citatione Francisci ejus Fatris post contractum ab eo matrimonium, dum petebat dispensationem illam retinendi: *Civitatis Castelli Capell.* 22. *Novem.* 1794. *dub.* 2.

Potentia *Vide Consuetudo* §. *II.*

Potestas *Vide Abbas* §. *IV. Administrator* §. *III. Archidiaconus* §. *II. Archiepiscopus, seu Metropolitanus* §.

(126) Hodie postquam Romanum Pontificale a Clemente VIII. Const. *Ex quo die* 10. *Febr.* 1596. et Urbano VIII. Const. *Quamvis die* 17. *Junii* 1644. Pontificibus Maximis emendatum fuit, suaque ipsorum auctoritate etiam communitum veteribus omnibus Pontificalibus abolitis, ab ipso emendato Laudatorum Pontificum Libro Pontificali nullatenus recedere licet, uti passim docent Canonici Juris consulti, inter quos Prosper Fagnanus *in Cap. Praesbyter num.* 41. *De Sacramentis non reiterandis. Lib.* 1. *pag.* 458. Hinc ad querelas Regularium Belgii, quum Archiepiscopus Mechlinensis Ordinationes ipsorum retardaret, novam juramenti formam petendo S. C. Concilii dubio, an Archiepiscopus, quando ordinat Regulares,, possit ab ipsis exigere promissionem obedientiae sibi praestandae ex forma Ritualis Alethensis a Clemente IX. praescripti? respondit, *negative:* Mechlinen. 29. Maii 1676. *Lib.* 29. *Decret. fol.* 254.

(127) *Vide not.* 300. *tom.* 3. *pag.* 313.

(128) *Vide not.* 23. *tom.* 2. *pag.* 25.

(129) *Vide not.* 721. *tom.* 2. *pag.* 514.

I. Archipresbyter §. *III. Beneficiati* §. *II. Canonici* §. *II. Capellanus* §. *VI. Capellanus Curatus* §. *I. Capitulum Ecclesiasticum* §. *III. Clerus* §. *II. Communitas Laicalis* §. *I. Confessarius* §. *III. Dignitates Ecclesiasticae* §. *III. Episcopus* §. *XVIII. Haeres* §. *I. Oeconomus Curatus* §. *III. Parochus* §. *IV. Praepositus* §. *III. Presbyteri* §. *IV. Prior* §. *III. Rector* §. *II. Sodalitium* §. *VII. Vicarius Capitularis* §. *III. Vicarius Curatus* §. *III.*

Potestas Absolvendi *Vide Confessarius* §. *III.*

Potestas Conferendi Ordines *Vide Sacramentum Ordinis* §. *V.*

Potestas Dispensandi *Vide Episcopus* §. *XVII.*

Praebenda *Vide Beneficia Ecclesiastica, Canonicatus.*

Praebenda Poenitentiariae *Vide Canonicatus.* §. *VI.*

Praebenda Theologalis *Vide Canonicatus* §. *IX.*

Praebendatus, Praebendati *Vide Beneficiati, Canonici.*

Praecedentia.

1. Censuit S. C. Episcopum procedere posse ad executionem Decreti Concilii *cap.* 13. *Sess.* 25. *de Reg.* (130), et Declarationum S. C. (131) inhibitionibus Tribunalis AC. non obstantibus: *Spoletana* 23. *Julii* 1629.

2. Participantibus Presbyteris Ecclesiae Asculanae post dimissa incompatibilia ad Ecclesiae servitium redeuntibus, an debeatur praecedentia juxta priorem eorum admissionem, vel ultimum locum tenere compellantur? deberi locum juxta novam admissionem S. C. consultum est: *Asculana Part.* 18. *Nov.* 1662. *dub.* 5.

3. In suscipiendis rationibus de reditibus, et eleemosynis Fabricae Parochialis Ecclesiae loci Vogtareith contentio inter Parochum, et Ferdinandum Jeremiam Strobl Praepositium laicum dicti loci, ad quem pertinet dictorum redituum ex more pervetusto administratio, super praecedentia in assidendo, subscribendisque rationibus, vel ad dextram, vel ad sinistram suborta est. Concistorium Archiepiepiscopale Salisburgense Parocho attribuit, et S. C., cui Strobl adiit, deberi Parocho decernit: *Salisburgen. Censur. et Praeced.* 11. *Maii* 1709. *dub.* 2.

4. Etiamsi ab Episcopo Segnensi fuerit pronunciatum Praepositum Ecclesiae Cathedralis Archidiacono ejusdem Ecclesiae praecedere debere, S. C. tamen dicta praecedentia Praeposito minime adjudicavit: *Segnen. Praeemi.* 9. *April.* 1718.

5. Dum S. C. Archipresbyterum una cum Capitulo S. Mariae Paganicae voluit tranferre ad aliam intra Civitatem Aquilae constructam Ecclesiam, censuit in veteri Ecclesia ab extra n incapata erectio fieret Perpetuae Vicariae cum cura animarum. Novo vero Vicario indultum fuit ut in actibus publicis incedere possit stola ornatus, atque uti Parochus, Canonicis, aliisque ipsius Ecclesiae Ministris praeferri. Jura modo sibi vindicare interrupta cupiens Vicarius hodiernus, congruum proponi curavit dubium, et hanc definitionem obtinuit ut nempe in supplicationibus funerum, et Rogationum, et aliis, quae fiunt in terra Paganicae possit ipse praecedere, et deferre stolam, non vero tam Canonicis, et Capellanis ab extra quam Archipresbytero Canonicis, et Capellanis ab intra, uti singulis, dum sunt praesentes excluso eodem Vicario, hoc licere possit: *Aquilana Praeemin.* 2. *Sept.* 1728. *dub.* 2

In confirmatione servari votum Card. Bellugae mandatur: 22. *Sept.* 1731. *dub.* 1.

(130) *Vide not.* 521. *tom.* 2. *pag.* 408.

(131) *Vide not.* 522. *tom. ibid.*

6. Incertum quum esset, an tam Archipresbytero, Canonicis, et Capellanis Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae de Paganica ab intra, uti universis, et uti singulis, quam Capellanis Ecclesiae S. Mariae ab extra competat praecedentia in Choro quoad Vicarium Curatum, qui in dicta Ecclesia ab extra constitutus est. S. C. rescripsit servari in omnibus votum Card. Belluga *Ead. Caus.* 22. *Sept.* 1731. *dub.* 3.

7. In supplicationibus funerum pro defunctis de Familiis alicujus Ecclesiae Parochialis seu Rectoralis oppidi Campobassi praecedentia, et usus stolae respective debetur Rectori defuncti, seu illius substituto privative etiam quoad Archipresbyterum Ecclesia Collegiatae S. Leonardi ejusdem loci, de cujus constat majoritate, minime vero eidem Archipresbytero competat: *Bojanen. Jur. Paroch. et Praeem.* 24. *Maii* 1732. *dub.* 10.

8. In aliis vero supplicationibus non funereis, ad quas accedit totum Corpus Collegii, seu Capituli usus stolae privative non competit soli Archipresbytero, sed cumulative cum dictis Rectoribus, seu Parochis: *Ibid. dub.* 14.

9. Larinensis Episcopus in Dioecesana Synodo Officium Cantoratus erexit in utraque Ecclesia Terrae Capriolae, statuitque, ut illud primum seniores ex cujusque Ecclesiae Portionariis obtinerent, deinde vero is, qui in cantus Gregoriani peritia ceteros antecelleret. Hujusmodi autem Cantores tum potiori prae aliis omnibus Portionariis honore, tum quibuscumque insigniis, et juribus vel sacris Canonibus, vel ex consuetudine Cantoris officio tributis, voluit cumulari. Sacerdos Dionysius de Nardellis, qui inter Portionarios quintum occupabat locum praeelectus in Cantoratu fuit; et eo exquirente, dedit decisioni locum, ut Dioecesanae Synodi Decretum, Portionariis Cantoratus Officium obtinentibus, tametsi non antiquioribus, primum locum deferens, sustineretur: *Larinen. Praeced.* 11. *Aug.* 1742. *dub.* 1.

10. Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Vasionis duobus ex Rectoribus Hospitalis pauperum infirmorum dictae Civitatis competere praecedentiam S. C. resolvit respectu Rectorum Laicorum tam in Congregationibus aliisque functionibus dicti Hospitalis, quam in subscriptione Resolutionum, et mandatorum administrationem bonorum respicientium: *Vasionen.* 19. *Junii* 1751. *dub.* 2.

11. Quum duae in Dioecesi Cassanensi adessent ejusdem nominis unius milliarii intervallo terrae, et duae respectivae Ecclesiae, una super altera de Matricitate contendit, et succubuit. Tintinnabulorum quoque antepulsatio in die Sabbati Sancti nulli tributa speciatim, sed datus est alternativae locus. Quaesierunt modo earum Ecclesiarum Rectores; cui ex duobus Cleris, et Rectoribus competeret praecedentia in supplicationibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis, quae forte unitim fieri contingeret; et definitionem audierunt, competere unicuique Rectori praecedentiam in propria Parochia: *Cassanen. Matricit. et Praeemin.* 3. *April.* 1756. *dub.* 3.

12. Et audierunt pariter alteram decisionem, quod nempe in supplicatione peragenda in die Dominico intra Octavam Corporis Christi in Ecclesia S. Margaritae delatio SSmi Sacramenti privative ad Archiepresbyterum S. Nicolai spectare non debeat: *Ibid dub.* 4.

13. Eugenius IV. Pont. Max. Cathedrali Ecclesiae Civitatis Hortae univit aliam Ecclesiam Cathedralem Civitatis Castellanae, itaut unus esset Episcopus, qui utramque regeret Ecclesiam, et Dioecesim Primum Episcopi simpliciter Hortani denominari coeperunt,

aut Hortanum Episcopatum alteri Civitatis Castellanae praemiserunt: deinde variatum reperitur. At quum Synodus nuper esset in Civitate Castellana indicta, quae juxta ordinem Decreti erat in Hortae Civitate indicenda, supplices fuerunt Pontifici, et hic in Civitate Castellana jussit convocari salvis juribus contendentium. Concordatum postea fuit dubium: an, et cui Ecclesiae Cathedrali competat praenominatio in Bullis Provisionum Episcopatus, et in ceteris actibus communibus respicientibus utramque Dioecesim, Ecclesiae Civitatis Castellanae competere S. C. definivit: *Civitatis Castellanae, et Hortanae Praeced.* 10. *Martii* 1759. *dub.* 1. *Confir.* 30. *Junii ejusd. anni.*

14. Quaesitum etiam fuit, in quonam ex praefatis Ecclesiis sit per Episcopum solemnis capienda possessio et resolutum fuit, in Ecclesia Civitati Castellanae esse capiendam: *Ibid. dub.* 2. *Confirmat. ibid.*

15. Petitum fuit ulterius, cui ex dictis Ecclesiis praecedentia pro inchoanda Synodo competat; et Civitati Castellanae juxta alternas vices competere, statutum est: *Ibid dub.* 3. *confirmat. ibid.*

16. Jam S. C. ante sanciverat, ut si Curatus S. Francisci de Paulla terrae Lugi occasione funerum eguerit majori numero Presbyterorum praeter suum Capellanum seu Ædituum in exclusionem Presbyterorum suae Parochiae teneri eum invitare Presbyteros servitio Collegiatae SS. Petroni, et Prosperi, non obstante, quod facultas ei data fuerit per defunctum eligendi Presbyteros benevisos. Modo eadem S. C. decidit in comitatu cadaverum Presbyteros adscriptos dictae Ecclesiae Collegiatae omnibus aliis, secluso Curato, et Vice-Curato praecedere debere: *Imolen. Jur. Paroch.* 20. *Decem.* 1760. *dub.* 10.

17. Antiquissima est de juribus praeeminentialibus contentio inter Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Agathae oppidi Proxeudis et alterum S. Mariae terrae S. Laurentii, quae loca in Dioecesi Ferentina sita sunt. Ecclesia oppidi S. Laurentii, Collegiatam praeextitisse longe ante annum 1564. ex quadam Indulgentiarum Bulla deprehendi dicit, et ex publico quodam possessionis Canonicatus instrumento, et testibus. Illa vero oppidi Proxeudis praesefert se anno 1764. praestantioribus insignibus esse donatam, quamvis, et alia anno 1759. se iisdem insignibus auctam probaret. Episcopus pro Collegiata S. Laurentii suum aperuit animum, et huic etiam tam in sedendo, quam in incedendo in synodo Dioecesana, aliisque functionibus Ecclesisticis praecedentiam deberi S. C. stabilivit: *Ferentina Praeced.* 14. *Maii* 1768.

18. Decisum primum fuit, ut Abbatialis Ecclesia S. Mariae de Platea pro principaliori ab ipsis Ecclesiae S. Severi Prioribus semper agnita esset Ecclesia Matrix Major, et praefatae Ecclesiae S. Severi dignior quoad actus tantum praeeminentiales: deciditur nunc, ut Crux ejusdem Abbatialis Ecclesiae, ejusque Abbas praecedere debeat Cruci, et Priori Ecclesiae S. Severi in omnibus supplicationibus, et funeribus etiam in iis, quae initium habent ab Ecclesia S. Severi: *Senogallien. Praeemin.* 30. *Januar.* 1779. *dub.* 2. *Confir.* 5. *Junii ejusd. anni.*

19. Et decisum exinde fuit, ut in supplicationibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus Crux Ecclesiae S. Severi deferri debeat cum pallio, seu velamine instar Regularium: *Ibid. dub.* 3. *Confir. Ibid.*

Reliqua Vide *Archipresbyter* §. *VIII. Beneficiati* §. *V. Cadaver* §. *III. Canonici* §. *VII. Capellanus* §. *VI. Capellanus Sodalitii* §. *I. Capitulum Ec-*

clesiasticum §. *VIII. Parochus* §. *VIII. Praeceptum Paschale* (132).

1. Disceptatum est, an famuli inservientes Monialibus Monasterii S. Matthaei Congregationis Lateranensis Spoleti positi, et degentes in domo intra fabricam, et atrium Monasterii constructa teneatur satisfacere debito praecepti Paschalis in Ecclesia Parochiali? affirmativum datum est responsum: *Spoletana Jur. Par.* 19. *Apr.* 1692. *d.* 1.

2. Edictum ab Episcopo emanavit, ut Confessarii omnes novam ab ipso reciperent adprobationem. Huic decreto Capellanus Arcis refragatus est, se esse exemptum praedicans. Verum S. C. jam ante definiit eum adprobatione Episcopi indigere; modo determinat, ut milites, aliique in ea arce degentes praeceptum annuae Paschalis Communionis in Parochiali Ecclesia S. Blasii explere tenerentur; necnon ipsi Parocho circa animarum curam, et Sacramentorum administrationem subesse deberent: *Ferrarien. Juris.* 12. *Januar.* 1704. *dub.* 3.

3. Ad quaesitum, an Archipresbyter S. Blasii olim S. Vittorini urbis Aquilae, qui cum habet territorium separatum cum qualitate nullius possit inferre contra Parochiae incolas non implentes Paschale praeceptum interdicta, vel excommunicationes? S. C. respondit, ut ipse possit procedere ad formam textus *in Cap. Omnis utriusque de poenit. et remiss.* (133): *Nullius seu Aquilana Jurisd.* 4. *Maii* 1726. *dub.* 16.

4. Simplices Clerici quamvis Beneficiati, sed nullum ab Ecclesia Cathedrali recipientes emolumentum non in propriis Parochiis, sed ab Episcopo in Feria V. Coenae Domini pontificaliter celebrante, juxta edictum publicatum die 3. April. 1735. SS. Eucharistiae Sacramentum ad exequendum Praeceptum Paschale recipere tenentur: *Suessana Servitii* 14. *Januar.* 1736. *dub.* 3.

5. Una erat in Prochyte Insula Ecclesia Parochialis S. Michaelis Archangeli, quam regebant Monachi Benedictinae Familiae, in Commendam postea datam. Aliae deinde Coadjutoriae in filiabus Ecclesiis erectae sunt, statutis ibi perpetuis Capellanis, qui necessitatis tantum Sacramenta ministrabant. Verum Archiepiscopus Neapolitanus occasione Visitationis statuit, ut licitum deinceps iis, qui Prochyte territorium incolunt intra fines trium Ecclesiarum esset Praeceptum Paschalis Communionis perficere, tam in unaquaque ex tribus Granciis, quam in Ecclesia Curata, et Matrice S. Michaelis Archangeli communicando; ita tamen ut Schedulae a Vicario subscriberentur. Ab hoc decreto provocavit Card. Ruffus illius Ecclesiae Abbas Commendatarius, atque Vicarius perpetuus, obtinuitque declarari, non in illis Granciis, sed in Ecclesia Matre satis praecepto Paschali fieri debere. *Neapolitana Decreta* 29. *Febr.* 1744. *dub.* 1.

6. Innocentius VI. Pont. Max. quoad locum, nomine antea S. Lazari prope Civitatem Avenionensem in quo Bernardus Rascha, ejusque uxor fundaverant Archihospitale S. Marthae Virgi-

(132) *Const. Circumspecta* 9. *Aug.* 1586. *Bull. Rom. Tom. V. Part.* 1. *pag.* 159. Sixtus V. Pont. Max declarat eum Ecclesiae praecepto non satisfacere, qui a Dominica Palmarum per totam Octavam Paschalis extra Parochiam sine licentia proprii Parochi, Sanctissimae Eucharistiae sumpserit Sacramentum. Nam in Dioecesi Brixiensi dubitatum fuerit; an praecepto Ecclesiae satisfaciat, quo S. Eucharistiam sumpserit in Ecclesiis Ordinum Mendicantium infra Octavam Resurrectionis. De praecepto Paschali plurima erudite congerit Benedictus XIV. *Instit. Eccle. XVIII. et L. V. Tom. XI. pag.* 109. *et* 368.

(133) *Vide not.* 126. *tom.* 1. *pag.* 168.

nis pro recipiendis, alendisque pauperibus, et infirmis eo confluentibus, Cappellae curam, et Sacramentorum administrationem dedit Patribus Sanctissimae Trinitatis. Quaestio hinc facta fuit inter Capitulum, Decanum Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Petri, intra cujus Parochiae fines situm est Archiospitale, et ipsos Patres Trinitarios de Paschalis Praecepti implemento. Sed decisio a S. C. prodiit, ut familiares, et Domestici degentes in eodem Archihospitali, eidemque inservientes non in Archihospitalis Ecclesia, sed in praefata Parochiali, et Collegiata Ecclesia S. Petri praeceptum Paschale eximplere tenerentur: *Avenionen.* 12. *Sept.* 1750. *dub.* 3.

7. In pagellis distribuendis ad probationem implementi praecepti Paschalis in Ecclesia Parochiali S. Nicolai Civitatis Andriae Coadjutricis praeter titulum dictae Ecclesiae S. Nicolai addi debet alter Coadjutricis Cathedralis absque subscriptione Archipresbyteri. *Andrien.* 24. *Januar.* 1767. *dub.* 15. *confir.* 19. *Sept. ejusd. anni.*

8. Ac a Vicario S. Nicolai dictae pagellae colligendae sunt: *Ibid. dub.* 16. *confirmat. ibid.*

9. Degentibus in districtu Ecclesiae praedictae S. Nicolai, quae Coadjutrix est Cathedralis unicae Parochialis, praeceptum Paschale in Cathedrali praedicta exequi licere firmatum fuit: *Ibid. dub.* 20. *confirmat. ibid.*

10. Sebastianus, Carolus, et Jacobus fratres Villae Marranellae, et Ecclesiae Castri Bastiae Parochiae incolae, quum praedium emphyteuticum acquisierint intra fines Parochiae S. Donati, Paschale praeceptum non amplius in Ecclesia Castri Bastiae, ubi Majores adimpleverunt, sed in illa S. Donati implere curarunt. Sed dum Vicarius Generalis jussu Jacobo praeceptum indixit, ut sub poena scutorum 50. ipse cum tota sua familia Eucharistiam in Paschate sumeret in Parochiali Ecclesia Castri, ejusque Parocho integram Decimarum quantitatem solveret, ad trutinam positum est, num praeceptum illud Curiae Episcopalis sustineretur, sed non sustineri mandavit: *Nucerina Praecepti Pasch., et Solut. Decim.* 14. *Martii* 1774. *dub.* 1.

11. Centum Faventini Cives simul uniti sese exhibuerunt ad defendendam patriam ab Guelphorum, Gibellinorumque factionibus, eamque restituendam ad pristinum pacis, ac tranquillitatis statum, *Centum* propterea *Pacifici* nuncupati. Inter cetera, quae a pluribus Pontificibus obtinuerunt privilegia, fuit illud, ut nempe omnes de numero Centum Pacificorum duobus vicibus intra annum, die scilicet Paschalis Resurrectionis, et die Sanctissimae ejus Nativitatis, tenerentur unitim cum Gubernatore, et Cancellario Sacramentum Poenitentiae, et Eucharistiae in Ecclesia Cathedrali sumere. Idcirco praecepto Paschali per manus Canonici ad id deputati jam implevisse putantes in Parochiali Ecclesia communionem nunquam iterarunt. Sed respectivis modo contradicentibus Parochis, S. C. eos in propria respective Parochia praeceptum efficere cogit: *Faventina* 29. *Novem.* 1777.

12. Parochiae Villae Castilionis incollae tenentur adimplere praeceptum Paschale in Parochiali Ecclesia S. Antonii Abbatis dictae Villae, minime vero in Ecclesia Cathedrali Cerviae, quamvis Archidiaconus dictae Cathedralis habeat jus nominandi Parochum ad nutum amovibilem, qui tamen inconsulto Episcopo removeri nequit: *Cervien.* 16. *Martii* 1782.

13. Cathedralem visitans Ilerdae Episcopus morem ibi invenit, quod Cathedralis Parochus, qua Parochus Matricis, et universalis Civitatis Parochiae

Eucharistiam ceteris Parochiae incolis tempore Paschali distribuebat, Parochiaeque incolae satis praecepto faciebant; cum Canonicis ideo pepigit, ut difficultas, quam desuper ipse habebat, a S. C. definiretur. Perpenso hinc dubio, an ad explendum praeceptum sumendi Eucharistiam tempore Paschali, satis sit illam sumere in Cathedrali; an vero necessarium sit illam sumere in propria uniuscujusque Parochia, quacumque consuetudine non obstante? responsum fuit, ut scribatur Episcopo ad mentem: *Ilerden.* 28. *Maii* 1785.

Reliqua *Vide Sacramentum Eucharistiae* §. *I.*

Praedicatio *Vide Concio.*

Praedicator *Vide Concionator.*

Praedium *Vide Bona Ecclesiastica.*

Praeelectio *Vide Concursus* § *II.*

Praeeminentia *Vide Archipresbyter* §. *IX. Ecclesia Matrix etc. Episcopus* §. *XVIII. Parocus* §. *VIII.*

Praelati Inferiores *Vide Abbas, Archipresbyter, Praepositus, Regulares.*

Praelatio *Vide Contractus* §. *VII. Emphyteusis* §. *II. Subsidium Dotale* §. *X.*

Praepositurae dignitas.

1. Addiscitur a S. C. utrum Praepositurae ab initio curam animarum habentes, etiamsi sint Ecclesiae Collegiatae, comprehendantur sub dispositione *cap.* 18. *Sess.* 24 (134)?

2. Et quid si ex post facto animarum cura illis adjuncta sit? comprehendi Praepositurae existentes in Collegiatis, sive ab initio, sive ex post facto animarum cura adjuncta sit: *Avenionen.* 25. *Octob.* 1586. *dub.* 8. *et* 9.

3. Praeposituram ad Scalas Sanctas possidet Johannes Franciscus Tenderinus nuper ad Episcopatum Civitatis Castellanae, et Hortanae assumptus. Hic in sequelam Decreti Consistorialis indultum retinendi beneficia compatibilia obtinuit. Propterea haec compatibilitas dissereudi locum tribuit, et S. C. censuit Praeposituram praefatam incompatibilem cum Episcopatu esse. Nam onus in fundatione habuisse celebrandi per se ipsos, seu residentiae, ac Capellanis praesse evincitur, licet contraria adsit observantia cum ab onere praedicto sese possessores eximerint, ita observantia haec in jure non suffragatur: *Romana Praepos.* 1. *April.* 1719.

4. Sacerdos Andreas Valentinus a patronis ad Praeposituram oppidi Petrae Sanctae fuit praesentatus. Hoc oppidum in temporalibus Magno Duci Hetruriae, et in spiritualibus Episcopo Lucano subjectum est. Ille tanquam inhabilis ab Examinatoribus fuit rejectus, appellavitque ad Nuntiaturae Florentinae Tribunal, qui novos deputavit Examinatores qui idoneum esse putarunt. Sententia prolata mandavit idem Tribunal, ut in Praepositura institueretur, sed institutio concessa ei non fuit; proindeque actum est in S C. de validitate praedictae sententiae, et S. C. ratam non agnovit ex defectu tamen citationis, et transportationis Actorum, et ut Valentinus accedat ad urbem ad se subjiciendum novo examini jussit: *Lucana Praepos.* 16. *Decem.* 1719.

5. Reditus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae ad Gradus Civitatis Coloniae adeo erant imminuti, ut nil superesset pro fabricae, ministrorumque manutentione. Distributiones ob tenuitatem negligebantur, et grave nimis erat aes alienum, quia sub gravibus contractum

(134) *De Reform.* ubi concursus indicitur in provisione Ecclesiarum Parochialium; et quum nulla certa, ac peculiaris forma, seu methodus in dicto Decreto servanda proponantur pro examine in concursu promovendorum ad dictas Ecclesias; haec hodie statuta legitur in Literis Encyclicis Clem. XI. et Const. Bened. XIV. *Cum illud.* 14. *Decem.* 1742. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag.* 98.)

usuris. Status hic causa fuit, ut praepositurae, quae erat prima Dignitas, suppressio ante oculos mentis poneretur, ejusque bona adplicaretur Capitulo. Cognita re a S. C., haec rescripsit ad D. Secretarium cum Ministris Datariae 26. *Januar.* 1726. Suppressa tandem Electore, et Archiepiscopo probante fuit; et Decanatus, quae secunda Dignitas erat, ad primam fuit elevatus, Sedi Apostolicae reservatus. Suppressioni refragari conatus fuit Praepositus, petiitque audiri, sed in proposito consilio S. C. permansit, juxta modum (135): *Colonien.* 24. *Maii* 1727.

6. Instituit Joseph Balduccius in Ecclesia Collegiata S. Justinae oppidi Mandulphi Praeposituram secundam Dignitatem illius Ecclesiae cum praelatione nominationis trium familiarum, ac substitutione Communitatis, adjecta conditione, ut nominati Lauream Doctoralem assequi debeant. Ad eamdem obtinendam satis non esse aetatem 14. annorum, in qua Clericus Thomas Briganti constitutus est, S. C. decernit; etiamsi adnexam nullam jurisdictionem, ac animarum curam habeat: *Senogallien.* 30. *Aug.* 1766. *d.* 1.

7. Ad eamdem vero assequendam requiri Sacerdotium in nominatis ad eam a tribus familiis, penes quas jus nominandi juxta Testatoris votum manet, quamvis Laurea Doctoralis necessaria haud sit, statuit eadem S. C. *Ibid. dub.* 2.

8. Vacante Praepositura, quae quarta est Collegiatae Ecclesiae SS. Petri, et Dalmatii Civitatis Alexandrinae Dignitas, Comes Lucas Pertustati patronus praesentavit Gherardum Franciscum Calliani Ecclesiae Militiae nondum adscriptum. Nulla facta mora nominatus petiit ab Ordinario tonsuram, et recusante Ordinario gratiam *pro praesentato* a Dataria Apostolica obtinuit. Comparuit interim coram Dataria Sacerdos Carolus Berio, qui subsidiariam ad Praeposituram nominationem reportaverat. Sed cum ex fundationis lege Callianus fuerit quinto loco vocatus et Berio idoneitatem praesetulerit, dissidium evadere facile non fuit, et ad dubium, an esset supplicatio signanda? responsum fuit, dilata, et interim tempus, et tempora non currere: *Alexandrina Praepos.* 31. *Aug.* 1771. *dub.* 2. Mandatis S. C. paruit illico solus Callianus in Domo Congregationis Missionis Civitatis Taurini permanendo, et in Seminario Episcopali spiritualibus exercitiis vacando, idcirco affirmativum meruit responsum: 12. *Junii* 1773.

§. I. *Praepositus Coadjutus, et Coadjutor.*

Explicatur dubium, an Canonicus Praepositus Coadjutus in animarum curae Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Prosperi civitatis Regii Lepidi teneatur assignare aedes Ecclesiae adnexas ex providentia Testatorum destinatas Canonico Praeposito Coadjutori onus curae absque ullo emolumento sustinenti? S. C. distulit responsionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem (136): *Regien. Domus Pa-*

(135) Ut nempe bona Praepositurae perpetuo alienari nequeant, et in casu, quo provisio Decanatus S. Apostolicae quovis modo impugnetur, suppressio ejusdem Praepositurae pro non facta haberetur; nec non jus nominandi ad duos Pastoratus, et alia quinque Beneficia seu officia specialiter concessa, cessantibus reservationibus Apostolicis ad Praepositum pro tempore existentem spectans, in Decanum ejusdem Collegiatae transfertur cum onere ejusdem Praepositurae congruae dictos duos Pastoratus obtinenti prout antea tenebatur; quodque jus praesentandi, seu nominandi hujusmodi censeatur Ecclesiasticum, reservationibus, et affectionibus praefatis subjectum cum derogationibus, et decretis opportunis: *Lib.* 77. *Decret. pag.* 312.

(136) *Vide not.* 92. *tom.* 2. *pag.* 75.

roch. 5. *Maii* 1742. Postea affirmativum datum est responsum, ita tamen, ut Praepositus Coadjutor teneatur exercere curam animarum per se ipsum, et inhabitare domum, de qua agitur: 14. *Novem. ejusd. anni.* Denuo causa ad trutinam revocata, Praepositum Coadjutum habere habitualem curam adnexam, et Coadjutorem immiscere nequire, eo dissentiente, et S. C. recessit a decisis, et dixit Praepositum Coadjutum in casu, de quo agitur, et perspectis peculiaribus circumstantiis non teneri assignare Domum: Quo vero ad obligationem Praepositorum pro tempore exercendi curam animarum per se ipsos, et Domum praedictam inhabitandi, videatur particulariter: 4. *Mai* 1743.

§. II.

Praepositus quoad Congruam, Fructus, et Emolumenta.

1. Censuit Praepositum habentes onus curae animarum annexum, si tempore, quo divina officia celebrantur, audiat confessiones, vel alia ad ipsam [illegible] spectantia exerceat, lucrari de[illegible] distributiones quotidianas, etiamsi divinis non intersit: *Mediolanen.* 13. *Febr.* 1639.

2. Praeposito Ecclesiae Collegiatae Castri Novi, cui annexa est animarum cura cum administratione Sacramentorum debentur distributiones quotidianae tempore divinorum officiorum, si eo tempore sit in actu dictam curam exercendi, et Sacramenta administrandi: *Tortonen.* 19. *Sept.* 1643.

3. Praeposito de annis 1667. et 1668. non debentur distributiones, ex quo praetendit sibi fuisse a Capitulo impeditam residentiam causa studiorum? *Mediolanen. Distrib.* 18. *Novem.* 1673. *dub.* 3.

4. Item Anniversaria, quae comprehenduntur sub nomine distributionum ei pro tempore, quo causa studiorum abfuit, etiam illorum portio non debetur: *Ibidem dub.* 4.

5. Praepositus prima Dignitas Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai Urbis Andriae post sexennale chori servitium juxta Capituli Statuta non debet ad partitionem Massae Communis admitti. Nam servitium altaris eo tempore haud praestitit.: *Andrien. Servitii, et Particip.* 19. *Sept.* 1700. *dub.* 2.

6. Ad Praepositum Ecclesiae Collegiatae Insulanae, qui ad servitium chori sub punctatura determinanda ab Episcopo tenetur, super omnibus fructibus Praepositurae extra Massam Capitularem spectant omnes fructus deductis oneribus; et quoad laudemia, census, canones, et Anniversaria debentur eidem duae portiones: *Cavallicen. Praepos.* 19. *Febr.* 1701. *d.* 2.

7. Deinde fructus spectantes ad Praeposituram extra Massam Capitularem non accrescere Praeposito non inserviendo Canonicis; fructus vero Praebendarum Canonicalium non residentium Praeposito ad formam transactionis anni 1588. et 1591. adaugere decisum est: *Ibid. dub.* 3.

8. Et ad dubium: an dictus Praepositus dempta duplici rata parte sibi competente, et universis Ecclesiae oneribus deductis, fructus residuales in proprios usus convertere possit, vel eos erogare tenetur ad ea, quae dictae Ecclesiae servitio necessaria sunt? rescribitur in secundo provisum: *Ibid. dub.* 4.

9. Praeposito, ac Parocho Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae Fossae ratione oneris, et subministrationis Sacramentorum licere percipere duplicatam ratam partem tantum decimarum, quae a Parochiae dictae terrae incolis exigi solitum est, et consuetim tradi S. C. decrevit: *Aquilana Jur. Paroch.* 3. *Sept.* 1701. *d.* 3.

10. Ac eidem Praeposito deberi partem, sive ratam duplicatam ex omnibus fructibus, proventibus, oblationibus, officiis Mortuorum, funeribus, legatis, eleemosynis Missarum, aliisque juribus, et emolumentis certis, et incertis perpetuis, sive ad tempus ad dictam Ecclesiam Collegiatam illiusque Capitulum, etCanonicos quomodolibet spectantibus, et quavis de causa, et occasionibus provenientibus exceptis distributionibus: *Ibid. dub.* 4.

11. Suppressa Cathedra Episcopali in Ecclesia Collegiata Atinensi ob diminutionem redituum ejusdem Ecclesiae Praeposito Mitrato fuit concessum regimen Ecclesiae, qui quum modo esset Episcopus Aquinatensis, S. C. sancivit eumdem Praepositum Commendatarium dictae Ecclesiae in eadem nec divinis intervenienti, nec residenti non deberi distributiones quotidianas: *Nullius Atinae Distrib.* 17. *Junii* 1702.

12. Ex reditibus, et proventibus Collegiatae Matricis Ecclesiae S. Georgii Terrae Modicae in primis extraenda non est, et consignanda Praeposito congrua ratione curae animarum: *Syracusana Praeposit.* 2. *Julii* 1707. *dub.* 1.

13. Et praeter congruam ratione Curae ad eumdem Praepositum non spectant, ac veniunt ei consignandi fructus Praebendae ratione Praepositurae: *Ibid. dub.* 2.

14. Necnon ad ipsam Collegiatam pertinet fructus, seu Praebendae Praepositurae Ecclesiae Matricis S. Georgii toto tempore vacationis: *Ibid. d.*3.

15. Fructus insuper, seu Praebendae ejusdem Praepositurae debentur Praeposito pro rata temporis licentiarum S. C., et is infra mensem redire omnino ad residentiam debet: *Ibid. dub.* 4. *confir.* 14. *Januar.* 1708.

16. Praeposito Josepho Damiano Ecclesiae Collegiatae, ac Receptitiae S. Nicolai Civitatis Andriae absenti ultra tres menses non deberi Missarum partitionem per vices tempore absentiae statuit S. C.: *Andrien. Particip.* 1. *Junii* 1709. *dub.* 3.

17. Praepositus Ecclesiae Parochialis S. Georgii Terrae Urbisaliae interveniens invito Plebano Ecclesiae Parochialis S. Laurentii dictae Terrae in funeribus Incolarum Plebaniae nequit exigere unum intortitium ex iis, quae circa cadaver deferuntur, et apponuntur, nec dicto Praeposito ab haeredibus defuncti debetur: *Maceraten. Jur. Paroch.* 17. *Junii* 1719. *dub.* 3.

18. Cura actuali animarum Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae Pedonis Praeposito adjudicata, S. C. declaravit emolumenta ex functionibus proprie Parochialibus provenientia ad eumdem privative non spectare, sed ad Canonicos una cum Praeposito: *Mediolanen.* 26. *April.* 1732. *dub.* 4.

19. Et Praeposito competunt privative quoad Capitulum, et Canonicos omnia emolumenta quomodolibet consueta, et provenientia tum ex animarum cura, tum ex ejus exercitio, obeundo etiam per ejus Coadjutorem, seu ejus substitutum, praeterquam quoad Decimas: *Ibid. dub.* 5.

20. Pia Legata, Missae, Officia pro defunctis facienda, vel annualia tam ante, quam post erectionem Collegiatae relicta, et relinquenda Ecclesiae spectare, quoad emolumenta ad Praepositum una cum Capitulo: *Ibid. d.*6.

21. Emolumenta funeraria, comprehensis etiam Officiis provenientia ex tumulatione cadaverum extraneorum pertinet ad solum Praepositum, non sunt ponenda in massa capitulari: *Ibid. d.* 7.

22. Et cera superextans in funeribus, et eorum occasione, etiam accensa in Ecclesia, et Altaribus spectat privative ad Praepositum, non est in

Massa Capitulari ponenda: *Ibid. d.* 10.

23. Dubio examinato: an emolumenta debeantur Praeposito Collegiatae, ac Parochialis Ecclesiae S. Laurentii Civitatis Mortarii accedenti tam cum Clero, quam sine Clero pro cadaverum comitatu ad Ecclesiam S. Bernardini Minorum Fratrum de Observantia occasione electionis sepulcri in eadem Ecclesia? S. C. rescripsit, dilata, et proponatur auditis Paroeciae incolis: *Viglevanen. Funer.* 18. *Maii* 1743. *d.* 2. Deinde juxta solitum excepto emolumento pluvialis deberi idem S. C. affirmavit: 27. *Junii* 1744.

24. Praepositus Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Stephani oppidi Castri Fidardi, cui concessum fuit indultum jubilationis, si choro non intersit, participare de punctaturis, et fallentiis debet; *Lauretana Jubil.* 2. *Decem.* 1775. *dub.* 2.

25. Capitulum Indulta absentandi, quae Laurentius Peroli Ecclesiae Collegiatae S. Juliani oppidi Gaudiani Praepositus obtinuerat, ignorans ad partitionem distributionum devenit juxta solitum relicta in communi massa portione Praepositi absentis, illiusque Praesbyteralis Praebendae fructus sub sequestro posuit, quia Praepositus discedens neminem onera suae Praebendae impleturum relinquerat. Contra haec Indulta utpote quae subreptitie obtenta fuerint, Capitulum egit, de quibus nulla prodiit declaratio. Nunc disputat, illi fructus Praebendae nequaquam deberi. Sed deberi S. C. respondit; *Novarien. Distrib. et Fruct.* 1. *Martii* 1777. *dub.* 2. Urget Capitulum quod indulta exhibita nunquam fuere penes acta Cancellariae Episcopalis, quum Episcopus Praeposito ipsi ea repetenti remiserit. Postulato hinc, num esset standum, vel recedendum a decisis? rescriptum fuit, dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem (137): 5. *Julii ejusd. anni*.

26. Unita ita fuit Ecclesia Collegiata S. Donati Montis Ulmi alteri SS. Petri, et Paulli, ut sua quaelibet retineret bona, Praepositus, qui prima erat Dignitas, et Parochus fuit. At Praepositus SS. Petri, et Paulli descendit ad secundam sedem nomine Archidiaconi. Prima Dignitas SS. Petri, et Paulli distributiones capiebat in tertia parte majores Canonicalibus; eas ab ipsa unione percepit translatus Praepositus S. Donati, aeque, ac Archidiaconus, qui in sua exigendi possessione continuavit. Modo autem contendunt Capitulares de exequendis inter eum, et Canonicos distributiones. Sed Praepositus Nicolaus Barba SS. Petri, et Paulli observantiam soliti efflagitat: S. C. rescripsit ei distributiones quotidianas juxta votum Archiepiscopi deberi (138): *Firmana Distrib.* 15. *Maii* 1790.

(137) Nempe ut Episcopus referat, an ab eodem editum fuerit Decretum, illudque penes acta suae Curiae extet, quo idem jusserit, ut exequeretur Indultum ad hac S. C. concessum sub die 6. Maii 1775. in favorem Rev. Perolij, quo eidem facultas concedebatur abessendi a choro, et servitio Ecclesiae per quatuor menses ex causa litis agendae in Urbe ad tuenda jura suae Praepositurae cum perceptione omnium fructuum, distributionum, aliorumque emolumentorum, quae ad intervenientibus percipiuntur: *Regist. Lit. Lib.* 33. *die* 5. *Julii* 1777.

(138) Qui firmissime inquit, „ omnis ratio postulat, et jus exigit, ut eadem methodus in distribuendis fallentiis servetur, seu usque adhuc fieri assuevit, itaut Praepositus pari passu in hac re ambulet cum Archidiacono, hoc est uterque tertiam partem lucrentur supra id, quod habent Canonici, quemadmodum uterque juxta eamdem rationem proprias fallentias persolvit." *Ead. Caus.* 15. *Maii* 1790. §. 3.

§. III.

Praepositus quoad Jura, et Potestatem.

1. Censuit S. C. si cura animarum injuncta Praepositurae sit ampla, ut supponitur, posse Praepositum Coadjutorem retinere, ita tamen, ut ea omnia per se ipsum impleat circa hujusmodi curam animarum, et Sacramentorum administrationem, quae implere juxta prascriptum: *Cap.* 3. *Sess.* 7. *de Reform.* (139) posset: *Crassetana* 16. *Sept.* 1645.

2. Causa reformationis statutorum Parochialis, et Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Terrae Fossae propositis dubiis S. C. respondit, ad Praepositum nempe, et Parochum Ecclesiae praedictae spectare Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum in festivitatibus solemnioribus exponere, et instar supplicationis deferre, populoque benedictionem impertiri, et quoad alias festivitates servari solitum: *Aquilana Jur. Paroch.* 3. *Sept.* 1701. *dub.* 1.

3. Dubium an Praeposito Ecclesiae Cathedralis habenti cumulativam cum Episcopo, potestatem scilicet punien-di Capitulares in causis gravioribus, liceat exercere munus Vicarii Generalis, ad quod Episcopus assumpsit? S. C. commisit S. C. Episcop. et Regular. pro definitione: *Anagnina* 17. *April.* 1706. *dub.* 2.

4. Sacra Romana Rota Praeposito Ecclesiae S. Leucii loci de Atissa manutentionem concessit cognoscendi causas civiles, matrimoniales, et criminales. Remisit autem ad S. C. definitionem articuli, num per S. Concilium Tridentinum sublata remanserit quadragenaria cum titulo, seu privilegio. Quadragenariam cum titulo, seu privilegio Concilium substulisse S. C. definivit, subjunxitque causas praefatas ab Archiepiscopo dumtaxat Theatino, non a Praeposito fore cognoscendas. Reclamavit Praepositus pro revocatione Decreti, sed responsum hoc tulit, ut, donec a sacra Rota nonnullae definiantur quaestiones, illi a S. C. remissae, (140) interim sese abstineret a concedendis dimissoriis, licentiis concionandi, et adprobandi confessarios: *Theatina seu Nullius Atissae Jurisd.* 19. *Aug.* 1702. (141).

5. Praepositus, Canonici cum aliis

(139) Ibi „ Inferiora beneficia Ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis dignis, et habilibus, et quae in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, juxta Const. Alex. III. in Later. quae incipit *Quia nonnulli*, et aliam Gregorii X. in generali Lugdunen. Concilio, quae incipit *Licet Canon*, editam conferantur, aliter autem facta collatio sive provisio, omnino irritetur; et Ordinarius Collator poenas Constitutionis Concilii generalis, quae incipit *Grave nimis*, se noverit incursurum “.

(140) *In Decis. Theatina Jurisdictionis* 14. *Maii* 1708. *cor. Scotto* concessa fuit Praeposito manutentio pro effectu revocationis edicti spoliativi et attentati Archiepiscopi in omnibus actibus cujuslibet specie Jurisdictionis in loco Atissae nempe etiam quoad saepius enunciatos tres actus concedendi Dimissorias, licentias concionandi, et approbandi confessarios.

(141) „ Optimo enim motivo processit S. C. cum enim Rota, etsi declarasset locum Atissae fuisse intra fines Dioecesis Theatinae, tamen non fuit interlocuta super certis actibus praetensis a Praeposito in vim privilegii, vel praescriptionis; sed tantum decidit, quoad causas Matrimoniales, et Criminales ad favorem Archiepiscopi; hinc judicium super reliquis actibus debebat continuari in Rota, nec Archiepiscopus potuisset de facto spoliare Praepositum, sed in executionem rescripti S. C., et decisionis Rotalis tantum illi prohibere cognitionem Causarum matrimonialium, et Criminalium. Sicque bene, quoad alios actus contentos in edicto prohibitorio remisit S. C. ad Rotam, ut decideret; sed quia dicti tres actus nequeunt a Praelato inferiori acquiri, nec etiam ex consuetudine immemorabili, ideo donec firmaretur vera qualitas nullius per Rotam, recte S. C. inhibuit Praepositum

Ecclesiasticis tam Collegiatae Ecclesiae Terrae majoris, quam ejusdem oppidi sunt Archiepiscopi Amalphitani jurisdictioni subjecti. Nam exemptio illis a Sum. Pont. impertita fuit, postea vero revocata, de qua inde facta fuerit inter partes transactio: *Amalphitana Jurisd.* 30. *Sept.* 1702. *dub.* 1. *confir.* 2. *Decem. ejusd. anni.*

6. Ac Praeposito dictae Ecclesiae uti Pontificalibus nequit. Hoc enim jus in concordia ei fuit reservatum, at S. C. ei inde mandaverat, ut se abstineret ab eo exercendo: *Ibid. d.* 2. *confirmat. ibid.* Licet postea eadem Ecclesia erecta fuerit in Cathedralem, tamen S. C. quoad usum Pontificalium stetit in decisis: 27. *Januar.* 1714. *d.* 1.

7. Deinde decrevit eadem S. C. indultum usus Pontificalium Praeposito Ecclesiae Collegiatae S. Mariae ad Mare tantum in propria Ecclesia, et absente Archiepiscopo, ac Vicario Generali concedendum esse: *Ibid. d.* 2. At praevio recessu a decisis responsum negativum datum est: 9. *Junii ejusd. anni*, *confir.* 1. *Sept. ejusd. anni.*

8. Ac dictus Praepositus una cum Canonicis teneri per se ipsos singulis annis statuta die Octava Maii praestare obedientiam Archiepiscopo, non per Primicerium tantum: *Ibid. d.* 3.

9. Solum Praepositum Ecclesiae S. Petri Terrae Vasti privative attinet exercitium in Ecclesia S. Mariae de Pinna in cujus Ecclesiae limites sita illa est, omnium jurium mere Parochialium tantum juxta Decretum S. C. Rituum: *Theatina* 15. *Nov.* 1704. *d.* 3.

10. Sodales Societatis Mortis, et Orationis Casalis Majoris non possunt cogi, sed hortari per Praepositum Ecclesiae Parochialis S. Leonardi, intra cujus limites habent Oratorium, ad celebrandum in dicto Oratorio quotannis Festum B. M. V., quod recurrit die 8. Sep. *Cremonen.* 23. *Januar.* 1706. *dub.* 4.

11. Nec licet eidem Praeposito dictum Festum Natalitium celebrare in dicto Oratorio invitis Confratribus: *Ibid. dub.* 5.

12. Et dubium, an, et a quibus debeatur eleemosyna pro missa solemni, aliisque functionibus causa praefatae Festivitatis peragendis? non indiget responsione, nihil ille praetendit: *Ibid. dub.* 8.

13. Capellanus autem dicti Oratorii potest recitare privatim qualibet die Sabbati, et aliis diebus ad formam Constitutionum Sodalitii Litanias B. M. V. absque licentia, seu Praepositi interventu: *Ibid. dub.* 9.

14. Non vero fas est idem Capellano in supplicationibus, aliisque functionibus, dum una cum fratribus incedit, ac intervenit respective, uti Stola praesente etiam dicto Praeposito extra Oratorium: *Ibid. dub.* 10.

15. Deinde disputata haec fuerunt dubia; an Sodales Confraternitatis praedictae celebrantes Festum Nativitatis B. M. V. in eorum Oratorio teneantur invitare Praepositum S. Leonardi ad illud celebrandum? et quatenus affirmative.

16. An dictus Praepositus onus habeat per se ipsum in eodem Festo Missam solemnem peragere, et quatenus impeditus teneatur Capellanum dicti Oratorii deputare, vel valeat alium Sacerdotem sibi benevisum constituere? S. C. hisce respondit ut differatur declaratio, et interim per modum provisionis, et sine praejudicio jurium partium Sodales invitent Praepositum

eorum exercitium" Card. Petra *Comment. tom.* 5. *pag.* 67. *ad Const. IV. Calisti III. Sect. II. num.* 72.

ad celebrationem Festi, eoque renuente, vel impedito eligant Sacerdotem sibi benevisum: *Ead.* 31. *Julii* 1717. *dub.* 1. *et* 2.

17. Praepositus Ecclesiae Cathedralis habet cumulativam cum Episcopo potestatem puniendi Capitulares in causis gravioribus. In Vicarium Generalem Praepositum hunc assumpsit Episcopus. Quaesivit hinc num eidem Praeposito liceret exercere munus Vicarii Generalis? S. C. remisit rem ad S. C. Episcoporum, et Regularium: *Anagnina* 17. *April.* 1706. *dub.* 2.

18. Canonici Ecclesiae Collegiatae, ac Matricis S. Georgii Terrae Modicae devincti sunt, imo cogendi sunt ad reddendam rationem Praeposito a die vacationis Praepositurae, usque ad praesens de fructibus, reditibus, et emolumentis Collegiatae, necnon de summis subministratis a Parochiae incolis causa lites sustinendi coram Ordinario: *Syracusana Praepos.* 2. *Julii* 1707. *d.* 5. *confir.* 14. *Januar.* 1708.

19. Deinde alia in S. C. prodiere decreta, inter quae Locationes jurium, et redituum parochialium, necnon fructuum Collegiatae factae capitulariter per Canonicos sine consensu Praepositi sustineri decisum est: *Ead.* 15. *Junii* 1709. *dub.* 1.

20. Praepositum, et Parochum loci Incisae jus interveniendi occasione redditionis rationum, quae a Sodalitiis laicorum in Ecclesia Batrum Carmelitarum ejusdem loci erectis consolidantur, minime habere decernitur: *Aquen. Jur. Paroch.* 9. *Junii* 1708. *d.* 15.

21. Perturbantibus Canonicis Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Columbani oppidi Blandrati Carolum Maternum de Nigris Parochum, et Praepositum, qui in possessione est explicandi Evangelium, aliaque, denunciationes pubblicandi inter solemnia Missae Conventualis, S. C. in quam res fuit deducta, illum Praepositum esse manutenendum in quasi possessione Evangelium explicandi, denunciandi populo vigilias, Festivitates, publicandi decreta, ac indulgentias, aliaque hujusmodi diebus Festis inter Missarum Solemnia: *Vercellen. Explicat. Evang., Denunc., et Missae Paroch.* 14. *Novem.* 1711. *confirmat.* 27. *Maii* 1713. *dub.* 1.

22. Definiit S. C. constare de omnimoda exemptione activa, et passiva Praepositi, et Ecclesiae B. M. Albae Regalis Dioecesis Vesprimiensis, ejusque annexorum tam quoad Episcopum dictae Dioecesis, quam quoad Metropolitanum, seu Primates Regni inspectis privilegiis Pontificiis: *Nullius seu Vesprimien. Juris.* 26. *Martii* 1718. *d.* 1. *confir.* 17. *Decem. ejusd. anni*, Deinde recessit a decisis quoad Archiepiscopum *Strigoniensem.* 8. *Julii* 1719. Postmodum respondit S. C. in secundo loco decisis, hoc est non constare de omnimoda exemptione Praepositi, et Ecclesiae Albae Regalis, quoad Archiepiscopum Strigoniensem tamquam Delegatum Apostolicum contra exemptos: 26. *Aug. ejusd. anni*. Inde recessit a decisis: *sub die* 8. *Julii*, *et* 26. *Aug.* 1719., et standum esse in primo loco decisit sub die 26. Martii, et 17. Decem. 1718: 20. *Decem.* 1721. Demum respondit S. C. in decisis sub die 20. Decem. 1721: 29. *Aug.* 1722.

23. At eidem Praeposito non competit facultas concedendi dimissorias: *Ibid. dub.* 2. *confir. ibid.* 17. *Decem.*

24. Licet Episcopo Segnensi pronunciatum fuerit Praeposito Ecclesiae Cathedralis praecedere debere Archidiacono ejusdem Ecclesiae, tamen S. C. non deberi praecedentiam eidem adversus Archidiaconum eumdem sancivit: *Segnen. Praeemin.* 9. *April.* 17 8.

25. Praeposito Ecclesiae Parochialis S. Georgii Terrae Urbisaliae, incon-

sulto, et invito Plebano Ecclesiae Parochialis S. Laurentii ejusdem Terrae non licet benedicere in hebdomada majori, seu in Octava Paschatis Resurrectionis cum Stola vel sine domos eidem Plebaniae subjectas: *Maceraten. Jur. Paroch.* 17. *Junii* 1719. *dub.* 1.

26. Neque eidem Praeposito integrum est intervenire funeribus, et associare cadavera incolarum Plebaniae S. Laurentii, ubi non fuerit vocatus, vel a Plebano, vel a familiaribus, seu haeredibus defuncti: *Ibid. dub.* 2.

27. Functionibus insuper in Plebania S. Laurentii interesse debere hebdomada Majori, et nocte Nativitatis eumdem Praepositum una cum Clero mandat S. C.: *Ibid. dub.* 4.

28. Praeposito praedicto jus habet peragendi secundam supplicationem Rogationum, et aliis supplicationibus intervenire, quae fiunt a Plebano, ita tamen, ut praecedentia Praeposito in sola supplicatione secunda Rogationum, in aliis vero Plebano competat: *Ibid. dub.* 5. *et* 6.

29. Ac in functionibus explendis in Ecclesiis existentibus intra limites Plebaniae, vel in aliis locis tertiis, interveniente Plebano, et Praeposito, non eidem Praeposito, sed Plebano praecedentia competit. *Ibid. dub.* 7.

30. Licet vero Praeposito eidem alternatim cum Plebano in ipsius domo concionatorem tempore Quadragesimali retinere: *Ibid. dub.* 8.

31. Necnon eidem convenit celebrare in ipsius Ecclesia Missas, et officia Communitatis: *Ibid. dub.* 9.

32. Et quoad dubii explanationem, et cui proprium est jus deputandi eleemosynarum collectores in quadragesima pro stipe animarum purgantium? rescribitur esse servandum Decretum Visitationis, donec aliter ab Episcopo statutum fuerit: *Ibid. dub.* 10.

33. Praepositus S. Leonardi oppidi Casalis Majoris unum, non duo habet suffragia in Congregationibus Sodalitii Mortis, et Orationis ejusdem oppidi: *Cremonen.* 5. *Junii* 1723. *d.* 3.

34. Causae controversiae factae inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae, ac Parochialis Burgi Manerii, ac ejusdem Capituli primam Dignitatem Praepositum, cum ipse celebrans Missam Conventualem denunciaverit quoddam Matrimonium, et habuerit tempore eodem concionem ad populum, S. C. definiit; denunciationes matrimoniorum, et ordinandorum, aliaeque similes functiones parochiales faciendae sunt arbitrio Praepositi, et Parochi, vel in celebratione Missae Parochialis, quae in eadem Ecclesia Collegiata celebratur, vel in celebratione Missae Conventualis, contradicente Capitulo: *Novarien.* 8. *Julii* 1724. *dub.* 1.

35. Necnon licitum est eidem Praeposito, et Parocho habere conciones ad populum in diebus Dominicis, et Festivis inter celebrationem dictae Missae Conventualis absque consensu Capituli, dummodo fiant in suggestu, et non excedant horae medietatem: *Ibid. dub.* 2.

36. Praeposito una cum Capitulo Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Populo Terrae Pontremoli competit jus faciendi supplicationem die Festo Sanctissimi Corporis Christi praelative respectu Archipresbyteri SS. Hippolyti, et Cassiani, aliorumque Parochiae incolarum dicti oppidi: *Lunen-Sarzanen. Praeemin.* 9. *Junii* 1725. *dub.* 2.

37. Et Praepositus dictae Ecclesiae non tenetur recipere Olea Sacra e manibus Archipresbyteri praefati: *Ibid. dub.* 4.

38. Adjudicata cura animarum actuali tantum Praeposito Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae Pedonis, jus eligendi coadjutorem in exer-

citio curae animarum spectare ad Praepositum cum approbatione Ordinarii declaratum est: *Mediolanen.* 26. *April.* 1732. *dub.* 2. Et jus administrandi Ecclesiam, et omnes res ad eam spectantes in respicientibus curam animarum competere soli Praeposito, in reliquis vero Capitulo una cum eodem Praeposito decisum fuit: *Eadem* . 26. *April.* 1732. *dub.* 3.

39. Ac jus peragendi functiones, quae proprie parochiales non sint, non competere soli Praeposito, sed ad Canonicos una cum Praeposito: *Ibid. d.* 4.

40. Legata pia, Missae, Officia pro Defunctis facienda, vel annualia, tam ante, quam post erectionem Collegiatae relicta, et relinquenda Ecclesiae, quoad administrationem ad Praepositum una cum Capitulo S. C. resolvit: *Ibid. dub.* 6.

41. Praeposito, aut ejus Coadjutori competit privative, quoad Capitulum facultas concordandi circa ea, quae quodcumque funus respiciunt: *Ibid. dub.* 9.

42. Et considerato dubio, an ad Praepositum, et ejus Coadjutorem, seu substitutum spectat retentio clavis sacri Ciborii, etiam privative quoad Canonicum Sacristam? negative, sed duplicem clavem esse retinendam: *Ibid. dub.* 12.

43. Praepositus praedictus non potest prohibere ne aliquis Sacerdos extra Clerum dictae Ecclesiae ibidem celebret Missam sine illius consensu, et designare sacras vestes, et altaria, in quibus Sacerdotes Missam celebrent, independenter a Capitulo, et a Canonico Aedituo: *Ibid. dub.* 16.

44. Et quaesitum, an licentia Missam novam celebrandi danda sit per Praepositum privative, vel a Capitulo? solutionem negativam retulit: *Ibid. dub.* 17.

45. Praeposito supradicto non privative, sed comprehenso cum Capitulo proprium est jus disponendi de sepulcris constructis, et consensum pro aliorum constructione praestandi: *Ibid. d.* 18.

46. Causa controversiarum, quae inter Praepositum Ecclesiae S. Nicolai Acquaevivae, et Beneficiatos ejusdem Ecclesiae excitata fuere, non nulla dubia in S. C. sunt examinata. An Praebendati, seu Beneficiati valeant invito, et praesente Praeposito canere Missam diebus festis, deferre stolam, et eam deferendo praecedere Praeposito in comitatu cadaverum, parvis in supplicationibus in choro, registrare in libris parochialibus Sacramenta per se ipsos administrata; et ex illis partitas extrahere et de extractionibus emolumenta participare?

47. An dicti libri parochiales, omnesque aliae scripturae retineri debeant a Praeposito privative, vel etiam a dictis Beneficiatis?

48. An Beneficiati praedicti valeant admittere ad primam susceptionem Sanctissimae Eucharistiae pueros, vel puellas non certiorato Praeposito de earumdem scientia, eoque minime certiore facto, neque impedito administrare Sacramentum Eucharistiae in satisfactionem praecepti Paschalis, assistere tanquam Parochi celebrationi matrimonii, denunciationes publicare, tam pro matrimoniis incundis, quam pro ordinibus suscipiendis, monitoria excommunicationum, indulgentias, aliaque in Ecclesia publicanda?

49. An iidem in subscriptionibus se denominare possint absolute Curati, seu Parochi in Ecclesia S. Nicolai, seu Cappellani perpetui ejusdem Ecclesiae?

50. An electio aeditui facienda sit a solo Praeposito, vel ab ipso una cum Beneficiatis, prout salarium integre a Praeposito persolvendum, vel ab omnibus?

51. An in mensibus ad Beneficiatos spectantibus liceat Praeposito se ingerere in functionibus Ecclesiasticis? cuncta dubia ad Card. Petra cum facultatibus S. C. delegavit (142): *Ripana Jur. Par.* 15. *Dec.* 1725. *dub.* 3. 4. 5. 7. 9. 12. confirmat. et additum, ut Episcopus incumberet executioni, et daretur dubium super immutatione status Capellaniarum: 20. *Novem* 1762.

52. Praepositum S. Agathae Collegiatae Ecclesiae civitatis Cremonae in actionibus Synodalibus, nec baulo uti posse, neque aliis pontificalibus, et laminibus aureis cum separato scabello, et sede occasione celebrationis Missae in Synodo S. C. respondit, sed usum simplicis mitrae tantum ei concedendum esse putavit: *Cremonen. Synodi* 5. *April.* 1732. *dub.* 1. Iterum de jure experiundi potestate Praeposito data, dictum fuit in decisis, et quoad mitram posse Praepositum uti aurifregiata: 29. *Aug.* 1733. (143).

53. Neque etiam sedes Capituli ejusdem Ecclesiae in Cathedrali, et Synodo praeter tegumentum panni viridis in capite, ubi sedet Praepositus, tapeto ornari debere resolutum fuit: *Ibid. dub.* 2. *confir. ibid.*

54. Eumdemque Praepositum dictae Collegiatae Dioecesanae Synodi scrutinio subesse, S. C. firmavit *Ibid: dub.* 4. *confir. ibid.*

55. Necnon una cum Canonicis praedictum Praepositum teneri accedere ad Synodum, et Episcopum posse poenis, a jure statutis, in non obedientes animadvertere, statutum est: *Ibid. dub.* 5. *confir. ibid.*

56. Praeposito Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis Rhaudi parere tenentur duo Canonici Coadjutores in curam animarum in eo quod respicit ipsius curae exercitium ad formam Decreti Vicarii Generalis, sed quoad poenam in casu contraventionis moderatur poena in summa arbitrio Card. Archiepiscopi praefinienda: *Mediolanen. Jur. Paroch.* 3. *Decem.* 1735. *dub.* 1.

57. Et idem Praepositus potest punire dictos Canonicos poena supradicta casu, quo vocati pro explenda aliqua functione Parochiali statim non praesto sint apud Ecclesiam, nisi sint legitime impediti: *Ibid. dub.* 2.

58. Eo vocato pro aliqua functione parochiali non potest eam injungere alicui ex Coadjutoribus etiam in casu, quo non sit legitime impeditus: *Ibid. dub.* 3.

59. Atque in concursu plurium functionum Parochialium eodem tempore explendarum potest Praepositus eligere illam, quae sibi magis libuerit: *Ibid. dub.* 4.

60. Non autem ejusdem Praepositi requiritur licentia, quando abesse possunt, et discedere a Paroecia dicti Coadjutores: *Ibid. dub.* 5.

61. At allegare debetur dicto Praeposito causa absentiae, et impedimenti: *Ibid. dub.* 6.

62. Ac inconsulto Praeposito fas non est dictis Canonicis Coadjutoribus edere Parochiae incolis aliquam fidem ad

(142) *Vide not.* 77. *tom.* 1. *pag.* 265.

(143) „ S. C. fuit in eadem sententia quoad omnia, excepta qualitate mitrae, quam, dixit, posse a Praeposito gestari auriphrygiatam. Credere autem fas est, ideo quoad hoc Sacram Congregationem sententiam mutasse, quia deprehensum fuit, Praepositum exemptum esse ab Episcopi jurisdictione; ceteri quippe, mitrae usu a Sede Apostolica donati, si Episcopi jurisdictioni subjiaceant, in Episcopali Synodo Mitram simplicem dumtaxat, et non auriphrygiatam, ferre permittuntur, juxta apertam decisionem Clementis IV. *in Cap. ut Apostolicae, de privil. in* 6. " Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. Lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 13. *pag.* 83. *Edit. Rom. in fol.* 1755.

munus parochiale spectantem: *Ibid. dub.* 7.

63. Definiendo rem involutam S. C. aperuit, an occasione comitatus cadaverum ad Ecclesiam S. Bernardini Patrum Minorum de Observantia liceat Praeposito Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae S. Laurentii civitatis Mortarii tam cum Clero, quam sine ingredi ejusdem januam cum stola, pluviali et Cruce elevata? S. C. respondit: dilata, et coadjuventur probationes super consuetudine: *Viglevana Funer.* 18. *Maii* 1743. *dub.* 3. Deinde probata consuetudine affirmativum dedit responsum: 27. *Junii* 1744.

64. In constitutionibus Capitularibus, quas recens ediderunt Canonici Cathedralis Ecclesiae Cap. IX. cautum fuerat, ut Vicarius Capituli in choro tanquam etiam Praefectus invigilaret, ut divina Officia recte explerentur, nullusque discederet absque legitima causa, et ab eo petita licentia: Ubaldus Benius Praepositus dictae Cathedralis, aliquid imminutum putans suae Dignitati, quae unica est in Ecclesia, quaestionem instituit. S. C. rescripsit, quoad Praepositum exclusive ad Vicarium Capituli spectare praesidere in choro, et ordinare ea, quae concernunt Divina veluti indicere silentium, non obedientes corrigere, dare signum pro ingressu, et egressu, et alias Ecclesiasticas functiones moderare salva tamen auctoritate Episcopi; minime vero exequi Constitutiones Capitulares in Cap. IX. deberent: *Eugubina* 8. *Aug.* 1744. Causa reproposita mandatum est, ut examinentur formaliter testes producti a Praeposito: 18. *Sept.* 1745. Deinde iterum, ut examinentur formaliter testes tam inducti, quam inducendi a Praeposito salvis exceptionibus: 18. *Decem. ejusd. anni*. Tandem in decisis fuit rescriptum: 12. *Martii* 1746.

65. Jus canendi Missam solemnem in Festo S. Titularis, et exercendi quascunque functiones tum Parochiales, tum Ecclesiasticas in Oratorio S. Nicolai Terrae Arquatae unito Ecclesiae Praepositurali, et Parochiali S. Petri dictae Terrae, competit Praeposito ejusdem Ecclesiae, minime vero Plebano alterius Parochiae, qui ante unionem solemnem Missam in Festo praefato canere consueverat: *Asculana Funct. Ecclesiast.* 1. *Sept.* 1753. *d.* 2.

66. Jus peragendi functiones pertinentes ad societatem Sanctissimi Sacramenti erectae in Altari Majori Ecclesiae Praeposituralis S. Michaelis Archangeli Montis Urani spectat privative ad Praepositum, dum peragi debent in Ecclesia Parochiali; nam erectio in Majori Altari Ecclesiae peracta fuit, et in favorem Praepositi militat consuetudo: *Firmana* 28. *Januar.* 1769. *dub.* 2.

67. Et dubio examinato, an per ipsum Praepositum juxta morem sint in posterum peragendae eaedem sacrae functiones in Oratorio dictae Societatis, etiam uti Ecclesiae filialis Praepositurae? et S. C. distulit resolutionem, ut coadjuventur probationes: *Ibid. d.* 3.

68. Non ad Praepositum nec ad Archidiaconum, sed ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis spectat jus admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatuum, juxta formam hactenus observatam, ut nempe post fidei professionem, et juramentum coram Archidiacono, vel etiam altero dignori, eo absente, praestitum novus Canonicus in statione collocetur per duos Canonicos a Capitulo deputandos nisi alii Executores in Literis Apostolicis dati fuerint: *Camerinen. Praemin.* 7. *April.* 1781. *dub.* 6.

69. In Parochiali Ecclesia S. Bartholomaei Murrivallium in Collegiatam erecta conditae fuerunt Constitutiones Capitulares, in quibus praeccteris sta-

tutum est, ut Capitula congregentur de mandato, et licentia Praepositi, primae et unicae dignitatis, sive in ejus absentia Canonici senioris. Semper servata fuerunt Praepositi jura, modo autem die 20. Januar. convocatum fuit Capitulum a seniore Canonico, licet Praepositus esset in oppido praesens. Quaestione idcirco orta S. C. declaravit Praeposito praedicto praeesse Choro, non interveniente Praefecto, aut eo deficiente in munere integrum est: *Firmana Praeemin.* 26. *Novem.* 1796. *dub.* 1.

70. Necnon spectare ad Praepositum jus convocandi Capitulum censuit: *Ibid. dub.* 2.

71. Et eo absente a loco residentia, vel renuente licere convocare Capitulum de licentia senioris praesentis: *Ibid. dub.* 3.

72. Ac jus proponendi materias decidendas in Capitulo pertinere ad singulos Canonicos post Praepositum per ordinem aetatis praerogativae S. C. statuit: *Ibid. dub.* 4.

73. Jus vero colligendi suffragia competere dixit Praeposito juxta modum (144): *Ibid. dub.* 5.

§. IV.

Praepositus quoad Missam, et servitium Chori.

1. Praepositus prima Dignitas Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai urbis Andriae inconveniens putat Altari in ministerio Subdiaconatus, et Diaconatus antequam admittatur ad partitionem massae communis juxta statuta inservire, ob id examinari haec dubia curavit; an Prepositus praedictus debeat inserrire choro tantum, vel choro, et etiam altari simul in ministerio Subdiaconi, et Diaconi? S. C. distulit resolutionem, ut proponatur in S. C. determinanda a Card. Praefecto, et ad D. Secretarium cum auctoritate Sum. Pont. ad mentem: *Andrien. Serv. et Particip.* 4. *Sept.* 1700. *dub.* 1. Deinde responsum dedit, teneri ad servitium chori per se ipsum, et ad servitium altaris saltem per substitutum: 25. *ejusd. Mensis, et Anni.*

2. Praepositus Ecclesiae Collegiatae Insulanae assistere tenetur universis horis, et divinis Officiis, una cum Canonicis sub punctatura determinanda ab Episcopo super omnibus fructibus Praepositurae extra massam Capitularem ad formam Conc. Trid. *Sess.* 22. *Cap.* 3. *de reform.* (145) *Cavallicen. Praepos.* 19. *Febr.* 1701. *dub.* 1.

3. Decernit S. C. celebrationem Missarum cum Cantu, et Vesperarum in festivitatibus solemnibus spectare ad Praepositum Collegiatae Ecclesiae, et Parochialis S. Mariae terrae Fossae cum Diacono, et Subdiacono Canonicis, et cum praesentia Canonicorum in choro, et quoad Missas in omnibus exequiis, funeribus, et Anniversariis servari solitum ad formam Caeremonialis (146): *Aquilana Jur. Paroch.* 3. *Sept.* 1701. *dub.* 2.

4. Praepositura provisum anno 1690. Sacerdotem Joseph Damiani in Ecclesia Collegiata Receptitia S. Nicolai civitatis Andriae juxta statuta ejusdem Presbyteri Participantes exclusum habuerunt ab integra partitione massae communis, antequam non deserviat Choro, et Altari biennio in subdiaconatu, biennio in Diaconatu, et biennio in Presbyteratu qua de causa plurima in S. C. contentiones ille egit. Modo praetensionem excitavit, quod provenit sui integri servitii defectus ex Capituli culpa, quod tempore admissionis

(144) Nempe quoad enumerationem suffragiorum coram ipso faciendam: *Ead. Caus.* 26. *Novemb.* 1796. *dub.* 5.

(145) *Vide not.* 221. *tom.* 1. *pag.* 166.

(146) *Vide not.* 24. *tom.* 2. *pag.* 25.

ad necessaria, ac integra servitia haud adscripserit, et dubio agitato decrevit S. C. Capitulum non teneri describere Praeposito servitio chori, et Altari simul anno 1690. ad annum 1694., itaut non eum describendo teneatur ad damna, et interesse: *Andrien. Particip.* 1. *Junii* 1709. *dub.* 1.

5. Ac Praeposito praedicto absenti ultra tres menses non debetur Missarum tempore absentiae partitio per vices facienda: *Ibid. dub.* 3.

6. Carolus Maternus de Nigris Praepositus Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Columbani oppidi Blandrati sub poenis a jure praescriptis tenetur, vel per se, vel per alium omnibus diebus Dominicis, et tribus diebus in hebdomada celebrare, itaut nullus dies festus vacuus ab Parochiali Missa sit: *Vercellen. Explic. Evang. Denunz. Festiv. et Miss. Paroch.* 27. *Maii* 1713. *dub.* 1.

7. Ac idem Praepositus, vel alter Sacerdos vice illius celebrans tenetur adnotare celebrationem manu propria in libro a Capitulo retento: *Ibid. dub.* 2.

8. Praepositus Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae ad Mare terrae Majoris una cum Capitulo obstrictus est celebrare, et applicare quotidie Missam Conventualem pro benefactoribus, uti Archiepiscopus in sacra Visitatione constituit: *Amalphitana Oner. Miss. et Cur. Anim.* 13. *April.* 1715. *dub.* 3.

9. Ac propter missas conventuales adhuc non applicatas satisfacere tenetur: *Ibid. dub.* 4.

10. Et quoad tempus, a die adeptae Praepositurae: *Ibid. dub.* 5.

11. Missaeque de anniversario cedere loco missae Conventualis nequeunt: *Ibid. dub.* 6.

12. Pontifex Summus Benedictus XIV. in erectione in Collegiatam, quam fecit, Ecclesiae Parochialis S. Blasii oppidi Montis Milonis dixit, ut Praepositus Caput esset Capituli tam in Choro, quam in publicis functionibus, voluitque sacramentales Christi fidelium Confessiones ei in dicta Parochiali audiendas onus incumberet. At Philippus Romagnoli hodiernus Praepositus punctis notandum non esse Capitulo contradicente autumat, dum Confessionibus audiendis vacat, iniquum injungit esse, ut ipse qui tota mane populo inservit, diebus praesertim festis sit punctis notandus. Ob id re proposita, resolutum extitit, ut pro tempore, quo actu audit Confessiones minime sit punctis notandus: *Maceraten.* 14. *Febr.* 1767. *dub.* 1. *confir.* 14. *Maii* 1768.

13. Praepositus Ecclesiae Collegiatae S. Perpetui oppidi Solerii ratione curae animarum, cui ei incumbit non est exemptus ab applicatione missae Conventualis ad formam Constitutionis Benedicti XIV. Sum. Pont. *cum semper* (147): *Alexandrina Missae Conv.* 28. *Julii* 1770. *dub.* 2.

(147) *Die* 19. *Aug.* 1744. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag.* 63.) emanata; in cujus §. 17. cautum est „ Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali praebenda obtinent, vel quia, praeter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Conventualem canunt diebus Festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro Ecclesiae Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiae Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque ".

§. V.

Praepositus quoad Onera in Genere.

1. In S. C. habetur, Johannes Puccius Secretarius Card. Montis Alti, et Praepositus ad scalas sanctas supplicavit pro licentia celebrandi per alium, et perspecta ejus infirmitate concessa fuit: *Romana* 3. *Martii* 1657.

2. Interrogata S. C. an Canonici, et etiam Praepositus Collegiatae Matricis Ecclesiae S. Georgii terrae Modicae, aut quis illorum teneantur, et cogendi sint de proprio ad redintegrationem Collegiatae pro censibus capitulariter retrovenditis, et extinctis, atque pro hujusmodi effectu ad impendendas in favorem Collegiatae illorum sortes principales; et quibus remediis?

3. An pro iisdem censibus Canonici, et etiam Praepositus onus habeant, et adigendi sint ad solutionem illorum fructuum a die factae extinctionis usque ad diem novi investimenti, ad quam rationem proquolibet anno, et quibus remediis? rescripsit ut Episcopus procedat pro ut de jure: *Syracusana Praepos.* 2. *Julii* 1707. *dub.* 6. *et* 7. *confir.* 14. *Januar* 1708.

4. Deinde alia perpensa dubia fuere, inter quae, idem Praepositus onus habeat adjuvandi in expensis litium, et pro qua rata parte?

5. An teneatur contribuere ad sumptus litium etiam cum Congrua ad illum spectante ratione curae animarum? respondit S. C. ut daretur responsio in casibus particularibus: *Ead.* 15. *Junii* 1709. *dub.* 6. *et* 7.

6. Praepositus, qui et Parochus est Loci Incisae in publicis supplicationibus generalibus fieri consuetis monere debet Patres Carmelitas dicti loci sive per nuncium, sive per schedulam, ut ad supplicationes accedant: *Aquen. Jur. Paroch.* 5. *Maii* 1708. *dub.* 3.

7. Praepositus Ecclesiae Parochialis S. Georgii terrae Urbisaliae una cum Clero tenetur in hebdomada majoris, et in nocte Nativitatis, non autem in aliis festivitatibus interesse functionibus in Plebania S. Laurentii dictae terrae: *Maceraten. Paroch.* 17. *Junii* 1719. *dub.* 4.

8. Episcopus in consecratione sancti olei feria quinta peragenda assistentiam Praepositi Ecclesiae S. Justae postulavit. Hic abnuit se tuendo esse Dignitatem, et illam Canonicos Cathedralis posse praestare, eumque curam animarum habere actualem, idcirco eadem die in propria Ecclesia sacras peragere functiones debere. Res in controversiam adducta fuit, et S. C. teneri eum affirmavit: *Aquilana* 3. *Martii* 1725.

9. Praepositus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Populo oppidi Pontremoli una cum Capitulo tenetur instar supplicationis quotannis in Vigilia Ascensionis Domini nostri adire et visitare Ecclesiam SS. Hippolyti, ac Cassiani ratione piae consuetudinis tantum: *Lunen. Sarzanen. Praeemin.* 9. *Junii* 1725. *dub.* 4. Ac instante Praeposito causa reproducta confirmatur decretum quoad Praepositum tantum tanquam Parochum: 18. *Maii* 1726. *confir. iterum* 1. *Junii* 1737.

10. Capitulum Cathedralis Ecclesiae onus curae animarum Praepositurae addictum esse existimat; Praepositus e contra habitualiter residere penes Capitulum putat, quum Bulla Clem. VII. Pont. Max. nullum peculiare onus Praeposito circa animarum curae exercitium imponat, quod committitur uni de Collegio, vel extero Presbytero. Causa S. C. judicio, nempe Praepositum non habere Praepositurae adnexam Curam Animarum actualem finita est: *Cingulana Curae Animar.* 19. *Julii* 1732. *dub.* 1.

11. Praepositus Collegiatae Ecclesiae S. Fedelis tenetur intervenire in solemniter celebrandis festivitatibus Nativitatis S. Johannis Baptistae, et ejus Decollationis, et S. Johannis Evangelistae in Ecclesia S. Johannis in Atrio Societatis etiam invitis Confratribus: *Comen. Adminstr. et Jur. Paroch.* 27. *Julii* 1737. *dub.* 3.

12. Dubio exhibito; an in anniversariis interesse tenetur Praepositus una cum ceteris omnibus Canonicis Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae ad Mare oppidi Majoris, vel illi tantum, qui sunt de hebdomada? respondit S. C. dilata, et pro meliore informatione: *Amalphitana oner. Miss. et Cur. Anim.* 13. *April.* 1715. *dub.* 8.

13. Quum Beneficiati adjuncti ad Ecclesiam Parochialem S. Nicolai onus perpetuo inserviendi Ecclesiae animarum curam exercendi ceteraque onera pro medietate cum Praeposito subeundi haberent; ob id inter illos plurimae sunt natae controversiae, et dubia proposita in S. C. an Beneficiati teneantur adjuvare Praepositum in cura animarum, eique inservire in choro et altari dum Missas, et vesperas celebrat?

14. An Altaro SS. Nicolai, et Stephani promiscue manuteneri debeat a Praeposito vel Beneficiatis?

15. An teneantur explere actus omnes parochiales de consensu et licentia Praepositi?

16. An cura actualis sic exerceri debeat a Praeposito, et Beneficiatis, ut unusquisque possit, et teneatur Sacramenta administrare ad Parochiae incolarum nutum? S. C. omnia remisit ad Card. Petram cum facultatibus ejusdem S. C. (148): *Ripana Jur. Paroch.* 15. *Decem.* 1725. *dub.* 2. 8. 10. *et* 11. *Confir.* 20. *Novem.* 1762.

§. VI.

Praepositus quoad Residentiam, et Absentiam.

1. Emanavit a S. C. decretum, quod Episcopus potest compellere Praepositum Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Bergolis, ut in dicta Collegiata resideat; modo per manendo in decretis de jure residere, etiam quod resideat in Cathedrali: *Alexandrina anni* 1581. *d.* 1.

2. Necnon rescripsit, posse id muneris per alium persolvi, et ideo curandum ab Episcopo, ne Ecclesia debitis Missarum officiis fraudetur juxta *cap.* 5. *Sess.* 7. (149): *Ibid. dub.* 2.

3. In oppido Masserani Ecclesia adest B. M. V., in qua institutum fuit Collegium Praepositi, et sex Canonicorum. Certant Canonici, ut ad residendum cogatur Praepositus, qui id onus ad haec tempora non implevit. Nam literae erectionis nihil de obligatione Dignitatis Praepositi dictum fuit, nec de ejusdem exemptione: S. C. requisita illum haud teneri uti Canonicos primae erectionis resolvit: *Vercellen. Resid.* 18. *Aug.* 1764. *dub.* 1.

Praesentatio *Vide Beneficia Ecclesiastica* §. *VII. Canonicatus* §. *I. Capellania* §. *VI. Concionator* §. *III.*

Praesentia Parochi, et Testium in Matrimonio *Vide Matrimonium* §§. *XVII. XVIII. XIX. et XX.*

Praestatio *Vide Alimenta etc. Assignatio.*

§. I.

Presbyteri Hebdomadarii.

1. Presbytero hebdomadario Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae S. Ma-

(148) *Vide not.* 77. *tom.* 1. *pag.* 265.

(149) *De reform.* ,, Beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur, " Nam cum omnia beneficia sint ad cultum divinum, atque ad ecclesiastica munera obeunda instituta, Episcopi compellere possunt possessores ad residentiam, et ad suum officium praestandum per se ipsos, aut per substitutos,

riae Majoris Congregationis Clericorum Minorum Neapolis, qui per vices animarum exercet curam, interim, et donec fiat translatio dictae curae ad unam ex Capellis Ecclesiae praedictae contiguam jam a S. C. demandata, Evangelium diebus Dominicis, et festivis in Missa explicare licet. Quamvis praefati Clerici minores munus praedicationis uberius, et fructuosius ab ipsis expletum fuisse asseruerint, et quamvis non modicam Parocho evangelizante, eorum divinis Officiis perturbationem inferri praetenderent: *Neapolitana Jur. Paroch.* 3. *April.* 1700.

2. Duodecim Capuanae Ecclesiae Metropolitanae Hebdomadariis Presbyteris Capituli, et Canonicorum titulo úti non licere sub poenis arbitrio Archiepiscopi in casu contraventionis, S. C. definivit: *Capuana* 17. *Decem.* 1735. *dub.* 1. *confir.* 28. *April.* 1736.

3. Neque iisdem Crucem a Cruce capitulari distinctam habere, neque alias collegialiter exire sub Cruce Cathedralis absque corpore Capituli, aut praesidentia aliorum Canonicorum licere, et ut servaretur Archiepiscopi decretum, resolutum fuit: *Ibid. dub.* 2. *confir. ibid.*

4. Iis vero Congregationes licere particulariter de licentia Archiepiscopi facere; non autem eisdem Congregationibus alterum ex Canonicis Archiepiscopi nomine praesidere debere, statutum fuit: *Ibid. dub.* 3. *confir. ibid.*

5. Iisdem quoque integrum esse punctatorem, quoad servitium chori independenter habere definitum est; et num eidem punctatori Capituli addi possit alius punctator arbitrio Archiepiscopi; Archiepiscopum uti jure suo posse, stabilitur: *Ibid. dub.* 4. *confir. ibid.*

6. Eosdem Hebdomadarios supplicationibus extraordinariis Ecclesiae Cathedralis, dummodo congruo tempore certiores facti sint, interesse teneri, statutum habetur: *Ibid. dub.* 6. *confir. ibid.*

7. Necnon Missas tum Conventuales, tum Defunctorum explere teneri, quas implere ante usum Mitrae tenebantur Canonici, ad formam laudi 1725.: *Ibid. dub.* 7. *confir. ibid.*

8. In choro recenter contructo, seu in parte chori, qua iidem hebdomadarii Presbyteri sedent, repagula juxta antiquam formam esse reponenda, decisum est: *Ibid. dub.* 8. *confir. ibid.*

9. Eosdem non quotidie, aut per tertiariam, sed alternis vicibus choro inservire posse, concessum reperitur: *Ibid. dub.* 9. *confir. ibid.*

10. Neque vero eumdem esse tempore Quadragesimae et Adventus servandum ordinem, resolvitur: *Ibid. dub.* 10. *confir. ibid.*

11. Postulatum a S. C. fuit, num iidem Hebdomadarii Presbyteri tenerentur pro servitio Ecclesiae supplere quandocumque octo Mansionariorum absentium vices, et sic vicissim Mansionarii absentibus Hebdomadariis; nulla prodiit definitio causae, sed volitum, ut proponeretur citatis Mansionariis: *Ibid. dub.* 17. Reproposita unitim causa, responsum est, ut proponeretur separatim: 28. *April.* 1736.

12. Quaesitum etiam quum esset, an laudibus, et Vesperis, quae solemniter per Canonicos, vel Dignitates celebrantur, assistere debeant cum pluvialibus Hebdomadariis isti Presbyteri, vel potius novi Mansionarii Diaconi S. C. ad S. C. Rituum (150) definitionem remisit: *Ibid. dub.* 18.

13. Ad eamdem pariter Congregationem (151) remisit definiendum,

(150) *Vide not.* 697. *tom.* 2. *pag.* 501. *num.* 1.

(151) *Vide not. ibid. num.* 2.

an eadem assistentia praestanda sit Canonicis, et Dignitatibus celebrantibus extra Cathedralem solemniter Missam, Vesperas, et Laudes, mercede soluta: *Ibid. dub.* 19.

14. Et definiendum etiam eidem (152) delegavit, num celebrante Archiepiscopo, assistere teneantur in throno cum pluvialibus duo ex duodecim Hebdomadariis Presbyteris cum duobus Mansionariis Diaconis, vel potius quatuor ex octo Mansionariis Diaconis: *Ibid. dub.* 20.

15. An Hebdomadario celebranti sine pluviali competat primum Stallum inter Hebdomadarios, et legile nudum, dissentiente Capitulo, S. C. ad dictam Rituum Congregationem (153) definiendum commisit: *Ibid. dub.* 21.

16. Hoc etiam decidendum remisit ad eandem (154) num scilicet Hebdomadarius faciens officium Presbyteri assistentis sit thurificandus ante Canonicos: *Ibid. dub.* 22.

17. Et hoc, num celebrante Archiepiscopo, teneantur Canonici deferre Crucem, et in die Epiphaniae annunciare populo festa mobilia, vel potius utrumque teneantur facere Hebdomadarii arbitrio Archiepiscopi, S. Rituum C. (155) commissum est: *Ibid. dub.* 23.

18. Sacrae Rituum (156) oraculo decidendum remissum etiam est, an celebrante Canonico teneatur alter ex Canonicis psalmos cantu praeire tam in choro, quam in supplicationibus, vel potius teneantur canticum incinere Hebdomadarii: *Ibid. dub.* 24.

19. Ad laudatam demum Rituum Congregationem (157) definiendum S. C. commisit, num in functionibus in quibus Canonici non utuntur mitra, teneantur ipsi Canonici canere in choro ex proprio Stallo una cum Hebdomadariis in cantu Gregoriano, vel potius onus canendi spectet etiam tunc ad solos Hebdomadarios, et Mansionarios: *Ibid. dub.* 25.

20. Primicerium, vel Canonicum coactive teneri celebrare diebus praescriptis in concordia anni 1725.; non vero onus celebrandi eisdem diebus festis in Hebdomadarios refundi mercede soluta posse S. C. statuit: *Ibid. dub.* 26. *confir. ibid.*

21. An translato ad diem non impeditam festo, in quo celebrare Canonicus teneatur, adhuc debeat Canonicus in die translationis celebrare; vel potius onus celebrandi in Hebdomadarios refundi mercede soluta possit, ad S. C. Rituum (158) remittitur resolutio: *Ibid. dub.* 27.

22. Episcopus Castrimaris ad instantiam Canonicorum, et Dignitatum loco Presbyterorum, et Hebdomadariorum duodecim perpetua beneficia sub nomine Hebdomadariatuum fundavit. Dicta erectione confirmata non patebat quomodonam asserti Hebdomadarii choro inservire deberent? per mediarias instar Canonicorum teneri S. C. rem aperuit: *Castrimaris* 7. *Julii* 1736. *d.*2.

23. Eisdem Hebdomadariis erectis Episcopus indulsit eosdem superpelliceum, et almutiam laneam cum vittis ejusdem coloris gestare, et deferre posse. Hinc quaerunt modo, num vigore hujusce indulti ab Episcopo concessi possint praefatis uti insignibus, et responsum committitur a S. C. Rituum (159): *Ibid. dub.* 3.

(152) *Vide not. ibid. num.* 3.
(153) *Vide not. ibid. num.* 4.
(154) *Vide not. ibid. num.* 5. *pag.* 502.
(155) *Vide not. ibid. num.* 6.
(156) *Vide not. ibid. num.* 7.
(157) *Vide not. ibid. num.* 8.
(158) *Vide not. ibid. num.* 9.
(159) Hac causa haud in S. C. Rituum definita fuit.

§. II.

Presbyteri quoad Aggregationem, ac Admissionem ad participationem.

1. Posito quod in casu consecutionis incompatibilis officii jus serviendi, et participandi expiret, et per istius dimissionem non reviviscat, num Capitulum, sive Congregatio Ecclesiae Asculanae eum, qui illud amplius non possidebat, absque Episcopi consensu ad eamdem partitionem recipere possit? respondetur in nova receptione omnia servanda esse, quae in prima servari solent: *Asculana Particip.* 18. *Novem.* 1662. *dub.* 4.

2. Ac posita consuetudine immemorabili jus memoratum nisi originariis competere non potest; exteri vero a dicto Capitulo, aut congregatione ad dictam partitionem admitti nequeunt, nisi auctoritate Apostolica: *Ibid. dub.* 6.

3. Sacerdotes Ecclesiae Parochialis Terrae Scorrani post absolutum servitium in minoribus Ordinibus, nec non in Subdiaconatu, et Diaconatu non tantum choro per annum gratis inservire, sed etiam Missas celebrare antequam ad massae partitionem admittantur, prout viget immemorabilis consuetudo, tenentur: *Hydruntina serv.* 28. *Novem.* 1705.

4. Non omnes Sacerdotes Ecclesiae Receptitiae Parochialis Terrae Opi admittendi ad partitionem decimarum, aliarumque distributionum, debent prius esse ab Ordinario ad curam animarum adprobatos, sed tantum Sacerdotes coadjutores Archipresbytero in animarum cura; quoad reliquos sufficit, ut sint simplices Sacerdotes: *Marsicana Congr., et Particip.* 12. *Januar.* 1709. *d.* 2.

5. Necnon Sacerdotes Joseph Rubini, et Paullus Æmilius de Hercule ab Ordinario privati facultate Confessiones audiendi ad partitionem hujusmodi emolumentorum post sequutam privationem praeter emolumenta ratione curae ab Episcopo assignata debent admitti: *Ibid. dub.* 3.

6. Quum adesset Statutum in Ecclesia Collegiata Receptitia S. Nicolai civitatis Andriae, quod antequam integraliter de massa communi participent Presbyteri, debent inservire biennio in Subdiaconatu, biennio in Diaconatu, et biennio in Presbyteratu a S. C. requisitum est, an Servitia Clericatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus per aliquos Capitulares dictae Ecclesiae ordine praepostero impleta sit valida? respondit, actu participantes pro tempore praeterito non esse molestandos, et in futurum servari ordinem descriptum a Statuto: *Andrien. Particip.* 1. *Junii* 1709. *d.* 2.

7. Non haesitavit S.C. decernere admissionem Stephani de Paulla Sacerdotis ad ratam partem, ac respective partitionem Massae Communis Ecclesiae Collegiatae Terrae Turii factam a Capitulo ejusdem Ecclesiae non sustineri; admitti Jo. Baptistam Franchum pariter Sacerdotem, utpote antiquiorem debuisse. Nam in hujus favorem aderat immemorabilis consuetudo, licet ille beneficia simplicia possideat, ac podagra sit affectus: *Conversana Particip.* 28. *Novem.* 1711. *dub.* 1.

8. Quum ad S. C. Presbyteri Participantes trium Ecclesiarum Receptitiarum civitatis Sancti Severi recursum habuerint, eoquod jus aggregandi ad eorum Massae partitionem Episcopus sibi competere asserat, quod sibi ipsis vigore dispositionis juris communis, ac immemorabilis consuetudinis competere autumant, ob id S. C. ita definiit, aggregationem ad servitium, et respective admissionem, ac subrogationem ad partitionem in dictis Ecclesiis non spectare ad Episcopum, sed ad Clerum earumdem servata forma

Constitutionis Synodalis anni 1680. *Sancti Severi Juris Aggreg.* 29. *April.* 1713. *dub.* 1.

9. Ac aggregationes, et subrogationes ab Episcopo factas minime sustineri sed non esse molestandos resolvit: *Ibid. dub.* 2. Id in omnibus confirmatum fuit, addendo, ut servaretur etiam forma Constitutionis Synodalis anni 1681. quoad examen faciendum tamen per Examinatores Synodales, sed quoad cantum Gregorianum praefigatur terminus per Episcopum admittendo, quatenus sit habilis illum addiscendi infra quatuor menses, et quatenus reperiatur inhabilis in dicto examine non devolvatur unquam electio ad Episcopum, sed aliis proximior in antiquitate recipiatur praevio examine ut supra: 30. *Sept. ejusdem anni confir.* iterum 14. *April.* 1714.

10. Deinde S. eadem C. declaravit juxta modum expressum in decreto praedicto diei 30. Sept., Episcopum, seu ejus Vicarium Generalem intervenire in actu examinis admittendi ad partitionem debere: 9. *Febr.* 1715. *dub.* 1.

11. Minime autem admittendum ad partitionem teneri exhibere Episcopo requisita praescripta in Constitutionibus Synodalibus Dioecesis S. Severi, et a consuetudine Ecclesiarum Receptitiarum, sed exhibenda in Cancellaria tantum Episcopali esse: *Ibid. d.* 2.

12. Nec Episcopum posse, ac debere citare per edictum omnes Presbyteros aggregatos interesse habentes, antequam deveniatur ad examen aggregati petentis ad partitionem admitti. *Ibid. dub.* 3.

13. Evivis erepto Sacerdote Alexandro Saccomando vacatio evenit unius loci partitionis in Ecclesias praedictas. Competitores plures obeunt. Franciscus Saccomandus, Hyacinthus Vindictus, et Felix Faciolla, et licet Franciscus fuerit primus aggregatus ab Episcopo ante decreta praefata a S. C. emanata, tamen servitium Ecclesiae reliquit. Eadem tamen S. C. pro medietate unum locum illius partitionis vacantem dictis Hyacintho, et Felici deberi, non autem Francisco. Nam hi duo jam subrogati ab Episcopo pro unius loci medietate fuerant: *Ead. Juris Particip.* 9. *Febr.* 1715.

14. Quum a Presbyteris Participantibus seu Consortialibus Ecclesiae Parochialis S. Paulli Terrae Massae Lombardorum excipere Sacerdotem Antonium Tellarinum ortum prope, sed extra dictam Terram recusaverint, Decretum prodiit S. C. Presbyteros nempe Territoriales Massae Lombardorum esse indistincte admittendos ad communicationem praedictae Ecclesiae, eodem scilicet modo, quo admittuntur Presbyteri originarii ejusdem Terrae: *Imolen. Consor.* 4. *Maii* 1715.

15. Sacerdotes Dominicus, et Angelus de Sarro, qui impraesentiarum dimidiam pro unoquoque partem obtinent in Ecclesia Parochiali Receptitia oppidi Oliveti, modo cupiunt ad integram ratam partem vacantem admitti; at obstant alii Presbyteri asserentes illos fuisse ex gratia ad medietatem admissos, ac esse supernumerarios, imo nec deesse alios antiquiores. In dubium venit; an praedicti Sacerdotes sint recipiendi ad integras partes ratas? S. C. quaesivit meliorem informationem juxta instructionem: *Compsana Portion.* 14. *Martii* 1710. *d.* 1.

16. Et ad effectum, ut licite percipere dictam medietatem valeant, praestare servitium Ecclesiae tenentur: *Ib. dub.* 2.

17. Adest in oppido Peschi Constantii Ecclesia Matrix, et Parochialis Receptitia B. M. V. de Colle, in qua numerum Sacerdotum usque ab anno 1655. Vicarius Generalis reduxit. Novissime Sacerdotes adscripti quum es-

set 10., nihilominus alios recipere nolunt; Communitas dicti oppidi sese opposuit, et res delata est ad S. C., quae decrevit inter Presbyteros Ecclesiae praedictae, et ad partitionem redituum illius esse recipiendum Sacerdotem Horatium de Matthaeis alias Zurla, non autem esse numerum reducendum: *Nullius*, *seu Montis Casini* 4. *Julii* 1716.

18. Vigore antiquae, et immemorabilis consuetudinis Ecclesiae Receptitiae S. Mariae Majoris Civitatis Maratheae quisque Sacerdos antequam admittatur ad participandum, solvit unicuique ex illis Participantibus decem Carolenos. Occasione admissionis Sacerdotis Salvatoris Maria Ursamandi facta est quaestio de ejusdem consuetudinis validitate. S. C. consulta servandam esse consuetudinem dummodo fiat depositum in capsa sacrarii, quod depositum erogetur in usum ejusdem Sacrarii tantum, sancivit: *Cassanen*. 3. *Decem*. 1718.

19. Conquestus est Sacerdos Angelus Laurentiellus, quod locum Ecclesiae S. M. de Serris Pescopagani vacantem non sibi tempore potiori inservienti, sed aliis fuisse collatum contra consuetudinem. Huic sese opposuit Promotor Fiscalis, inquiens, non satis esse temporis potioritatem, sed peritiam in Cantu Gregoriano, et adprobationem ad confessiones audiendas. Id occasionem praebuit proponendi, an aliquis ad hoc ut admittatur ad participandum debeat praeter aetatis praerogativam aliis requisitis Synodalibus pollere?

20. Et an Sacerdotes inservientes Ecclesiae praedictae recipiendi sint in locum Sacerdotis participantis defuncti? Rescriptum prodiit, dilata, et praefigatur a Promotore Fiscali terminus omnibus interesse habentibus ad sua jura deducenda in S. C., et ad secundum dubium pariter, dilata, et communicentur jura, et coadjuventur probationes: *Compsana Aggreg*. 2. *Aug*. 1721. *dub*. 1. *et* 2.

21 Clerus Ecclesiae Matricis S. Petri Terrae Viggiani egre tulit, quod inter Sacerdotes Participantes ab Episcopo admissus fuerat quidam Sacerdos Vincentius de Argentio, qui per decennium Ecclesiae non inservierat, et praecedentem favorabilem consensum plerumque Cleri haud reportaverat. Supplicavit proinde, ut Episcopo demandaretur admissionem peractam retractari. At S. C. hujusmodi preces bis rejecit: *Marsicana* 29. *Aug*. 1722.

22. Sacerdos Leonardus Colucci Participans Ecclesiae S. Jo. Baptistae loci Fasani causa infirmitatis renunciavit, et in ejus locum admissus fuit Jo. Maria Brandi. Alterius loci facta vacatione ad primum statum Capitularem redire postulavit Coluccius, et fuit a comparticipantibus admissus sub variis conditionibus. Locum hic, non vero conditiones suscepit, institutque coram Ordinario pro modificatione. Sed quum ex Epistola ab Ordinario comparticipantibus scripta hi putaverint in libertate esse quidquid de provisione vacantis portionis agendi, Sacerdotem Thomam Fasanum omnia requisita habentem et conditiones illas accipientem in possessionem loci Capitulares admiserunt. Ideo uterque de sui admissione contendit. S. C. Fasani electionem esse validam respondit: *Nullius Fasani* 6. *Julii* 1726. *d*. 1.

23. Presbyteri admittendi ad participandum *Communeriae*, idest Massae Communis Ecclesiae Archipresbyteralis Terrae Guardavallis debent esse adprobati arbitrio Episcopi ad audiendas confessiones, et cetera Ecclesiae Sacramenta administranda, et per annum ante Ecclesiae gratis inservire, et cetera onera parochialia subire, qua de re cautum fuit a statutis con-

ditis et ab ordinario adprobatis : *Squillacen. Commun.* 3. *Sept.* 1729. *dub.* 1. *Confir* 5. *Maii* 1731.

24. Et dubio proposito in admittendis Presbyteris ad participandum an requiratur consensus Archipresbyteri? S. C. respondit, ut scribatur Episcopo pro meliori informatione (160) : *Ibid. dub.* 3. Postmodum negativum dedit responsum: 18. *Novem.* 1730. confirmat., et additum fuit, ut scribatur Episcopo juxta mentem (161) : 7. *April.* 1731. Denique confirmatur juxta modum (162): 10. *Maii* 1732.

25. Admissionem Presbyterorum ad portionem in Ecclesiis Dioecesis Larinensis non jure solum antiquioritatis esse faciendam, juxta consuetudinem vetustissimam, sed juxta Decretum Synodi peragendam per concursum, praevio examine, et cum adprobatione de peritia Cantus Gregoriani, servitio Ecclesiae praestito per triennium, et continuo accessu per triennium ad casuum conscientiae Congregationem : *Larinen. Decret. Synod.* 30. *Aug.* 1732. *dub.* 11.

26. In Metropolitana Ecclesia viget consuetudo non admittendi quemquam ad Massae partitionem, nisi prius eidem Ecclesiae spatio 14. annorum gratis inservierit, ac ultimis duobus annis tres, aut quatuor in hebdomada Missas celebraverit, relicto earum stipendio Canonicis, et Sacerdotibus participantibus, et absentes causa infirmitatis poenam punctaturae solvere coguntur. Canonicus Vincentius Duni hanc consuetudinem improbare connititur, postulavitque utrum Clerici per 14. annos inservire debeant antequam admittantur ad participandum? servandam consuetudinem illam S. C. dixit, praeterquam ad servitium praestandum ab absentibus causa infirmitatis, et quoad onus celebrandi Missas gratis in ultimo biennio : *Matheranen. Particip.* 24. *Sept.* 1735. *dub.* 1. *Confir.* 14. *Decem.* 1737.

27. Praeter qualitates praefinitas in Decreto Vicarii Generalis ex commissione Episcopi in actu Visitationis Pastoralis 1592., confirmato a Paullo V. Pont. Max. Presbyteri Ecclesiae S. Mariae de Colle oppidi Mormanni admittendi ad participandum debent examinari in Cantu Gregoriano et Theologia Morali juxta Edictum Episcopi. Haec declaravit, S. C., et addidit ad mentem (163) : *Cassanen.* 15. *Decem.* 1736. *dub.* 1. *confir.* 30. *Martii* 1737.

28. Ac iidem Sacerdotes ad parti-

(160) Ut refert praeter alia ,, an in admissione Presbyterorum ad servitium Communeriae requiratur approbatio seu consensus Episcopi " *Ibid. sub die* 30. *Sep.* 1730. §. 2.

(161) Ista autem sic fuit explicata ,, Episcopus melius informet super Statu Ecclesiae, redditunm, ac Presbyterorum admittendorum, ne ob pluralitatem deficiat congrua substentatio pro singulis, et interim supersedeat in admissione Presbyterorum " *Ibid. sub die* 26. *April.* 1732. §. 6.

(162) ,, Videlicet ut Archipresbyter semper habeat ducatos quinquaginta praeter emolumenta, quae dicuntur ex jure Stolae, et amplius ; et ad mentem. Mens est, ut attento tanto numero Presbyterorum existentium in terra Guardavallis, scribatur Episcopo, quod deinceps in promotione ad Ordines exacte servetur praescriptum S. Conc. Trid., ac praeterea quod sex Presbyteri, qui pendente lite fuerunt admissi, non obstante praecedente rescripto, considerentur sicut caeteri admittendi, et eis solvantur eleemosynae pro Missis, quas interim celebraverint pro oneribus Communeriae, et quae non fuerint ab aliis celebratae " *Sub die* 10. *Maii* 1732.

(163) ,, Quae fuit, ut examen super cantu Gregoriano tantum fieret, et quoad Theologiam Moralem, scriberetur Episcopo, ut non cogat Sacerdotes ad examen, sed eos hortetur, ut Theologiae Morali incumbant, et super Clericorum scientia invigilet, praesertim antequam eos ad Presbyteratum admittat ,, *in Thesaur. tom.* 8. *part* 1. *pag.* 38.

tionem assumendi debent reportare licentiam a Curia Episcopali soluta tamen mercede Cancellario pro scriptura in duobus carolenis tantum: *Ibid. dub.* 2. *confir. ibid.*

29. Capitularis Constitutio Receptitiae Ecclesiae S. Nicolai Trimodiensis canit, ut Clerici, qui in Gremialem Collegiatam admitti debeant, sint Cives Adrienses, et ex legitimo nati matrimonio. Clericus Felix Frisandi Gremialium numero adscribi desiderans postulavit admitti, quamvis in civitate Tranensi natus sed fortuito fuit. Obstitit Capitulum, et ut validius Frisandium excluderet, quamdam fecit Capitularem conclusionem, in qua statuebat, ne ullus in posterum natalia in civitate Adriae non sortitus dictae Ecclesiae aggregari posset. Conclusionem hanc modo petunt confirmari autoritate Apostolica: et confirmandam haud esse S. C. definivit: *Adrien. Aggrem.* 7. *Sept.* 1737. *dub.* 1.

30. Clericus autem Frisandi, qui diuturno incolatu inter cives Adrienses adnumerari putat, quaerit, num sit ad aggregationem ejusdem Ecclesiae admittendus, et admittendum S. C. censuit: *Ibid. dub.* 2.

31. Admitti debent ad participandum in Ecclesia Collegiata, et Receptitia S. Michaelis oppidi Terlitii Sacerdotes Paullus Petroni, et Leonardus Amazzalorsi abnuentibus Canonicis, quibus in arbitrio cooptandi Presbyteros jus est, quia progeniti sunt a parentibus exteris, licet postulantes habere qualitates ab Ecclesiae statuto requisitas contenderent: *Juvenacen. Admis. ad Consort.* 7. *Sept.* 1737. *d.* 1.

32. Admissio ad partitionem massae communis in Ecclesia antea Receptitia nunc Collegiata Sanctissimae Assumptionis B. M. V. oppidi Zuncoli Presbyteri Dominici Malamisura denegata est; tum quia sese opponebat Capitulum, ex defectu qualitatis originis dicti loci in Constitutionibus Capitularibus, ac literis Apostolicis Erectionis statutae, licet ortus sit ex patre originario indigena, et Cive, tum quia est jam Sacerdotio insignitus contra Capitularia praedicta statuta consuetudine vetustissima innixa: *Arianen. Particip.* 12. *Sept.* 1739. *dub.* 1. *confir.* addendo non obstare Decretum: 13. *Januar.* 1748.

33. Abnuentibus Presbyteris Participantibus Receptitiae Ecclesiae S. Leonis Civitatis Salae admittere ad partitionem ejusdem Ecclesiae Sacerdotem Blasium Graviere, tum quia civica qualitate erat destitutus, tum quia morbo epileptico laborans nequeat choro interesse. Episcopus referebat illum licet ex parentibus genitum exteris domicilium in ea civitate habere, et hujusmodi Sacerdotes alias admissos fuisse. Ideo S. C. dictum Sacerdotem Blasium ad participandum in eadem Ecclesia recipiendum esse putavit: *Caputaquen. Particip.* 30. *Januar.* 1740.

34. Petrus Martyr Molideus Subdiaconus tamquam civis non solum ex origine, verum etiam ex domicilio diligentissime servitium Ecclesiae Cathedrali, et Receptitiae Juvenacensi praestitit. Aemulationis potius, quam zeli causa hunc ad participandum admittere detrectavit Capitulum sub ratione, quod Synodus Diocesana exteros, et in civitate non ortos a Massae Communis partitione arcebat. Proposita hinc re definienda, decisum est, praefatae admissioni locum esse: *Juvenacen. Admiss. ad. Consor.* 11. *Martii* 1741. *dub.* 1.

35. Archipresbyter, et Clerus Receptitiae Ecclesiae in oppido Padulae S. Michaelis Archangeli ad consortium admittere noluerunt Presbyterum Michaelem Mannia, quod is non fuerit

juxta illius Ecclesiae statutum in memorato oppido natus, et baptizatus; et quod ipse servitium Ecclesiae ab omnibus Clericis ex praescripto enunciati Statuti in singulis ordinibus exhibendum minime praestiterit. Hic id sibi ex invidia creatum existimans, S. C. adiit, ut decideret, num esset ad aggremiationem hujus Ecclesiae admittendus? Sed nulla prodeunte definitione, dictum est, ut fieret compulsatio Statuti originalis citata parte: *Caputaquen. Admiss. ad Consor.* 22. *Julii* 1741.

36. Ex Statuto, veterique receptivae Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis Civitatis Potentiae consuetudine nullus Presbyter ad integram massae communis partitionem, nisi post servitium novennii praestitum admittitur. Januarius Cominellius ejus Ecclesiae servitio adscriptus fuit anno 1734., et anno 1735. Neapolim se contulit studiorum causa, et fructus recepit; At nonnullis adversantibus S. C. declaravit, admissionem illam capitulariter factam una cum subsequuta possessione capta anno 1740. nequaquam sustineri: *Potentina Admiss. ad Particip.* 2. *Decem.* 1741. *dub.* 1. *confirmat.* 5. *Maii* 1742.

37. Admissionem ad partitionem communis massae redituum denegatam Sacerdoti Dominico Alfarano, qui per triennium absens a patria causa studiorum suae Ecclesiae inservire (uti Constitutiones ejusdem jubebant) nequiverat, S. C. ei vindicavit a die praesentis declarationis; ita tamen, ut dictus Dominicus teneretur in posterum praestare servitium in Officio Diaconi, et Subdiaconi usque ad complementum triennii: *Ostunen. Admiss. ad Particip.* 18. *Maii* 1743. *d.* 1. 2. *et* 3.

38. Adaucto Pagi Petrellae populo Episcopus quintum locum in Ecclesia Receptitia illius Pagi Sacerdotum Consortium praevio populari concilio erexit. Ad examen Synodale inde admisit Michaelem Gerardi, et Balthaxarrem Fantaconium, et eis contulit. Hi Johannem Hellutum tertium in portionem illius loci petierunt admitti Sacerdotem. Sed commota plebe, et Sacerdotes Consortes erectionem illius loci absque Capituli consensu et sine legitima causa peractam impugnarunt. Querela ad S. C. pervenit quae rescripsit, erectionem illam validam non esse: *Bojanen. Erect., et Elect.* 9. *Maii* 1744. *dub.* 1. *confir.* 27. *Junii ejusd. anni*.

39. Ac proinde, quum Nicolaus Amorosius, qui quartum locum retinebat, sive sponte, sive vi, metuque, res enim est incerta, eumdem dimisisset; Episcopus illum contulit Gerardio, et Fantaconio. Promotio haec totum commovit pagum, et defugere S. C. non valuit examen, num provisio haec ab Episcopo ad quartum locum nuperrime facta sustineatur? quod negativa responsione absolvit: *Ibid. dub.* 4. *confir. ibid.*

40. Quaeritur; an ad loca participationis deinceps vacatura in Ecclesia Receptiva olim Cathedrali admitti debeant Presbyteri antiquiores supranumerarii juxta ordinis vetustatem, seu praeferendi sint recentiores Presbyteri, qui a loco non descendentes post sacerdotium diebus saltem festis Cathedrali jugiter inservierint? S. C. vero ut in casibus particularibus recurrerent, respondit: *Cassanen.* 15. *Julii* 1747. *dub.* 3. Ad examen revocato dubio, definitum extitit, praeferendos esse antiquiores, dummodo inservierint duabus saltem ex tribus partibus anni, nisi fuerit legitime impediti: 16. *Decem. ejusd. anni.*

41. Quaesitum fuit insuper, an in concursu supranumerariorum, qui post promotionem ad Sacerdotium diebus

festis Cathedrali Ecclesiae servitium exhibuerunt, in admissione ad participandum praeferri debeant iis, qui etiam publicae adorationi Ven. Sacramenti per tempora ab Episcopo praefinita interfuerunt? sed S. C. respondendum censuit *negative*: sed esse tantum hortandos: 15. *Julii ejusd. anni d.* 4.

42. Quoad Ecclesias Parochiales, ac Receptitias alteram S. Severini, alteram S. Nicolai tertiam S. Johannis Baptistae quae extant in urbe S. Severi decrevit S. C. in admissione ad locum vacantem partitionis redituum Ecclesiae S. Johannis Baptistae esse servandas Constitutiones synodales Episcopi Mattae editae de anno 1680, et 1681. juxta tamen modum expressum in decretis S. C. emanatis sub diebus 1. April., et 30. Sept. 1713. (164): *Santi Severi Particip.* 13. *Julii* 1748. *dub.* 1.

43. Deinde sancivit praeter duas Constitutiones servanda etiam est pro nunc methodus praescripta in Epistola ejusdem Congregationis de anno 1726. (165) quoad examen Theologiae moralis: *Ibid. dub.* 2.

44. Statutum praeterea fuit, ut in praesentatione facienda per Clerum ad modo vacantem locum sufficiat illius tantummodo testimonium adscriptionis, et servitii Ecclesiae respective ab aggregato praestiti: *Ibid. dub.* 3.

45. Quum vero clam esset, an et quomodo sit danda praelatio in concursu approbandorum? aperire vult S. C. in casibus particularibus qui exponi debent: *Ibid. dub.* 6.

46. Validum denique haud esse edictum de anno praeterito latum ab Episcopo pro citandis Presbyteris aggregatis interesse habentibus ad examen pro obtinenda portione loci vacantis, statutum fuit: *Ibid. dub.* 7.

47. Duo ex Portionariis Ecclesiae S. Pietri oppidi Frosolonis decessere. Primi locum obtinere voluit Sacerdos Antonius Zampinius, qui tamen rejectus uti incapax a Clero, cujus est jus eligendi, litem in Tribunalibus Urbis sustinuit. In locum secundae portionis suffectus fuit ab eodem Clero Sacerdos Joseph Buono. Hunc tamen confirmare noluit Episcopus, nec illi vacuam loci portionis tradere. Obicit Episcopus consuetudinem, qua eligi nequeant, nisi qui originarii sint ex eadem Parochiali S. Petri. Consuetudinem nullis nisi facultativis actibus comprobatam posthabendam esse ait Buonus. Proposito consueto dubio, decisum fuit vacantem portionem Ecclesiae Rectoralis S. Petri adjudicandam esse Sacerdoti Josepho Buono: *Triventina Port.* 3. *Aug.* 1748.

(164) Varia pro temporum varietate ratio fuit admittendi aggregatos ad partecipandum, sed ab Episcopo Matta anno 1680. in Synodo constitutum fuit, ut „ pro obtinenda subrogatione aggregatio saltem per mensem praecedere debeat vacationem loci, ad quem fieri debet subrogatio, quod constare debeat de servitio ab aggregatis praestito Ecclesiae per testimonia ab omnibus Presbyteris participantibus in eadem Ecclesia juramento firmata " *Ead. caus.* 22. *Junii* 1748. §. 1. *Vide n.* 8. *seq. praesenti* §.

(165) Questus est anno 1726. Episcopus datis literis ad S. C. de aggregatis servitio trium Ecclesiarum Parochialium, quod parum essent idonei ad Sacramentales Confessiones exipiendas, et Sacramenta ministranda, et data fuit a S. C. Epistola ad eumdem Episcopum hisce verbis „ ut salvo jure Cleri quoad aggregationem, et salvo etiam examine quoad Rubricas, et Cantum Gregorianum occasione vacationis, et admissionis ad participandum, non admittatur in posterum in praedictis Ecclesiis ad participandum, nisi ille, qui praeter examen explendum pariter per Examinatores Synodales coram Episcopo super Theologia morali, et aliis necessariis pro recto implendo Parochi officii, data illi praelatione, quem Examinatores post examen praedictum magis idoneum, et aptum in Domino judicaverit. " *Die* 22. *Junii* 1748. §. 4.

48. Admissio ad Capitulum Ecclesiae Prioralis S. Sepulcri Baruli, quae praetendebatur valida in favorem Sacerdotis Francisci Antonii Dragone absentis, et ignorantis suam admissionem non sustinetur; et ob fratris obitum, qui erat admissus, et illius substitutus vacavit locum Capitularem factusque est locus admissioni Sacerdotis Nicolai Paulillo, qui haberi pro recepto usque a die sept. dicti anni cum omnibus juribus, et emolumentis debet: *Tranen.* 6. *Decem.* 1749.

49. Moribus receptum est in Ecclesia S. Bartholomaei terrae Cassani, ut ad ejus Consortium Clerici omnes, et Sacerdotes civico jure recipiantur. Thomas Mancini, cujus pater in ea terra domum apertam, instructamque habuit admitti postulavit ad hanc portionem, et fuit rejectus, tanquam non originarius. Hinc ad Consortium hoc, et ad portionem se admittendum esse sententiam a S. C. retulit: *Nuscana Admiss. ad Consort.* 17. *Novem.* 1753. *dub.* 1.

50. Ecclesiasticis ordinandis, et in aliquo Seminario, aut Convictu Ecclesiastico, aut in publica aliqua Universitate degentibus redeuntibus licet Presbyterali ordine insignitis rependi non debere servitium subdiaconatus, Diaconatus praestandum juxta statutum Capitulare (166), perinde ac si essent praesentes, et inservirent Ecclesiae Receptitiae S. Sabini Canusii ad effectum admittendi ad participandum: *Nullius Canusii Particip.* 17. *Decem.* 1763. *dub.* 1.

51. Et tenentur ad effectum participandi servitia explere iidem Ecclesiastici post Sacerdotium regressi ad Ecclesiam Canusianam ad formam Constitutionum (167): *Ibid. dub.* 2.

52. Josepho Senese, Michaeli Rossi, et Nicolao Morra compensari debet servitium post reditum ad eamdem Ecclesiam Canusianam a die editionis decreti provisionalis, quae inspecta recusatione Capitularium eorum admissio denunciata fuit: *Ibid. dub.* 3.

53. Obscurum autem quum esset, an et quae testimonia super peritia in cantu Gregoriano exhibere debeant Capitulo praedicti admittendi ad servitium in Divinis in Ecclesia Canusiana: et quid quoad testimonia super peritia in Theologia morali, mandavit S. C. servari constitutiones, et ad Card. Praefectum ad mentem (168): *Ibid. dub.* 4.

(166) Statutum Capitulare conditum fuit anno 1749. Ordinarii auctoritate approbatum, cujus vigore tenentur post aggregationem Clerici gratis servire quatuor annis, et uno anno Subdiaconi: Diaconi vero biennium inserviunt, cum participatione unius tertiae partis primo anno, et duarum secundo: ac Praesbyteri primo anno, carent eleemosynis Missarum, quae inter Participantes distribuuntur, praeter manualem. Verum in servitium Clericatus ad formam Statuti, imputatur tempus, quo Juvenes absentes causa studii commorantur in aliquo Seminario, vel publica Universitate, juxta Concilii Tridentini dispositionem; Subdiaconi autem, et Diaconi personaliter servire debent, praeterquam in casu malae valitudinis, aut legitimi impedimenti, vel abentiae ad modicum tempus. *Ibid. sub. die* 23. *Junii* 1763. §. 2.

(167) *Vide not. praecedentem.*

(168) In Statuto cavetur, ut respectu Subdiaconi debeat Capitulum *far seguire la prova del Canto Gregoriano*, illumque ad servitium sui Ordinis admittere, *concorrendo nell'Oratore ec. che sia perito nel Canto Gregoriano ed istruito nella morale;* quodque Diaconi admissio fiat, *precedente rigoroso esame circa la perizia del Canto Gregoriano, se si troverà in quello ben versato, e perfezionato;* dubium idcirco disputatum est in S. C. Episcop. et Regul. An examen pro admittendis ad servitium Ecclesiae debeat expleri ab Ordinario, sive potius a Capitulo? et die 6. Maii 1763. Ponente Card. Lante responsum est *Negative ad primam partem, et affirmative ad secundam ad formam Constitutionum: Ead. caus.* 23. *Junii* 1763. §. 8. Mens autem est, ut hujusmodi admittendi

§. III.

Presbyteri Participantes quoad Fructus, Distributiones, ac Emolumenta.

1. Perpenso dubio an consuetudo, quae viget in Ecclesia Parochiali S. Paulli oppidi Pesculi Asseroli, distribuendi reditus possessionis nuncupatae *La Vicenda*, et decimas inter Abbatem, aliosque Presbyteros participantes dictae Ecclesiae sit observanda? rescripsit, dilata, et detur summarium cum documentis: *Marsiana Congruae* 29. *April.* 1702.

2. Fructus amissos tempore non peractae residentiae non esse restituendos Sacerdoti Antonio Lacingulae Portionario, ac participanti Ecclesiae Archipresbyteralis oppidi Serrae Capriolae, neque alteri locum veluti vacantem vindicanti deberi, sed aliis intervenientibus accrescere S. C. statuit: *Lancianen. Privat.* 2. *Maii* 1711. *d.* 2.

3. Improbata a S. C. admissione ad partitionem massae communis Collegiatae Ecclesiae Terrae Turii facta a Capitulo in favorem Stephani de Paula Sacerdotis, et subrogato Jo. Baptista Francho pariter Sacerdote, S. C. fructus non esse restituendos a tempore admissionis dicti Stephani credidit: *Conversana Particip.* 28. *Novem.* 1711. *dub.* 2.

4. Presbyteri Participantes Collegiatae Ecclesiae Sanctissimae Annunciationis Civitatis Andriae unanimiter decreverunt, quum praetenuissima massae distributio Chori servitium pessundatur, ac Missae Conventuales negligantur, remedium tantum adesse, ut ex pingui Massa Sacrificiorum piarum dispositionum detrahatur ex singulis unus Carolenus, et applicetur praedictae Massae Chorali. Ideo postularunt Apostolicum Beneplacitum, et S. C. indulgendum precibus respondit juxta votum Card. Relatoris (169): *Andrien. Benep.* 25. *Januar.* 1716.

5. Distributio, et divisio eleemosynarum elargiendarum a piis fidelibus pro Missis cum cantu, votivis, vel defunctorum in Ecclesia Parochiali Casalis Zebbug est facienda per vices, non autem omnes Presbyteri ad canendum in Choro admittendi; et aequaliter inter eos eleemosynae sunt dividendae: *Melevitana Juris Particip.* 25. *Januar.* 1716. *dub.* 1.

6. Ac ordinem explendum esse cum numero octo Sacerdotum non cum numero quatuor tantum: *Ibid. dub.* 2.

7. Atque Vice-Parochus Casalis praedicti in numero Choristarum vicissim, non semper in orbem admitti debet: *Ibid. dub.* 3.

8. Dubium, an Sacerdotes Participantes Ecclesiae Parochialis Receptitiae oppidi Oliveti Dominicus, et Angelus de Sarro teneatur ad restitutionem portionum perceptarum de tempore non praestiti servitii? resolutum haud fuit, et demandata est nova informatio: *Compsana Port.* 14. *Martii* 1716. *dub.* 3.

9. Exigere possunt Presbyteri Par-

coram Episcopo, et Examinatoribus Synodalibus respective examini, servata forma Constitutionum Capitularium Ecclesiae Canusinae se subjiciant, et quatenus in re de qua agitur idonei fuerint reperti, attestationem recipiant super illorum peritia, ac idoneitate, eamque Capitulo Canusino exhibere teneantur: *Regist. Lit. Lib.* 32. 17. *Decem.* 1763.

(169) Card. Priolus Relator animi sui sensum aperit, ac rem expendit „ Quod licet supplex petitio versetur in terminis derogandae voluntatis defunctorum, qui statuerunt eleemosynam trium Carolenorum pro celebratione cujuslibet Missae, nihilominus cum hoc pingue emolumentum Sacerdotibus participantibus sit attributum, ipsis consentientibus, quin imo supplicantibus, viderunt indulgeri posse: quod unicus Carolenus pro unaquaque Missa Ecclesiae cultui applicetur " *Ead. Caus.* 11. *Januar.* 1716.

ticipantes Ecclesiae Collegiatae, et Receptitiae Parochialis S. Mariae Collis Terrae Peschi Constantii pro jure Sepulcri emolumentum taxatum in conventione anni 1566., quando cadavera Incolarum Paroeciae humantur in propriis tumulis, et familiaribus; et quando in aliena Ecclesia tumulantur, rescripsit S. C., quod expectetur exitus litis in S. C. Episcop., et Regul. *Nullius seu Montis Casini* 26. *Januar.* 1726. *dub.* 14.

10. Sacerdos Dominicus Antonius Nicolazzius, qui a Curia Episcopali Castrensi praeter suspensionem a Divinis, relegationem in Terra Andrani, imo restrictionem in Conventu passus fuit, se contulit ad Urbem, et causam in S. C. Episcop. et Regul. instruxit, obtinuitque non esse amplius molestandum. Hinc deberi sibi non obstante absentia distributiones, et reditus Ecclesiae Receptitiae, cujus servitio erat adscriptus, intendit. Episcopus referebat, consuetudinem tam in Receptitia illa Ecclesia, quam in aliis vigere, quod si Sacerdos non reperitur praesens prima die Septembris, excludatur per totum annum a partitione, ob id opus examine fuit super hac re, et non deberi S. C. judicavit: *Castren.* 13. *April.* 1726.

11. Natales Quaranta fuit Sacris Ordinibus initiatus ad titulum Ecclesiae Receptitiae oppidi Serrarum. Sed quum hic moram semper fecisset in Urbe, Collegae negarunt eum posse participare fructus, et Ecclesiae proventus, multoque minus decimas. Natalis metum potetatis laicalis praeferebat fuisse absentiae suae causam; verum resoluta primum causa non fuit, et scribi demandatum Episcopo juxta instructionem (170) non retardata interim portione Massae Capitularis totius anni tempore obtentae licentiae ab Episcopo: *Caputaquen.* 7. *April.* 1731. *d.* 1. Inde resolutum fuit, Natali deberi massae communis portionem pro tempore praeterito, et ad D. Secretarium juxta mentem (171): 18. *Aug. ejusd. anni*.

12. De mandato S. C. admissis Sacerdotibus Paullo Petroni, et Leonardo Amazzalorsi ad partitionem in Ecclesia Collegiata, et Receptitia S. Michaelis oppidi Terlitii eadem S. C. inde sancivit, eisdem deberi distributiones, fructus et emolumenta solita, videlicet Paullo a die denegatae admissionis, Leonardo a die praesentis Decreti, una cum omnibus aliis honoribus, et praerogativis: *Juvenacen. Admiss. ad Consor.* 7. *Sept.* 1737. *d.* 2.

13. Petrus Martyr Molideus subdiaconus, qui tamquam civis Ecclesiae Cathedralis, et Receptitiae servitium praestitit, quaesivit sibi deberi fructus, distributiones, et cetera emolumenta a die denegatae admissionis, una cum refectione omnium, et singularum expensarum, damnorum et interesse quae pertulit, atque pati potest, sed non aliud obtinuit, quam fructus, distributiones, ceteraque emolumenta: Nam admissionis esse locum jam S. C. judicaverat: *Juvenacen. Admiss. ad Consor.* 11. *Martii* 1741. *dub.* 2.

14. Oeconomus, seu Exactor moderni Episcopi Juvenacensis tamquam Sacerdos Consortialis, atque Participans distributiones quotidianas, quando est absens, et Cathedrali Ecclesiae non inservit, minime lucrari potest: *Ju-*

(170) Ab eo exquiri mandatum fuit, quaenam esset peculiaris causa metus, quae impedimento fuerit Natali Quarantae, ne in Ecclesia resideret; et num talis causa cessaverit: *Ead. Caus.* 18. *Aug.* 1731. §. 3.

(171) Quae fuit, ut Orator curaret removere impedimenta, quae sibi praestabantur, ne ad residentiam suae Ecclesiae reverteretur: *Rel. in Tyburtina Indulti* 7. *Sept.* 1737. §. *Imo*.

venacen. 30. *Martii* 1743. *dub.* 2.

15. Curia Episcopali Caputaquensi mandante Sacerdos Marcus de Canto adscriptus servitio Parochialis, et Receptitivae Ecclesiae terrae Trentenariae sese contulit in oppidum *delle Piaggine di Laurino* Medicorum consilio. Hic interim alios Participantes substituit, ut sua onera hebdomadae, et sacrorum impleret. Audivit repente Marcus, Episcopum Sacerdotem Dominicum Vernagliam ad partitionem redituum, et onerum sui loci admisisse. Renuit Vernaglia locum excipere, quia consensum pro absentia Marci praestiterat. Sed relata vero ad S. C. causa, praefatus infirmus obtinuit sibi deberi portionem massae communis pro tempore suae infirmitatis, sicut ceteris Sacerdotibus Participantibus, deductis tamen oneribus Missarum ad rationum Caroleni unius pro qualibet Missa: *Caputaquen. Particip.* 20. *Novem.* 1751. *d.* 1. *confir.* 29. *Julii* 1752.

16. Sacerdotem Agazzanium Beneficiatum Ecclesiae Cathedralis, uti alterum ex consortialibus participantibus dictae Ecclesiae, dum inservit Episcopo, participare debere de distributionibus quotidianis, quae inter alios Consortiales Participantes distribui solent, S. C. putavit: *Regien. Distrib.* 21. *Julii* 1753.

17. Quum S. C. admittendum ad partitionem in Ecclesia Receptitia S. Bartholomaei Terrae Cassani Thomam Mancini, licet natum in Terra Montella decrevisset deinde sententiam tulit, ut ei debentur distributiones, aliaque Ecclesiae praedictae emolumenta a die rejectionis: *Nuscana Admiss. ad Cons.* 17. *Novem.* 1753. *dub.* 2.

18. Presbyteri Mansionarii Ecclesiae Cathedralis Episcopo inservientes participare possunt de massa, non autem de distributionibus quotidianis,uti praesentes, ac intervenientes participant: *Venusina* 30. *Julii* 1763. *dub.* 4.

19. Dum ad disquisitionem vocatur, an Presbyteris Ecclesiae Receptitiae S. Sabini Canusii, qui noviter ad partitionem admittuntur in primo anno admissionis debeatur integre eleemosyna Missarum perpetuarum, seu illius pars retineri a Capitulo possit? ad formam Constitutionum (172) rescribitur: *Nullius Canusii Particip.* 17. *Decem.* 1763. *dub.* 5.

20. Aloysius Passerinus in Vicenarium Sacerdotum Consortalium numerum in Ecclesia Metropolitana Bononiae adlectus, scorbuti coepit laborare morbo, et a choro abesse. Distributiones per sex tamen ille annos jugiter habuit. Demum Socii obmurmurare inceperunt, eique distributiones denegare. Card. Archiepiscopus alium in locum ejusdem admisit. Aloysius animum non abjiecit, atque petiit restitui ac suas distributiones denegatas postulavit. Re ad S. C. relata nulla causae prodiit definitio,sed Card. Archiepiscopo pro confectione processus juxta instructionem (173) res com-

(172) Quibus injungitur: *portare peso di celebrare le Messe, come tutti gli altri Partecipanti; secondo l'assegnamento si farà, e giro dell' Eddomade, e Tabella, ed in fine dell' anno lucrerà la limosina manuale di un Carlino per cadauna Messa ec., ed il di più oltre la limosina manuale importeranno le Messe celebrate in detto anno gratis, debba restare per uso della Sagrestia, e per impiegarsi nelle Sagre suppelletili più bisognevoli. Ead. Caus.* 28. *Junii* 1763. §. 9.

(173) Censuit, ut non dedignetur demandare confectionem processus, in quo ser. serv. probationes utrimque afferendae recipiantur super aegritudine, et morbo, quo Aloysius Passarini praeteritis annis, et praesertim a die subrogationis alterius Sacerdotis afflictatus fuit, quo in praesens vexatur, atque eo etiam permanente imposterum Ecclesiae servitium praestare non valeat ut inde ab S. C. controversia omnis cognosci, ac definiri possit: *Regist. Lit. Lib.* 82. 18. *Maii* 1765,

mendata est: *Bononien.* 18. *Maii* 1765. *dub.* 2.

§. IV.

Presbyteri Participantes quoad Jura, et Potestatem.

1. Participantibus Presbyteris Ecclesiae Asculanae post dimissa incompatibilia ad Ecclesiae servitium redeuntibus, an debeatur praecedentia juxta priorem eorum admissionem, vel ultimum locum tenere compellantur? hoc dubium planum redditur, deberi locum juxta novam admissionem, definiendo: *Asculana Part.* 18. *Nov.* 1662. *dub.* 5.

2. Ad instantiam Presbyterorum perpetuo residentium Ecclesiae Parochialis S. Mariae Virginis civitatis Mataronae, qui conquesti erant de mala administratione bonorum Ecclesiae, quae ad Rectorem spectat, S. C. censuit dictos Presbyteros quoad omnia respicientia eorum interesse tantum posse compellere singulis annis Rectorem Ecclesiae ad redditionem rationum bonorum, redituum, et investimentorum coram Episcopo: *Barchinonen. Erect. Commun.* 1. *April.* 1702. *d.* 3.

3. De qua resolutione insuper putavit, hanc esse intelligendam, ut intervenire debeant Deputati a Presbyteris Beneficiatis, ac perpetuo residentibus juxta consuetudinem dictae Ecclesiae ratione eorum interesse redditioni computorum faciendae a Rectore coram Episcopo ad formam dictae declarationis: *Ead.* 9. *Sept. ejusd. anni dub.* 4.

4. Praetendentibus Presbyteris civitatis Foggiae occasione funerum ingredi Ecclesias Regularium, ac super cadaveribus exequias peragere? S. C. respondit eos licere ingredi, minime exequias peragere: *Trojana Fun.* 17. *Junii* 1702.

5. Erecto in Ecclesia Parochiali SS. Blasii, et Donnini Collegio sex Canonicorum cum Archipresbytero firma tamen remanente communitate presbyterorum nuncupata *Consortium* inibi ab antiquissimo tempore instituta, perpensa fuerunt nonnulla dubia, de quibus S. C. sancivit dictos Presbyteros consortiales obtinere non posse Canonicatum in eadem Ecclesia, et in Consortio remanere: *Regien. Consortii* 23. *Januar.* 1706. *dub.* 1.

6. Nec Consortiales praedictos praestare posse solitum servitium in alia Ecclesia etiam per eos noviter construenda, et secum deferre utensilia, aliaque supellectilia propriis eorum sumptibus confecta: *Ibid. dub.* 2.

7. Presbyteri participantes Ecclesiae Collegiatae, et Receptitiae Parochialis S. Mariae Collis Terrae Peschi Constantii non possunt se ingerere in administratione dictae Curae inspecta deputatione Parochi perpetui, sed ab Ordinario providendum est de Sacerdotibus Coadjutoribus: *Nullius, seu Montis Casini* 26. *Januar.* 1726. *dub.* 4. confir. ita tamen, ut ceteris paribus praeferentur Presbyteri ejusdem Ecclesiae: 2. *Junii* 1731.

8. Et quoad celebrationem Missarum, et Vesperarum solemnium, ac etiam Missarum privatarum, et supplicationum servari debent conventiones initae in Concordia anni 1566.: *Ibid. d.* 6.

9. Nec prohibere valent sonum tintinnabulorum de tempore obitus, et pro sonitu nihil debetur; quoad tempus vero delationis Cadaveris ad aliam Ecclesiam pulsanda esse tintinnabula, si haeredes velint, soluta competenti mercede Sacrario ab Ordinario taxanda: *Ibid. dub.* 15. *confir.* 11. *Sept.* 1728.

10. Licet Presbyteri participantes Ecclesiarum S. Mariae de Fracta Terrae Castelli, et altera Parochialis Ecclesiae S. Johannis Baptistae Terrae Carifii obtinere non valuerint decla-

rari Collegiatas, nec Parochos Dignitates; S. C. autem quaesita tolerandum esse censuit, ut earumdem Ecclesiarum presbyteri liceat uti sigillo cum inscriptione *Collegium Terrae Carifii; Collegium Terrae Castelli: Trivicana Colleg.* 1. *Sept.* 1731. *dub.* 4.

11. Ad S. C. dubium relatum est, an diebus Dominicis, et Festis ante Missam Parochialem Sacerdotes valeant Sacrum facere in aliis Ecclesiis Mormanni, praemisso sonitu tintinnabulorum, et quatenus negative, an contra facientes suspensionis poena, vel alia poena multari possint; responsum prodiit ad mentem (174): *Cassanen.* 15. *Decem.* 1736. *dub.* 14.

12. Occasione unionis Cleri Terrae Camerotae gubernio, et servitio trium Ecclesiarum Parochialium dictae Terrae, animarum cura ad solum Archipresbyterum praeservata duo Sacerdotes, quibus vi unionis committi solet custodia duarum Ecclesiarum sese Parochos esse dicunt, et jus sibi stolae arrogant, et alios praecedere ajunt. S. C. eosdem iis annis, quibus in eisdem Ecclesiis non celebrantur divina Officia, nec Sacramenta administrantur, prohiberi debere se denominari, ac subscribi Parochos, et in eis munia parochialia exercere absque licentia, et Archipresbyteri consensu sancivit: *Policastren. Jur. Paroch.* 29. *Maii* 1745. *dub.* 2.

13. Atque est vetanda iisdem Presbyteris delatio stolae in supplicationibus ac praecedentia super ceteros Presbyteros antiquiores: *Ibid. dub.* 3. causa inde reproducta S. C. probationes coadjuvandas, et extrahendas partitas citata parte censuit: 7. *Aug. ejusd. anni*.

14. Causa controversiae inter Archidiaconum, et Canonicum Poenitentiarium Ecclesiae Cathedralis factae definitum inter cetera fuit, ut circa locum, quem Presbyteri ejusdem Ecclesiae munus celebrantis tam in matutino quam in ceteris horis Canonicis explentes in choro occupare debeant, servaretur Caeremoniale Romanum, (175) apposita tamen Tabella *Chorus: Tarentina Praeemin.* 1. *Aug.* 1750. *d.* 6.

15. In omnibus supplicationibus etiam solemnibus, et funeribus explendis a Presbyteris Ecclesiae S. Nicolai Coadjutricis Ecclesiae Cathedralis Urbis Andriae servitio adscriptis, intra aut extra proprium ambitum a Cathedrali levandam haud esse Crucem, sed propria Cruce posse uti, firmatum fuit: *Andrien.* 24. *Januar.* 1767. *dub.* 13. *confir.* 15. *Sept. ejusd. anni*.

§. V.

Presbyteri Participantes quoad Numerum.

1. Quum in Ecclesia Parochiali Receptitia oppidi Rhodi numerus Presbyterorum participantium, qui olim septem esse consueverant, plurimum deinde auctus fuisset, et usque ad viginti, adeo ut tenuis proventuum portio percipi a singulis posset, conquerente de hoc potissimum Archipresbytero, cui animarum cura imminet, hac de causa S. C. neminem in dicta Ecclesia Receptitia in posterum, nisi intra numerum septenarium esse recipiendum decidit: *Spontina Congr.* 8. *Maii* 1664.

2. Numerus Presbyterorum participantium Ecclesiae Cathedralis non est reducendus: *Squillacen. Missae Convent., et Commun.* 24. *Sept.* 1712. *d.* 6. *confir.* 11. *Martii* 1713. *dub.* 1.

3. Excessivus numerus Sacerdotum participantium, seu Consortialium Ecclesiae Parochialis S. Paulli Terrae Massae Lombardorum timorem crea-

(174) *Vide not.* 163. *pag.* 116.

(175) *Vide not.* 28. *tom.* 2. *pag.* 27.

vit, ne ille coetus vilescere posset, quum causa quotidiani Chori, et Missarum oneris vix unusquisque Sacerdos annua scuta 16. hauriat. Deprecantur illi S. C., ut determinaret numerum Consortialium, et ita fieret Ecclesia numeratitia secundum praesentem Ecclesiae redituum statum, ex qua singulorum conservatio conveniens haberi potest, sed ratae preces non fuerunt, et tulerunt rescriptum, nihil innovandum: *Imolen. Congr.* 7. *Sept.* 1720. *dub.* 1. *et* 2.

4. Hoc causa disquisitionis fuit, an numerus Presbyterorum participantium Ecclesiae Archipresbyteralis Terrae Guardavallis sit reducendus; itaut remaneat congrua centum ducatorum pro Archipresbytero, et viginti quinque pro quolibet Presbytero participante. S. C. rescripsit, dilata, et scribatur Episcopo pro meliori informatione (176): *Squillacen. Commun.* 3. *Sept.* 1729. *dub.* 2. Deinde negativum dedit responsum: 18. *Novem.* 1730. confir. addendo, et scribatur Episcopo juxta mentem (177): 7. *April.* 1731. Demum iterum confir. juxta modum (178): 10. *Maii* 1732.

5. Ecclesia S. Mariae de Facta in oppido, cui nomen Castellum erat, Receptitia absque certo numero Sacerdotum est. Anno 1723. Presbyteri ad eam Ecclesiam aggregati ac participantes erat in numero viginti quatuor, constituerunt in posterum 18. esse admittendos, et in subrogatione alterius in locum demortui habere rationem primarum suscepti Ordinis Presbyteralis, ac servitii praestiti Ecclesiae. Statutum hoc, utpote honestis consulens vitae subsidiis Sacerdotum aggregandorum juxta reditus Ecclesiae Episcopus ratum habuit. Et deinde licet conquestiones factae sint, suo rescripto confirmavit Benedictus XIII. Pont. Max. Hodie tamen reclamantibus Clericis Sacerdotibus oppidi S.C. nulla data responsione, scribi Episcopo pro informatione juxta instructionem (179) praecepit: *Trivicana Stat.* 26. *Maii* 1733.

6. Decreverat Episcopus S. Severi Matta, ut acceptus, et adscriptus in una Ecclesia, si adscribatur in alia, amitteret primae perceptionem. Paulo post simplices Presbyteri non participantes obtinuerunt augeri in Parochialibus tribus Ecclesiis participantium numerum. Expostularunt hinc alii S. Severi Presbyteri participantes ab hac sententia, et studuerunt perspicuum fieri, num augeri is debeat in Ecclesiis S. Severi Receptitiis comparticipantium numerus? nullo judicio edito, responsum exiit, ut coadjuverentur probationes quoad incrementum redituum: *Sancti Severi* 27. *Sept.* 1738.

7. Aucto Populo Vici S. Salvatoris Dioecesis Thelesinae Vicani instabant, ut servitio Ecclesiae, quae sola est in illo vico, octo constituerentur Sacerdotes excepto Archipresbytero et duobus Capellanis, qui dudum constituti sunt, S. C. ad dubium, an, et quos Sacerdotes sint costituendi pro servitio Ecclesiae? negativum dedit rescriptum, et ut servetur solitum mandavit. Nam adjunxit duos Coadjutores tantum Archipresbytero pro curae animarum exercitio: *Thelesina* 8. *Febr.* 1744. *dub.* 2.

8. Communitatis, et populi Terrae S. Salvatoris precibus annuit S. C.

(176) *Vide not.* 160. *pag.* 116.
(177) *Vide not.* 161. *pag.* 116.
(178) *Vide not.* 162. *pag.* 116.
(179) Edoceri S. C. voluit, de praecisa quantitate annuorum proventuum, qui distribui solent inter Participantes, necnon de qualitate onerum, quae eis annexa sint: *Regist. Lit. Lib.* 28. 16. *Maii.* 1733.

duos Oeconomos in animarum cura Archipresbytero Ecclesiae, quae unica est, decernens. Adaucto magis populi numero, et sacris, et Confessariis eodem egente populo rogatum fuit, ut tres alii adjungerentur Sacerdotes, qui de ejusdem Ecclesiae reditibus participarent. Ducatos quinquaginta Ecclesiae ampliavit reditus populus ipse itant traditis Archipresbytero ducatis 370., et 100. Oeconomis, pro tribus his adjungendis Presbyteris reliqui sint ducati 120. Resolutum hinc est, ut in praefata Archipresbyterali Ecclesia cum qualitate Receptitia major faciendus sit numerus aliorum trium Participantium ad formam Concordiae moderni Archipresbyteri cum universitate, aliisque: *Thelesina* 18. *Febr.* 1758.

§. VI.

Presbyteri Participantes quoad onera in genere.

1. Editum hoc fuit decretum, Episcopum debere omni studio, et diligentia eniti, ut praedicti omnes Clerici in sacris ordinibus constituti, cantum addiscant, atque in eos, qui in Choro, prout tenentur, non psallunt, procedere posse etiam per subtractionem quotidianarum distributionum: *Andrien.* 14. *Martii* 1620.

2. Quum disceptatum fuisset, num sustineretur Decretum, quo Episcopus jubebat, ut Presbyteri tam admissi quam admittendi ad consortium Cathedralis Ecclesiae infra sex menses Cantum Gregorianum tenerentur addiscere sub poena scutorum vigintiquinque Sacrario ejusdem Ecclesiae applicanda, iidemque si infra alios sex menses instructi sufficienter in dicto cantu non redderentur, privari deberent etiam distributionibus quotidianis, prodiit resolutio affirmativa: *Parmen. Consortii* 11. *Maii* 1669. Causa postmodum reproducta sub hisce dubiis: 1. an, et quomodo poena sit moderanda? 2. an dictus terminus sit prorogandus? 3. an applicatio poenae sit facienda locis piis? 4. an omnes aequaliter teneantur, vel tantum Guardachori, Mansionarii, Hebdomadarii, et Diaconi? 5. an poena intelligatur de scutis aureis vel monetae? 6. an examen sit faciendum coram Episcopo, vel coram personis Deputatis? responsum est ad 1. delendam esse poenam in primo semestri; ad secundum semestre apponendam poenam amissionis distributionum futurarum. Ad 2. provisum ut supra. Ad 3. affirmative; Ad 4. teneri omnes. Ad 5. provisum ut supra in primo. Ad 6. relinquendum esse arbitrio Episcopi quoad ipsius praesentiam, examen vero faciendum a peritis: 24. *Januar.* 1671.

3. An interrogationem, an Presbyteri participantes Ecclesiae Collegiatae Receptitiae Parochialis S. Mariae Collis terrae Peschi Constantii teneantur tumulare gratis cadavera personarum miserabilium, et quoad determinationem harum miserabilium? a S. C. servandam esse Synodum Dioecesanam constabilitum est: *Nullius seu Montis Casini* 26. *Januar.* 1726. *dub.* 11.

4. Et ad quaesitum, an vero in explendis funeribus praeter recitationem primi Nocturni Officii Defunctorum teneantur recitare laudes etiam, et quid pro his explendis debeatur Presbyteris, quasque preces, et quomodo canere debeant in comitatu cadaverum? S. C. rescripsit servandum esse Rituale (180), et nihil exigi debere pro cantu: *Ibid. dub.* 12. *et* 13.

(180) Romanum jussu Paulli V. Pont. Max. editum, in quo *tit. de Exequiis in fin.* cautum est „ Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem praedictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis,

5. Presbyteri participantes Ecclesiarum Parochialium S. Nicolai et S. Andreae Apostoli oppidi Montisani non tenentur vicissim ad celebrationem Missae matutinae in diebus festis pro rusticis, et forensibus: *Caputaquen.* 14. *Maii* 1729. *dub.* 4.

6. Nec tenentur fidei rudimenta, et Evaneglium iisdem explanare: *Ibid. dub.* 5.

7. Ipsi vero hortandi, sed non cogendi sunt nisi in casu necessitatis, ut moribundis assistant: *Ibid. dub.* 6.

8. Qui vero in casu necessitatis assistere renuunt moribundis punctis notandi sunt super decimis, de quibus participant: *Ibid. dub.* 7.

9. Anniversariae, quis singulis annis pro Episcopis defunctis celebrari debent in Ecclesia Parochiali S. Mariae de Colle in oppido Mormanni, interesse Presbyteri participantes Ecclesiae ejusdem tenentur: *Cassanen.* 15. *Decem.* 1736. *dub.* 6.

10. Mandaverat in Visitatione Episcopus Sypontinus, ut Presbyteri Capitulares Ecclesiae Parochialis Ecclesiae S. Leonardi oppidi S. Johannis Rotundi de decimis participantes Archipresbytero in animarum cura praesidio essent, iisque praesertim, qui in extremo mortis agone colluctantur, assisterent. Obloquuti sunt Presbyteri, onusque illud ipsi Archipresbytero refundentes, S. C. re cognita definitionem distulit ad sex menses, et mandavit interim ut Archiepiscopus cogeret in casu necessitatis; *Sypontina* 1. *Decem.* 1736. Hoc elapso tempore Capitulares decisionem urserunt, et decisum est, illos assistentiam morientibus praestare teneri in casu necessitatis: 23. *Novem.* 1737.

11. Presbyteros Participantes Ecclesiae S. Nicolai oppidi Laureae ad Archipresbyterum ejusdem Ecclesiae adjuvandum, tum in explicatione Catechismi, tum in assistentia moribundis, tum in administratione Viatici, et extremae Unctionis, tum demum in ceteris functionibus parochialibus auxiliandum, hortandos esse non cogendos nisi in casu necessitatis, S. C. respondit: *Policastren. Procurat.* 1. *Junii* 1737. *dub.* 5. *confir.* 13. *Sept.* 1738. *dub.* 1.

12. Et particulariter mandatur, Johannem Andream Segreti, unum ex enunciatis Sacerdotibus participantibus, ad officium suffragandi dictum Archipresbyterum in cura animarum, etiam sine examine redintegrandum non esse: *Ibid. dub.* 8. *confir.* 13. *Sept.* 1788. *dub.* 1.

13. Contra diuturnam consuetudinem Ecclesiae Consortialis D. Jacobi Laureae vetuit Episcopus, ne quis ex Presbyteris participantibus pueros Christianae Legis praeceptis imbueret, praeter Parochum. Eos non esse idoneos saepe querebatur Episcopus. S. C. autem dubio congruenter proposito resoluit, Presbyteros hos participantes de Decimis, et aliis emolumentis parochialibus aequaliter cum Parocho juxta singulorum participantium facultates teneri eumdem Parochum opitulari in explicatione Catechismi, tum in assistentia moribundis, tum in administratione Viatici, et Extremae Unctionis, tumque in ceteris functionibus parochialibus sub poena pri-

et Laudibus dici non potest, deposito in Ecclesia feretro cum corpore dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, maxime ubi hujusmodi viget consuetudo incipiendo ab Invitatorio, *Regem, cui omnia vivunt, venite etc.*, et postea omnia alia dicantur, quae supra praescripta sunt, dicenda post Officium Mortuorum, et Missam" Et Paullo ante ordo Exequiarum in comitatu praescribitur eod. tit. Vide Catalani *in ejusd. Rit. Rom. Comment. cap.* 3. *tit.* 6.

vationis partis decimarum aliorumque alimentorum parochialium, eamque accrescere aliis sedulo id munus agentibus: *Policastren.* 14. *Martii* 1744. *dub.* 1. Reproposita causa responsum exiit, in decisis servata dispositione Decreti Synodalis anni 1632.: 9. *Maii ejusd. anni.*

14. Presbyteros Cleri S. Mariae civitatis Riveliae primam Missam sive lectam, sive cum Cantu in Ecclesia S. Nicolai cum praesentia ipsius Cleri celebrare non teneri firmatum fuit a S. C. occasione dissidii, quod ortum fuit, quum una convenirent Sacris Solemniis agendis duo Cleri urbis praedictae separatis Ecclesiis addicti: *Policastren. Praemin. et Jur. Paroch.* 22. *Januar.* 1746. *dub.* 13. *Confir.* 23. *Maii ejusd. anni.*

15. Presbyteri Ecclesiae Receptitiae S. Nicolai terrae Castellucii tenentur conficere inventarium de reditibus Ecclesiae praedictae: *Cassanen. Visit.* 14. *Junii* 1749. *dub.* 5. *confir.* 6. *Decem. ejusd. anni.*

16. Ac praedicti Presbyteri possunt adstringi ab eodem Episcopo ad se subjiciendos examini occasione sacrae Visitationis tam super Literarum disciplina, quam super Missarum caeremoniis, et hoc sanciendo S. C. addidit ad mentem (181): *Ibid. dub.* 7. *confir. ibid.*

17. Contra Portionarios, seu Participantes Ecclesiarum S. Mariae in Silvis et S. Mercurii oppidi *Serra Capriola* nuncupati, qui sine legitima causa recusant suscipere officium, ad quod fuerunt assumpti, multam decem carolenorum pro qualibet die contumaciae, ad commodum Capituli adplicata juxta Synodi Decretum sustineri posse declaratur: *Larinen. Decret. Synod.* 30. *Aug.* 1732. *dub.* 6.

18. Juxta Decretum dicti Synodi Presbyteri, ac praesertim portionarii Ecclesiarum Matricium participantes Massam Communem, Parochis in cura animarum adjumentum afferre tenentur cum adprobatione, et juxta Episcopi assignationem: *Ibid. dub.* 9.

19. Eosdemque, qui Parochis in cura animarum adjutores esse juxta Synodi anni 1728. decretum tenentur, munus hoc absque alio emolumento obire debent: *Ibid. dub.* 10.

§. VII.

Presbyteri Participantes quoad Remotionem, ac Redintegrationem.

1. Presbyteri Participantes Ecclesiae Asculanae per consecutionem incompatibilis tum in eadem Ecclesia jus serviendi, et participandi adeo expirat, ut dimisso incompatibili hujusmodi illud amplius non reviviscat: *Asculana Part.* 18. *Novem.* 1662. *dub.* 3.

2. Quaestio inter Paulum Llorens Rectorem Ecclesiae Parochialis S Mariae Villae Mataronis, et Presbyteros Ecclesiae praedictae participantes facta est: Utraque pars Romam miserunt Presbyterum ad causam agendam. A Presbyteris participantibus Sacerdos Jo. Serra missus fuit; hic ordinatus ad titulum participationis ejus admissio ad vitam ejus naturalem auctoritate Ordinaria firmata fuerat, et licet absens indulta, et prorogationes ad lucrandas distributiones obtinuit, ultima jam relata, sed haud ejus exhibitione expectata in partibus Rector praedictus eum admissione privavit, et alterum in ejus locum suffecit. Hanc privationem nullam S. C. declaravit, ac esse ei manutentionem, ac redintegrationem concedendam praecepit: *Barchinon.* 26. *Novem.* 1701. *dub.* 1.

(181) Et mens est, ut communicetur Episcopo instructio in Isolana 29. Maii 1745: *Ead. caus.* 23. *Aug.* 1749. §. 1.

3. Sacerdos Antonius Lacingula portionarius, et participans Ecclesiae Archipresbyteralis oppidi Serrae Capriolae fuit advocatus Visitationis Pastoralis dicti oppidi cum praecepto non deserendi servitium Ecclesiae sub poena privationis. Hic deseruit, et privatus fuit; S. C. tamen privationem non sustineri, sed manutentionem dandam esse eidem Antonio mandavit, et injunxit, ut infra mensem omnino ad residentiam rediret absque spe: *Larinen. Priv.* 2. *Maii* 1711. *dub.* 1.

4. Martinus Clavero Corbella Parochus Ecclesiae S. Crucis Villae Matritensis in suum coadjutorem assumpit Sacerdotem Jo. Alvarez ab Ordinario adprobandum hac conditione, ut electio ad merum Parochi beneplacitum duratura esset. Inde ei alium Sacerdotem substituit. Recurrit Johannes, sed succubuit coram Ordinario. Recurrit inde Parochus ad S. C. et audito Card. Bellugae voto disputatum fuit, an in similibus quaestionibus necessarium sit exprimere, et justificare Sacerdotis in adjutorium curae animarum assumpti amotionem? sed nulla resolutione data, responsum est, ad D. Secretarium juxta mentem: *Toletana* 12. *Nov.* 1725.

5. Presbyteros participantes de massa communeriae ex legatis piis conflatae, atque in Cathedrali Ecclesia existentis ad Canonicorum nutum amoveri minime posse S. C. statuit: *Squillacen. Mis. Conv. et Com.* 24. *Sept.* 1712. *dub.* 5. *confirm.* 11. *Martii* 1713. *dub* 1.

6. Paulus Ritanus, et alii Presbyteri participantes Ecclesiae Archipresbyteralis terrae Guardavallis nuper per Episcopum admissi pendente lite, et absque consensu Archipresbyteri sunt removendi inspecta ejusdem litis pendentia super reductione numeri, eorumdemque admissione: *Squillacen. Com.* 3. *Sept.* 1729. *dub.* 4. *confirmat.* 5. *Maii* 1731.

7. Adscripto ad Ecclesiam Parochialem terrae Ruffani Sacerdote Donato Arnesio, ac ad participationem massae communis admisso in ea hic continuavit usque ad annum 1715. quo ad Urbem se contulit, alio relicto Sacerdote, qui Missarum onera sibi tangentia impleret. Quamvis dictus Sacerdos substitutus onera solvisset: Arsenius vero non fuit ad massae participationem admissus, quinimo a tabella Presbyterorum participantium cancellatus. Reclamavit hic proinde, et ad dubia an sit locus manutentioni, seu redintegrationi in favorem Donati Arsenii etiam non obstante absentia in participatione Massae Communis Ecclesiae Parochialis? et quantenus affirmative, an, et a qua die debeant eidem restitui portiones massae communis? rescripsit S. C. decisionem protelando ad mentem (182): *Urgentina Part.* 9. *Sept.* 1730. *dub.* 1. *et* 2.

8. Casu, quo per sex menses Portionarii, seu Presbyteri participantes in contumacia perseveraverint a discessu a Dioecesi ipso facto privati Ecclesiastica rata parte censentur; dummodo tamen in actu declarationis possessor citetur, et ab Episcopo per concursum conferri potest. Hoc edidit S. C. decretum occasione conquestus Ecclesiarum S. Mariae in Silvis, et S. Mercurii oppidi nuncupati *Serra Capriola* a Decretis Synodalibus: *Larinen. Decret. Synod.* 30. *Aug.* 1732. *dub.* 5.

(182) Ut nempe antequam S. C. ad dubii resolutionem deveniret, scriberetur ad Episcopum Bituntinum „ ut in re de qua agitur S. C. distincte redderet instructam, referendo praecipue qualitatem servitii dictae Ecclesiae, an adsit servitium chori, et an in casu absentiae Sacerdotes ejusdem possint inservire per substitutum. “ *Regist. Lit. Lib.* 28. 9. *Sept.* 1730.

9. Admissus in Ecclesia Receptitia et Collegiata S. Michaelis Potentiae Michael Lauritus fuit, qui post servitium alicujus temporis Potentia discessit, ut studiis operam daret, rediitque tandem in patriam Laurea doctorali honestatus, et auctus Acerris. Ad Ecclesiae servitium non accessit, licet monitus. Canonici morae, negligentiaeque praetesi illum ab albo communi consensu expunxerunt. Unus, qui aberat Canonicus de repentina illorum sententia reclamavit, provocavitque ad Episcopum, qui Michaelem in pristinum restituit locum. Hinc quaeritur, num deletio illa ab Albo sit sustinenda? S. C. non sustinendam resolvit: *Potentina* 25. *Febr.* 1747. *dub.* 1.

10. Participationem cum insigniis, aliisque honoribus consuetis die interpellationis praefato Laurito deberi statutum contemporaneo fuit: *Ibid. dub.* 2.

11. In Ecclesia Rubensi jure civico, et integro spatio servitii tempore participationem assequutus Sacerdos Jacobus Simia, inde Canonicatum obtinuit, ac participationem retinuit. Dimisso canonicatu Archipresbyteri Coadjutoriam habuit, ac participationem etiam non reliquit. At Capitulares participatione spoliarunt. Facta ob id lite propositum fuit dubium, an participatio retineri posset cum officio Archipresbyteri, sive alterius Dignitatis? et negativum prodiit responsum: *Ruben.* 30. *Martii* 1748. *dub.* 1.

12. Ideoque denegatur Sacerdoti Simia redintegratio ad locum participationis, ejusque bona: *Ibid. dub.* 2.

13. Vulneribus hora secunda noctis confossus est Sacerdos Receptivae, ac Parochialis Ecclesiae oppidi S. Viti Petrus Memola. Hujusce facinoris suspicio cecidit in Maximilianum Nardellium et Dominicum Donatum Carellam ejusdem Ecclesiae Sacerdotes, qui vix patrato hoc crimine ab oppido aufugerunt. Capitulum eos ab albo delevit et Episcopus excommunicavit. Carceribus inde mancipati, ac poena expleta absolvi, ac dispensari obtinuerunt. Postmodum in album illius Ecclesiae referri postularunt sub dubio, an et a quo tempore eisdem competeret redintegratio ad participandum? responsum est competere a die obtentae gratiae quoad Chorum, et horas Canonicas tantum: *Ostunen. Redintegr. ad Particip.* 24. *April.* 1751. *dub.* 2. At demonstrante Capitulo eosdem a possessione ab patratum hoc crimen jure cecidisse S. C. mutavit consilium ac negativum dedit responsum: 19. *Junii ejusd. anni*.

14. Definivit S. C. locum non esse remotioni Silvestri Riera a Communitate Presbyterorum Parochialis Ecclesiae Villae de Sallent, qui admissus fuerat in locum Josephi Casayas absentis occasione, qua hic in Congregationem S. Philippi Nerii fuit receptus, et defuncto contendebat ille perpetuum sibi deberi locum inter participantes. Obstitit dicta Communitas, quae statutum adfuisse numerum urgebat, et Josephum Casayas intra numerum praefinitum non fuisse sed supranumerarium esse comprobabat: *Vicen. Remot.* 21. *Maii* 1757.

15. Vetus consuetudo, et lex etiam peculiaris a Participantibus edita, et a Vicario Generali subscripta in Priorali Receptitia Ecclesia terrae Fasani adest, quod Participantes ultra sex menses a residentia, et a servitio chori absentes a participatione excludantur, ne praejudicium supranumerariis irrogetur. Sacerdos hinc Petrus Leonardus Loprete participans fuit e numero expunctus ex non servatae residentiae causa. Ad aliam proinde portionem admissus, diu abfuit reditus immemor. A Capitularibus termino condicto ad re-

deundum pulsatus contumaciter surditatem simulat. Idcirco Capitulares ipsi quaesierunt, num illius stante contumacia locus fit novi Presbyteri admissioni, et affirmativum S. C. retulit responsum: *Nullius Terrae Fasani Resid.* 30. *Januar.* 1762. *dub.* 2.

16. Aloysius Passarinus jure suo in vicenarium numerum Consortialium Ecclesiae Metropolitanae adlectus est. Biennio post a Chori servitio abesse coactus est ob gravem morbum, qui scorbutus vocatur, et tamen distributiones per sex annos habuit. Inde eas negarunt socii tradere; et in consortium alium in ejus locum admiserunt. Conquestus est Passarinus in S. C. et discusso, an sit locus suae redintegrationi? S. C. rescripsit dilata, et ad Card. Archiepiscopum pro confectione processus juxta instructionem (183): *Bononien.* 18. *Maii* 1765. *dub.* 1.

§: VIII.

Presbyteri Participantes quoad Residentiam, et Absentiam.

1. Actum est in S. C. de Ecclesia non numerata, et Receptitia omnium civium, qui statim sacris Ordinibus initiati ad servitium Ecclesiae, et participandum Massae communis absque ullo titulo collativo, vel superioris ministerio admittebantur propterea inter alias decretum est, dictos participantes habere locum poenae non residentium tum a jure communi, quam a sacro Concilio inflictae: *Asculana Particip.* 18. *Novem.* 1662. *dub.* 1.

2. Ac eisdem Participantibus non posse Episcopum permittere longiorem absentiam a residentia quam in Canonicatibus, aliisque collativis beneficiis, eam requirentibus ex causa indulgere potest, statuitur: *Ibid. dub.* 2.

3. Portionariis, seu Participantibus Ecclesiarum S. Mariae in Silvis, et S. Mercurii nuncupati *Serra Capriola* obloquentibus a decretis Synodalibus, S. C. censuit eos juxta Decretum Synodi ab Episcopo anno 1728. celebratae discessum ab eadem Dioecesi prohibendum non sub poena duodecim, sed sub poena sex ducatorum: *Larinen. Decret. Synod.* 30. *Aug.* 1732. *dub.* 4.

4. Receptitia adest Prioralis Ecclesia S. Johanni Baptistae dicata in terra Fasani. Veteri autem consuetudine, ac peculiari lege a Participantibus edita, et a Generali Vicario subscripta cautum reperitur, ut Participantes ultra sex menses a residentia, et a servitio Chori absentes a participando excludantur, ne praejudicium aliquod supranumerariis irrogetur. Sacerdos Petrus Leonardus Loprete participans ob causam non servatae residentiae fuit e numero expunctus. Ad aliam vero portionem admissus ad Urbem adventavit, reditus omnino immemor. Capitulares diuturnae morae terminum ad redeundum ei praefixerunt. Sed illo in contumaciam silentio simulante, Capitulares ipsi definiri postularunt, num ille ad personalem residentiam esset adstringendus? et adstringendum utique esse S. C. decrevit: *Nullius Terrae Fasani Resid.* 30. *Januar.* 1762. *dub.* 1.

5. Portionariis Ecclesiae Cathedralis, qui ex Ecclesiae statuto, et sexcentenaria consuetudine nullis gaudebant vacationibus, ac assiduo Chori servitio gravabantur, conceduntur vacationes per duos menses, amissa tamen tertia parte distributionum, in quibus eorum reditus potissimum consistunt: *Illerden. Absent. et Distrib.* 3. *Martii* 1792. *dub.* 1

(183) *Vide not.* 172. *praecedentem.*

§. IX.

Presbyteri Participantes quoad Servitium Chori, et Missam Conventualem.

1. In comperto quum non esset; an Presbyteri Participantes Ecclesiae Cathedralis teneantur interesse choro, ceterisque sacris functionibus, sicut Canonici, seu quomodo? S. C. ut servetur solitum, respondit: *Squillacen. Missae Convent. et Commun.* 24. *Sept.* 1712. *dub.* 7. *confir.* 11. *Martii* 1713. *dub.* 1.

2. Canonicis Ecclesiae Cathedralis celebrantibus Missam Conventualem non tenentur Presbyteri Participantes ejusdem Ecclesiae assistere in munere Diaconi, et Subdiaconi: *Squillacen. Attent., et Missae Convent.* 17. *Martii* 1714. *dub.* 1. *confir.* 19. *Novem.* 1729. *dub.* 2.

3. Pro-Vicarius Generalis Episcopi Montis Marani Ecclesiam Vulturariae oppidi visitans, invenit, quod illius Presbyteri ad numerum triginta canebant in Choro, et in Ecclesiis Missas defunctorum, anniversarias, votivas, et alia divina officia absque superpelliceo ac bireto Clericali, sed in nigris, et quod pejus est, brevi veste induti; protinus hisce erroribus suis edictis occurrit. Sed appellantibus Presbyteris, res agitata est in S. C. quae eos teneri canere Missas, anniversaria defunctorum et alia divina officia in Ecclesia, et choro cum superpelliceo, veste talari, et bireto clericali sententiam tulit: *Montis Marani Servitii Eccles.* 30. *Januar.* 1723. *dub.* 1.

4. Statutum insuper fuit, eosdem Presbyteros in Missis anniversariis canendis pro defunctis sequentiam *Dies irae* canere devincti esse: *Ibid. d.* 2.

5. Et firmatum quoque extitit, ut in praedictis Missis non in Choro, sed ante Altare in cornu Epistolae ab uno de Clero caneretur Epistola: *Ibid. d.* 3.

6. Et demum rescriptum, ut Missa canenda foret cum assistentia saltem Clerici cotta induti, et ut laico Missam celebranti inservire licitum non esset: *Ibid. dub.* 4.

7. Canonico, vel Dignitati Ecclesiae Cathedralis onus habent assistendi in Vesperis, et ad *Benedictus* Presbyteri inferioris Ordinis, qui vocantur Communeriae, qui etiam Choro inserviunt, sed juxta Caeremoniale Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 3. (184): *Squillacen.* 21. *Febr.* 1728.

8. Presbyteri Participantes Ecclesiarum Parochialium S. Nicolai, et S. Andreae Apostoli oppidi Montisani tenentur quotidie canere Missam, et recitare Officium Divinum in Choro, et S. C. addidit tamen, ut pro moderatione servitii supplicarent: *Caputaquen.* 14. *Maii* 1729. *dub.* 1.

9. Et ad recitationem praedictam tenentur cum habitu talari, bireto Clericali, et superpelliceo tam in diebus festis, quam feriatis: *Ibid. d.* 3.

10. Non autem Presbyteri praedicti per vices diebus festis ad celebrationem Missae Matutinae, et ad ejus applicationem pro populo tenentur; sed hoc onus ad Parochos dictarum Ecclesiarum spectat: *Ibid. dub.* 4.

11. In oppido Tricasio adest Ecclesia Parochialis, quae Receptitia est. Episcopus anno 1673. occasione habitae Synodi sancivit Missae Conventuali interesse debere omnibus diebus festis quoscumque Sacerdotes, et Clericos in Sacris Ordinibus contitutos etiam non participantes. Consulta S C. Decretum Synodale esse servandum quoad participantes sub poena admissionis distributionum, reliquos vero jux-

(184) *Vide not.* 27. *tom.* 2. *pag.* 26.

ta declarationes alias editas hortandos esse, sed non posse cogi, nisi concurrat consuetudo, decretum interposuit: 18. *Novem.* 1673. Modo novo subjicitur examini controversia, et eadem S. C. servandum Episcopi decretum editum anno 1726. (185) mandavit: *Alexanen. Serv.* 14. *Januar.* 1733. *dub.* 1.

12. Clerus Receptitiae Castri Ecclesiae Francorum ab Episcopi Decreto, quod Missam conventualem ad benefactorum suffragationem unaquaque die deinceps jubebat, reclamavit. Ostendit ejus Ecclesiam non esse Collegiatam, sed semplicem Ecclesiam Receptitiam, reditus tenuos habere, et adjuvandi Archipresbyterum onus. Itaque S. C. ad hoc onus minime teneri dictum Clerum respondit: *Montis Marani Miss. Convent.* 21. *Maii* 1735.

13. Ordinationes ab Episcopo Cassanensi promulgatas, in quibus mandavit, ut Presbyteri Participantes Cleri S. Mariae Civitatis Maratheae pingui reditus provisi, qui servitium chori magno populi offensione negligebant, ad idem praestandum in singulis diebus festis cum praecepto etiam celebrandi Missam Conventualem, nec non exequiis, sacrisque supplicationibus interveniendi sub poena punctaturarum adigerentur, validum esse S. C. rescripsit: *Cassanen.* 30. *Aug.* 1735.

14. Presbyteri participantes Ecclesiae Parochialis S. Mariae de Colle oppidi Mormanni recitare quotidie tenentur officium in choro, et Missam conventualem concinere: *Cassanen.* 15. *Decem.* 1736. *dub.* 4.

15. Et ad hoc peragendum cogendi sunt congruis juris remediis: *Ibid. dub.* 5. *confir.* 30. *Martii* 1737.

16. Atque dicti Sacerdotes tenentur interesse anniversario singulis annis pro Episcopis defunctis, nec aliquod emolumentum eis praestandum ab Episcopo pro-tempore *Ibid. dub.* 6.

17. Episcopus S. Severi in Synodo Dioecesana decrevit, ut acceptus, et descriptus in una Ecclesia si adscribatur in alia, amittat receptionem in prima, quae nullatenus amplius suffragetur. Occasione hinc qua Bartholomaeus Simonetti ad participandum primum in Ecclesia S. Nicolai admissus, mox de una ex Ecclesiae Cathedralis Capellaniis provisus fuerit, disputatum fuit, an, et quomodo sit consulendum servitio Cathedralis praefatae. Verum nulla definitio prodiit, et demandatum est scribendum hodierno Episcopo pro informatione, et voto: *Sancti Severi* 19. *Januar.* 1737. *dub.* 2.

18. Archiepiscopus Firmanus in ultima Visitatione Collegiatae Ecclesiae S. Bartholomaei Murri Vallium super reformatione Tabellae Missarum solemnium, et diminutione punctaturarum Clericis Choralibus participantibus non assistentibus eisdem Missis, et Vesperis, nec suppletione dictarum punctaturarum ex reditibus Sacrarii quoad Clericos ad Sacros Ordines non promotos edidit decreta nonnulla. Egre tulerunt id Clerici praedicti, et retinendum esse omnino veterem morem in eorum Ecclesia contendunt, vel potius ratione tenuitatis redituum aliquam antiquae obligationis remissionem postulant. S. C. decreta praefata minime esse valida censuit: *Firmana* 22. *Junii* 1743.

19. Dubiis exhibitis: an Presbyteri Ecclesiae Receptitiae S. Nicolai Terrae Castellucci teneantur ad quotidie publice psallendum Divinum Officium in choro juxta decretum Ordinarii? et quatenus affirmative.

20. An iidem possunt adstringi ad illud recitandum sub poena punctatu-

(185) *Vide not.* 722. *tom.* 2. *pag.* 514.

rae? S. C. decrevit teneri diebus festis sub poena puncturae; quo vero ad servitium quotidianum dilata, et coadjuventur probationes. Nam agebatur de Receptitia Ecclesia, cujus reditus sunt tenuissimi: *Cassanen. Visit.* 14. *Junii* 1749. *d.* 3. *et* 4. Deinde affirmativum edidit rescriptum: 6. *Decem. ejusd. anni.*

21. Modernus Soranus Episcopus in Sacra Visitatione Divini Officii recitationem in Ecclesia S. Donati negligi noscens, et Antecessorum vestigia premens, decrevit, ut ejus Sacerdotes quotidie in choro recitarent horas matutinas, et non vespertinas, certa indicta poena in contumaces. E contra Presbyteri ejusdem Ecclesiae eamdem esse Collegiatam minime probari, idcirco decretum Episcopi minime sustineri ajebant. Proposito dubio, an decretum illud sustineretur? responsum fuit, ut exiberentur documenta parti adversae: *Sorana* 16. *Martii* 1754. Deinde decisio exiit negativa, et ut servaretur solitum: 22. *Junii ejusd. anni.*

22. Portionarii Ecclesiae Collegiatae, ac Receptitiae Terrae Galatonae in loco, seu suburbiis residentes inservire per substitutum ejusdem ordinis saltem per dies decem infra annum possunt, sed cum solitis clausulis prout in Ferentina anni 1685. (186): *Neritonen. Plur.* 12. *Julii* 1760. *dub.* 3.

23. Dignitati, et Canonico Insignis Collegiatae, et Receptitiae Ecclesiae Terrae praedictae celebranti Missam solemnem in diebus festis primae, et secundae classis, portionarios in munere Diaconi, et Subdiaconi juxta solitum assistere teneri S. C. stabilivit: *Ibid. dub.* 4.

24. Quin etiam in dicta Missa solemni, necnon in primis, et secundis vesperis, et in laudibus sex ex iisdem portionariis cum pluvialibus in diebus Festis primae Classis, et respective quatuor in diebus Festis secundae Classis, pariter juxta solitum assistere teneri S. eadem C. resolvit: *Ibid. d.* 5.

25. Ponderato deinde, an, et quot ejusdem Collegiatae Ecclesiae Portionarii cum Dignitate, vel Canonico Concentore assistere tenentur ad legile in diebus tum Festis, tum Feriatis, solitum servari responsum exiit: *Ibid. dub.* 6.

26. Ultimum vero in hebdomada Portionarium libros in legili ante recitationem Divinorum Officiorum aptare teneri, firmatum fuit: *Ibib. dub.* 7.

27. Et cum lateret, an idem ultimus Portionarius teneatur assistere in munere simplicis Clerici in Missis Conventualibus, et votivis diebus Feriatis, non accedentibus Clericis extra gremium Capituli, S. C. aperuit responso affirmativo juxta modum (187): *Ibid. dub.* 8.

28. Itidem in dubium dum venit, an Canonici, seu potius Portionarii in absentia aliquorum ex una parte chori teneantur ad eam transire, ut aequalis hinc inde reddatur Divinorum concentus, adaequaturque utriusque partis numerus; S. C. resolvit, quoslibet teneri in suo ordine: *Ibid. d.* 9.

29. Ad eosdem Portionarios recitationem invitatorii, antiphonarum, responsorii, lectionum primi, et secundi nocturni spectare, decernitur: *Ibid. dub.* 10.

30. Non ad Portionarium hebdomadarium, sed ad Dignitatem, vel ad Canonicum antiquiorem ejusdem hebdomadae celebrare Missam solemnem,

(186) *Vide num.* 11. *tom.* 2. *pag.* 79.

(187) Nempe in casu necessitatis, et per vices, et Episcopus provideat Ecclesiam de Clericis pro muneribus, de quibus agitur: *Ead. caus.* 12. *Julii* 1760.

exponere Sanctissimum Sacramentum, et cantu praeire Divina Officia in octava SS. Corporis Christi, et in aliis diebus solemnioribus primae, et secundae Classis, spectare statutum est: *Ibid. dub.* 11.

31. Saepefatos Portionarios cum Dignitatibus, et Canonicis concionibus, aliisque functionibus cum habitu chorali intervenientes, in Presbyterio in sedilibus ab illis Canonicorum distinctis, assistere teneri, et sedilia illa expensis massae communis esse conficienda constabilitum fuit: *Ibid.d.*12.

32. Portionarium Epistolam in Missis Conventualibus canentem, eam non intra chorum, sed in Presbyterii plano canere teneri, sancitur: *Ibid.d.* 13.

33. Antiquissimum in Archipresbyterali Ecclesia S. Paulli Massae Lombardorum adest Consortium Presbyterorum, quod nuncupatur communia, et quod duos nunc, et viginti numerat Presbyteros, qui onus Choro interveniendi habent. Quaestio impendit, an dicti Consortiales Presbyteri tenerentur Missam Majorem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare? verum non teneri S. C. resolvit: *Imolen. Missae Convent.* 23. *Febr.* 1771.

34. Receptitia olim, et innumerabilis erat Ecclesia Cathedralis, sed Episcopus in ea viginti Sacerdotum numerum statuit. Extra hos nullos recipi ad participandum voluit. Verum mandavit, ut qui in minoribus, et in sacris ordinibus Ecclesiae inservierint, eique ab Ordinario adscripti fuerint, admitterentur, mandavit insuper, ut Sacerdotes supranumerarii omnibus diebus Festis, uti Canonici, et Capellani servitium chori praestarent sub poena suspensionis. Reclamarunt ab his decretis. Sed S. C. primum, et secundum decretum non vero tertium sustinendum censuit: *Cassanen.* 15. *Julii* 1747. *dub.* 1. Causa reproducta responsum est, servanda esse Decreta Episcopi, praeterquam quoad poenam suspensionis, ita tamen, ut supranumerarii non excusentur ratione servitii Ecclesiarum Ruralium, nisi praevia designatione Episcopi, et non teneantur exercere officia Diaconi, et Subdiaconi, nisi in subsidium, et legitime impeditis Capellanis numerariis: 16. *Decem. ejusd. anni.*

§. X.

Presbyteri simplices.

1. Respondit S. C. ab Episcopo non potuisse Sacerdotes nulla, vel tantum simplicia beneficia obtinentes etiam Diocesanae Synodi auctoritate compelli, ut Dominicis, aliisque diebus festis ad Ecclesiam Cathedralem accederent, et Missis majoribus, ac aliis divinis officiis interessent, sed si aliquis adesset servitio dictae Cathedralis in ordine adscriptus, qui locum inconsulto Episcopo desereret, ei interdicendum tantummodo erit sacrorum exercitium juxta *cap.* 16. *Sess.* 23. *de reform.*(188): *Amerina* 15. *Januar* 1639.

2. Episcopus Sarnensis praecepit omnibus Sacerdotibus civitatis etiam simplicibus, et nullum beneficium in Cathedrali, seu Collegiata Ecclesia obtinentibus, ut singulis festis de praecepto, aliisque consuetis diebus servitio praefatarum Ecclesiarum statutis horis assisterent sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, et aliis arbitrio. Sacerdotes reclamarunt, et S. C. adierunt, quae respondit praeceptum non sustineri, et dandas esse literas remissoriales Episcopo si velit: *Sarnen. Serv. Eccl.* 17. *Junii* 1690.

3. Simplices Sacerdotes non participantes non habentes beneficium cu-

(188) *Vide not.* 572. *tom.* 2. *pag.* 427.

ratum cogi non posse ad inserviendum Ecclesiae Cathedrali S. C. sancivit: (189) *Auximana Serv. Chori* 26. *Novem.* 1701. *dub.* 1.

4. Et ad dubium: an teneantur saltem inservire in munere Diaconi, et subdiaconi in Missis cum cantu? respondit dandas literas remissoriales ad probandam consuetudinem: *Ibid. d.* 2. ac negativum inde dedit responsum: 19. *Aug.* 1702.

5. Dubiis perpensis: an Sacerdotes simplices nullum habentes beneficium in Cathedrali Ecclesia, nullumque ex ipsa retrahentes emolumentum teneatur assistere servitio dictae Ecclesiae singulis diebus de praecepto?

6. An dicti simplices Sacerdotes non Parochi, neque confessores teneantur intervenire Congregationi casuum, et lectioni Theologiae moralis? S. C. rescripsit ad primum coadjuvandas probationes super consuetudine, et testes formaliter examinandos; et ad secundum esse hortandos dumtaxat, non autem cogendos resolvit: *Trojana Serv.* 18. *Febr.* 1702. *dub.* 1. *et* 2. Deinde affirmativum praebuit S. eadem C. responsum: 20. *Sept.* 1704. *dub.* 1.

7. Simplices Sacerdotes non habentes beneficium curatum, vel residentiale cogi nequeunt ad inserviendum Ecclesiae Cathedrali: *Signina Serv. Eccl.* 15. *Decem.* 1703. *dub.* 1.

8. Nec locus est proinde ullae multae: *Ibid. dub.* 2.

9. Sacerdos nullum habens beneficium ecclesiasticum non tenetur quotannis solvere in manibus Episcopi collectam, ut dicitur, pro corona, nec praetenditur ab Episcopo: *Sarnen.* 20. *Junii* 1705. *dub.* 5.

10. Episcopo supplicante pro solutione duorum dubiorum: an Sacerdotes teneantur inservire Ecclesiae Cathedrali omnibus diebus festis?

11. An iidem Sacerdotes teneantur pariter inservire in officio Diaconi, et subdiaconi? S. C. ea dirimit, posse cogi juxta consuetudinem, et juxta Constitutiones Synodales; et quoad secundum negativum prodiit responsum: 15. *Novem.* 1670. Modo instantia reproducta S. C. in decisis stetit: *Bellicastren. Servitii* 21. *Aug.* 1706.

12. Episcopus anno 1673. occasione Synodi sancivit, ut Missae Conventuali Ecclesiae Receptitiae, et Parochialis oppidi Tricasii interesse deberent diebus festis omnes Sacerdotes etiam non participantes, de quo decreto S. C. anno eodem sanxit esse illud servandum quoad participantes, et alios esse hortandos, non cogendos, nisi concurrat consuetudo. Modo iterum subjicitur dictum decretum Synodale examini quoad Sacerdotes simplices, et S. C. servari mandat Episcopi decretum anni 1726. editum (190):

(189) Hanc declarationem expendit Card. Lanfredinus, quia Secretis optime meritus S. C. Concilii fuit, inquiens: *Ma molte osservazioni debbono farsi sopra tale risoluzione; ed in primo luogo, che in quel tempo era vacante la Cattedra Episcopale, e per conseguenza non vi era il Vescovo, che potesse sostenere le parti del Culto Divino, del servigio della Chiesa, e della disciplina Ecclesiastica. Dipoi, che si trattava allora di obbligare tutti i Sacerdoti a servire nell' Ufficio di Diacono, e suddiacono nelle Messe cantate, ed anche al quotidiano servigio del Coro in quella Cattedrale, non alla sola assistenza alla Messa Cantata, ed al Vespro ne' soli giorni festivi, siccome appare dalle memorie esistenti alla Segreteria della Sagra Congregazione del Concilio. Inoltre non fu quivi considerata l' obbligazione contratta in virtù dell' ascrizione al servigio della Chiesa, e dell' Ordinazione a titolo di Patrimonio per la necessità, o utilità di essa: VII. Lett. Pastor. al Clero delle Diocesi d' Osimo, e Cingoli pag.* 202. *seq. Ediz. di Jesi* 1740.

(190) *Vide not.* 722. *tom.* 2. *pag.* 514.

Alexanen. Serv. Eccl. 24. *Januar.* 1733. *dub.* 1.

13. Nec illi extra numerum participantium Presbyteri sunt admittendi ad participandum redituum Ecclesiae pro rata parte servitii eidem praestiti, seu praestandi juxta praescriptum ab Episcopo: *Ibid. dub.* 2.

14. Decretum Episcopi Segnensis, in quo praecipiebat, ut omnes Presbyteri, praeter legitime impeditos, interesse tenerentur Missae Sacrificio ab uno ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis cum Expositione Sanctissimi Sacramenti quolibet die Jovis celebrari solito sub poena suspensionis, sustineri non posse resolvitur, et Presbyteros hortandos, non vero cogendos esse mandatur: *Segn. Decret.* 22. *Novem.* 1749. *dub.* 2.

15. Simplices Presbyteros, qui nec officium, nec beneficium obtinuerint ad assistendum, et inserviendum Ecclesiae insignis Collegiatae S. Germani in festis mobilibus, aliisque solemnioribus festivitatibus ac in toto Octavario Corporis Christi, et per totam hebdomadam majorem, itemque Ecclesiae Montis Casini in die Anniversariae dedicationis ejusdem Ecclesiae, quando habetur Pontificale sub poena carolenorum duorum ad formam Decreti Visitationis cogendos esse, rescriptum fuit: *Nullius Montis Casini* 19. *Novem.* 1757. *dub.* 1.

16. Hinc non sunt restituendae jam exactae poenae: *Ibid. dub.* 2.

17. Eosdem Presbyteros ad interveniendum publicis supplicationibus sub praedicta poena ad tramites ejusdem Decreti, et Edictorum compelli posse decisum fuit: *Ibid. dub.* 3.

18. Et in occulto latebat, an Presbyteri ad accedendum quotannis ad Coenobium Montis Casini pro obedientia Abbati praestanda sub poena interdicti, vel poena pecuniaria ad formam Edictorum, ac Decretorum compelli possint? pandit, affirmativa responsione, moderata tamen poena ad duos carolenos tantum: *Ibid. dub.* 4.

19. Sacerdotes oppidi S. Victoris tenentur petere licentiam ab Archipresbytero, tam pro celebratione Missarum, quam pro sonitu tintinnabulorum in ejus Ecclesia, cujus est Rector: *Caesenaten.* 9. *Febr.* 1765. *d.* 3.

Presbyterorum Communitas *Vide Communitas Ecclesiastica* §. III.

Pretium *Vide Pecunia*.

Primiceriatus Dignitas Ecclesiastica.

1. Provisus fuit de prima Dignitate nuncupata Primiceriatus Sacerdos Paullus Crescillus apposita clausula in literis provisionis, ut Orator infra annum teneretur suscipere Lauream Doctoralem; de hoc onere modo, an subire deberet, vel saltem utrum teneretur, quaerit, et ab eo liberari expetit. S. C. teneri in casu de quo agitur suscipere Lauream Doctoralem respondit: *Salernitana Doct.* 15. *Novem.* 1710. *dub.* 1.

2. Nec esse dispensandum super hac Laureae Doctoralis susceptione: *Ibid. dub.* 2.

3. In literis Apostolicis, quas de Primiceriatu tertia Dignitate Ecclesiae Collegiatae Sinalongae obtinuit Jo. Dominicus Petrocchius, appositum vero fuit decretum suscipiendi infra annum Lauream Doctoralem, quia voluntas Testatoris hanc qualitatem quaesivit. Idem Petrocchius docet S. C. de redituum tenuitate, deque ejus paupertate, ac aetate annorum 50., imploratque conditionem illam auferri, et impetravit si Sanctissimo placuerit: *Pientina Laur. Doct.* 16. *Maii* 1716.

4. Ad vacantem Dignitatem Primiceriatus Ecclesiae Cathedralis, quae est de jurepatronatus Capituli, et cujus praebenda est in annuis carolenis

septem, et in distributionibus quotidianis ceteri reditus consistunt; Marinus Auytaja Canonicus Theologalis fuit nominatus et licet nullae sint Canonicorum praebendae in illa Ecclesia, contradictorem invenit, et re in S. C. ad trutinam posita, non posse simul retinere Dignitatem primiceriatus praefatum hodiernum Canonicum Theologum decisum est: *Castrimaris Princ.* 19. *Sept.* 1744. *confir.* 13. *Febr.* 1745.

5. Receptitia, et innumerabilis olim erat Ecclesia S. Jo. Baptistae oppidi Fasani. Ad evitandam in choro confusionem fuit ab Episcopo praefixus numerus cum honore Primiceriorum, seu Cantorum, idest cum praeeminentiis, et emolumentis Cathedralium, et fuit statutum, ut ad vacantem admitteretur extragremialis antiquior ordinatus. Quum ad honorem Primiceriatus vacantis cuperent non participantes; planum non erat; an Primiceriatus hic conferendi foret Sacerdotibus participantibus? et tam participantibus, quam non participantibus conferri posse S. C. resolvit: *Fasanen.* 30. *April.* 1757. *dub.* 1. confir. 30. *Novem. ejusd. anni*.

6. Vincentia Giannini Ripa uti ex familia nominante ad vacantem Primiceriatus Cathedralis Ecclesiae Urbaniae Dignitatem praesentavit Sacerdotem Zenonem Gatti extraneum. Doralix autem Minia uti etiam ex familia biduo post praesentavit Franciscum Zucchi filium aetatis decimum tertium annum agentem sub conditione Apostolicae Sedis dispensationem obtinendi. In hujus favorem supplicatio signata est. Sed quum altera etiam in favorem Gatti super derogatione medietatis vocum signata fuerit, facta est in C.S. quaestio. Ostendit Zucchi, se ex familia fundatoris descendere, et in sui favorem passivum canere patronatum. Suam propterea vel relaxandam esse supplicationem S.C. decrevit: *Urbanien. Primicer.* 24. *Martii* 1764.

Primicerius.

1. Perspicuum reddere optatur, an absente Primicerio hedomadario possit alius Primicerius praesens cogi ad incipiendum Matutinum, et horas Canonicas? respondit S. C. Primicerium alium praesentem cogi posse, Primicerio hebdomadario absente: *Andrien.* 8. *Maii* 1649. *dub.* 5.

2. Regulari, et Abbatiali Ecclesia Divi Andreae Monachorum S. Benedicti urbis Mantuae in seculari qualitate redacta, ac in Ecclesiam Collegiatam erecta cum Animarum cura, atque suppressa Dignitate Abbatiali, instituta fuit principalis Dignitas Primiceriatus cum insignibus Episcopalibus. Hujus Dignitatis possessori competere collationem duorum beneficiorum Parochialium S. Urbani de Formigosa, et S. Ambrosii in civitate, et Dioecesi Mantuana existentium uti de juribus, et pertinentiis dicti Monasterii S. Benedicti sancivit: *Mantuana Jurisd.* 24. *April.* 1700. *dub.* 1.

3. Eidem Primicerio non competere insuper resolvit jurisdictionem vocandi ad certas solemnitates, quae fiunt in eadem Ecclesia S. Andreae Parochos S. Ambrosii de Formigosa sub certis poenis, et multis, eosque in casu contraventionis puniendi, et multandi, sed Parochos praedictos ab eodem vocatos teneri accedere vel per se, vel per alios: *Ibid. dub.* 2.

4. Nec illi pariter competere jurisdictionem immittendi familiam armatam ad exequenda dictas poenas contra personas, et bona dictorum Parochorum tam in urbe quam in Dioecesi Mantuana inconsulto Episcopo fuit resolutum: *Ibid. dub.* 3.

5. Vertente deinde controversia inter Promotorem Fiscalem Curiae E-

piscopalis, ac praedictum Primicerium eo quia iste contendebat in Bullis collationis dictae Ecclesiae Parochialis S. Ambrosii apponere diversas, ac insolitas clausulas, quibus Episcopus Ordinariam suam jurisdictionem laedi conquerebatur, S. C. citato, et consentiente Procuratore Primicerii servandum esse solitum censuit. Modo verò exposita fuerunt dubia 27. quibus omnibus rescripsit. Dilata costituto Procuratore per Primicerium juxta mentem: *Ead.* 24. *Sept.* 1755. *dub.* 1. *usque ad* 27.

6. Instante Archiepiscopo Blasius de Rubeis Primicerius Matricis seu Receptitiae Ecclesiae non tamen Curatae SSmae. Annutiationis terrae Gifoni ad suam residentiam redire renuit. Praetendit enim simplex esse Beneficium ab hoc residentiae vinculo solutum. Ideo quaesita S. C. nihil resolvit, sed dixit, ut coadjuventur probationes exhibitis Bullis provisionum: *Salernitana Resid.* 3. *Octob.* 1711. Deinde non teneri ad praecisam residentiam, sed tantum causativam decrevit. 29. *April.* 1713.

7. Dubio prolato, an praesidentia in choro spectet privative ad Primicerium, seu cumulative ad Praecentorem una cum Primicerio? S. C. protelavit decretum, et audiri Primicerium et Praecentorem praecepit, atque interim servari solitum: *Salernitana Edict.* 27. *Sept.* 1732. *dub.* 12.

8. Primicerius Dignitas Ecclesiae Cathedralis, qui nullam habet Praebendam, ac emolumenta haurit, nec servitio Ecclesiae gravatur, absens ab ipsa Civitate, ad residentiam tenetur; ob id S. C. Episcopo imperavit, ut illum absentem praefixo termino duorum mensium sub poena privationis cogat, ac de exequutione certioret: *Umbraticen. Resid.* 14. *Sept.* 1748.

9. Provisos de Primiceriatibus Ecclesiae S. Johannis Baptistae oppidi Fasani non participantes dictae Ecclesiae nec habentes statutorum capitularium, Decretorum Sacr. Visitationum requisita consequi debere ratam partem, ac respective massae communis partitionem S. C. placitum est decernere: *Fasanen.* 30. *April.* 1757. *d.* 2. *confir.* 30. *Julii ejusd. Anni.*

Primitiae *Vide Decimae.*

§. I.

Prior quoad Electionem, et Remotionem.

Massariis Castri Montis Jovini Priorem Ecclesiae B. Mariae ejusdem Castri cum Episcopi adprobatione eligere eumdemque inconsulto Episcopo amovere dummodo remotio non fiat in odium, fas est: *Civitatis Plebis* 19. *Januar.* 1737. *dub.* 1. *confir.* 29. *Martii* 1738.

§. II.

Prior quoad Fructus, ac Emolumenta.

Fructus percepti a Priore Collegiatae Ecclesiae S. Jacobi Tolentini, qui et Parochus est, ab omissam Fidei professionem coram Ordinario restituendi non sunt: *Tolentina Missae Par. et Prof. Fidei* 16. *Maii* 1739. *dub.* 4.

§. III.

Prior quoad Jura, et Potestatem.

1. Franciscus Cheli Prior Cathedralis Ecclesiae vigore Bullae erectionis suae Dignitatis, ubi locum in Capitulo, ac jus fruendi omnibus privilegiis praerogativis, et honoribus, quibus ceterae Dignitates, et Canonici potiuntur, decerni a S. C. postulavit sibi quoque licere congressibus Capitularibus interesse, ibique proprium suffragium de omni re, praeter ea quae ad administrationem, ac partitionem quotidianarum distributionum respiciunt,

proferre. Praefatae vero Dignitati nunquam Canonicalis Praebenda constituta fuerat, et petitioni Prioris adversabatur consuetudo. Hinc S. C. instantiam hujusmodi rejecit: *Piscien. Vocis in Capit.* 1. *Martii* 1738. *dub.* 1.

2. Ac quoad jura, ac privilegia, quibus fruuntur caeterae Dignitates, ac Canonici, rescripsit gaudere juxta solitum: *Ibid. dub.* 2.

3. Quaesitum quum esset, an Prior Ecclesiae Parochialis SS. Martini, et Barbarae posset pulsare tintinnabulum ante sonitum tintinnabuli Ecclesiae Collegiatae S. Petri, responsum fuit, dilata, et expectetur exitus causae coram Episcopo, et scribatur eidem Episcopo ad mentem: *Sancti Miniatis* 20. *Martii* 1745. *dub.* 4.

4. Parocho, sive Priori insignis Collegiatae Ecclesiae SS. Petri, et Dalmatii, quae Alexandriae est, Sacerdotes sibi benevisos ad funera vocare non licet; sed servanda est conventio inita sub die 25. Sept. anni 1740. quas cautum extitit, ut ad funera Capellani vocarentur, aut Clerici ejusdem Ecclesiae servitio adscripti: *Alexandrina Funer.* 28. *Aug.* 1745. *dub.* 1.

5. Ecclesia Abbatialis S. Mariae de Platea, et Prioralis Ecclesia S. Severi suos ambae habent Parochiae incolas, non certis regionibus circumscriptos, sed per familiam, quae sparsim sunt in terra Montis Novi. Prior, et Abbas de praeeminentiis inter se egerunt. S. C. Abbatialem Ecclesiam, quae ab ipsis Prioribus S. Severi semper agnita pro principaliori fuit, matricem Majorem, et Priorali digniorem, quoad actus tantum praeeminentiales tantum censuit esse. Secundum ea, quae proponebantur, mox definitum est, Priori S. Severi in supplicationibus, et funeribus, in quibus functiones non agit, deferre stolam a collo pendentem non licere: *Senogallien. Praeeminen.* 30. *Januar.* 1779. *dub.* 4. Iterum audiri obtinuit Prior et S. C. primam sententiam deposuit, et statuit licere Parocho S. Severi deferre stolam collo pendentem: 5. *Junii ejusd. anni*.

6. Dubium: an Priori Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Urbis Firmi competat jus perpetuum convocandi Capitulum, seu idem jus repartiri annuatim in singulos Canonicos debeat? S. C. non dirimit, sed praefigi terminum Priori idem ad deducendum jura sua in S.C. mandavit: *Firmana* 8. *Junii* 1782. *dub.* 1. Postmodum affirmativum ad primam, negativum ad secundam partem dedit responsum: 6. *Sept.* 1783.

Prior Magnus *Vide Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani* §. VI.

§. IV.

Prior quoad Onera.

1. S. C. censuit Priorem, de qua agitur, teneri ad residentiam: *Bononien.* 27. *Martii* 1602. *dub.* 1.

2. Autumat Prior, et Curatus Ecclesiae Receptitiae, et Matricis Fasani immunem esse a punctaturis, si a choro absit, et residentia ad bimestre tempus, ex facultate ab Ordinario sibi concessa juxta disposita *in cap.* 1. *sess.* 23. *de Reformat.* (191). At S. C. etiam ex facultate sibi ab Ordinario concessa pro tempore a Concilio permisso punctis notari debere statuit: *Nullius Fasani Punctat.* 12. *Decem.* 1716.

(191) Proinde omnibus, et singulis Parochis, et animarum Rectoribus, qui, a Sacro, ut huic relatum est Concilio, per bimestre, absque poenarum per sacros Canones inflictarum metu, a cura Episcopis inconsultis abesse putant sibi licere, praecipitur, ne ultra bimestre absque Episcopi, sive ejus Vicarii generalis licentia in scriptis, et gratis concedenda, idoneo tamen Œconomo relicto, ac Episcopali Curia approbato, ullatenus ab illorum Parochiali statione discedant.

3. Prior Ecclesiae Collegiatae S. Jacobi Tolentini tanquam Parochus non tenetur applicare quotidie Missam pro populo, sed solum diebus festis: *Tolentina Missae Paroch., et Prof. Fidei* 26. *Maii* 1739. *dub.* 1.

4. Tenetur vero per se ipsum concionem facere, et Evangelium populo explicare, et in casu legitimi impedimenti supplere valet per substitutum ad formam Concilii: (192) *Ibid. d.* 2.

5. In casu autem omissionis multari debet arbitrio Episcopi ad formam Concilii (193): *Ibid. dub.* 3.

6. Proposito dubio: an deficientibus duobus Canonicis antiquioribus Ecclesiae Collegiatae S. Jacobi Urbis Tolentinae a munere coadjuvandi Priorem in administratione Sacramentorum ac pueros in Doctrina Christiana instruendi teneatur Prior eis contribuere annuam praestationem quatuor rubrorum frumenti, et Scut. 6. pro quolibet? S. C. respondit teneri Priorem ad contributionem praedictam, quia in casu deficientiae Canonicorum ipsi sunt judicio Episcopi multandi: *Tolentina. Serv. Chori, et Missae Conv.* 26. *Maii* 1739. *dub.* 11.

7. Quum esset postulatum; an Prior Ecclesiae Parochialis SS. Martini, et Barbarae, uti Canonicus Divinis Officiis in choro Ecclesiae Collegiatae S. Petri diebus festis, et signate in solemnioribus, interesse tenerentur? responsum fuit, dilata et expecteiur exitus causae coram Episcopo, et scribatur eidem Episcopo ad mentem: *S. Miniatis* 20. *Martii* 1745. *dub.* 1.

8. Obscurum exinde fuit: an idem Prior supplicationibus a praedicta Collegiata fieri solitis, et praesertim solemnioribus S. Titularis, et Sanctissimi Corporis Christi intervenire teneretur? non aperuit et respondit, ut supra: *Ibid. dub.* 2.

9. Et ad quaesitum demum, an Prior idem in eadem Ecclesia Collegiata Benedictioni fontis die Sabbati interesse teneretur? rescriptum pariter est, ut supra: *Ibid. dub.* 3.

10. Priorem, cui animarum cura ad-

(192) Concil. Trid. *Sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.* Quae concio habenda est inter Missarum Solemnia, recteque ostendit Card. Bona *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 7. §. 7. *pag.* 159. *et seq. tom.* 3. *ed. Taurin.* 1753., morem hunc semper obtinuisse, ut *proxime post Evangelium Sermo, sive homilia, vel tractatus ad populum haberetur*. Vide *Const. Apostolici Ministerii* 34. Innocentii XIII. *pag.* 258. *tom.* 2. *Bull.* editam pro Regnis Hispaniarum, quam postea Benedictus XIII. *Const. Supremo Militantis* 31. *pag.* 350. *eod. loc.*, ubi animarum pastores suas has partes implere jubentur, quamquam exiguum habeant populi numerum, et quamquam per annuos concionatores satis hinc rei consultum videantur. *Vid. not.* 45. *pag.* 37.

(193) *Sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.*, in quo Parochis onus concionandi impositum legitur „ Id vero, si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse pretenderet: etiamsi Ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Dioecesim existenti, forsan annexae, vel unitae, modo re ipsa in dioecesi sint, provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: Parvuli petierunt Panem et non erat qui frangeret eis. Itaque ubi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias, ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; ita ut etiam si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat " Hoc idem statuitur *Sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* Hinc praeter censuras infligi possint etiam aliae arbitrio Episcoporum poenae, si tamen agatur de poena pecuniaria, hujusmodi arbitrium indecens esse respondit S. C. Concilii die 17. Junii 1658: Episcopo Novariensi, qui in suis Synodalibus Constitutionibus putavit sibi licuisse pecunia multare Parochos huic decreto contravenientes, ut refert Bened. XIV. *Lib. VII. cap.* 52. *num.* 8. *tom.* 12. *pag.* 479.

nexa est, Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris per celebrationem Missae diebus Dominicis juxta Tabellam posse satisfacere oneri Missae pro populo S. C. censuit, ita tamen, ut etiam aliis diebus festis applicare Missam pro populo ad formam Constitutionis Benedicti XIV. Pont. Max. *Cum semper oblatas* (194) teneatur: *Fulginaten. Missae Par.* 7. *Aug.* 1773.

11. Apostolorum limina visitans Amerinus Episcopus exposuit Priorem Ecclesiae Cathedralis, qui actualem habet curam animarum, neque per se, neque per suum Sacerdotem adjutorem Evangelium populo explicare. Prior se fundabat in consuetudine immemorabili, quam neque in facto, neque in jure adstruebat. Idcirco quaesitum fuit, an Prior ipse per se, vel eo impedito per suum Sacerdotem adjutorem ad explicandum Verbum Dei sit adigendus, seu ei faveat consuetudo? Rescriptum prodiit, ut scribatur Episcopo juxta mentem (195): *Amerina Visitat. SS. LL.* 10. *Febr.* 1781. *dub.* 1.

12. Dubio exhibito, an omnes, et singuli Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Archangeli teneantur ad expensas utensilium Parochialium, vel potius Prior, et Sub-Prior animarum curam habentes solummodo ad dictas expensas obligati sint? responsum est, affirmative ita tamen, ut unusquisque contribuat pro rata parte suae congruae: *Firmana* 6. *Sept.* 1783. *d.* 3.

13. Et altero dubio examinato, an, et qui teneantur ad expensas pro executione rescripti S. C. editi die 17. Aug. anni 1779. quoad remotionem, et expurgationem sepulcrorum? affirmative ut ad proximum respondetur: *Ibid. dub.* 4.

Prioratus Dignitas Ecclesiastica:

1. Quaeritur, utrum Prioratus curam animarum habentes comprehendantur sub nomine Parochialium quoad dispositionem *cap.* 18. *Sess.* 24. *de reform.* (196)? S. C. respondit non comprehendi Prioratus curam animarum habentes in dispositionem Concilii de examine per concursum: *Avenionen.* 25. *Octob.* 1586. *dub.* 8.

2. Et posito in Gallia provisos de beneficiis curam animarum habentes non teneri residere, modo deserviant per Parochum amovibilem per Ordinarium tamen approbatum, et sint alicujus Ecclesiae Canonici, in qua residentiam faciant, utrum Canonici Metropolitanae Ecclesiae quis hujusmodi Prioratus Canonicatibus non annexos curam animarum habentes obtinent, in alia tamen quam Avenionensi Dioecesi teneantur, vel Prioratum, vel Canonicatum dimittere, possintque eos ad id cogeri? rescripsit teneri Canonicos, qui post Concilium Prioratum, et Canonicatum adepti sunt, alterum dimittere, ut in altero resideant. Et quia per Concilium utroque privati intelliguntur *cap.* 4. *sess.* 7. (197) debere eos conscientiae suae consulere, turpeque esse non observare Concilium in ditione Sedis Apostolicae, et pugnari pro ejus observantia in Regno Galliae: *Ibid. dub.* 25.

3. Ad dubium, an, et ad quem in Ecclesia Collegiata S. Antonii Castri Altidonae spectet jus conferendi, seu instituendi Prioratus Dignitatem, Canonicatus, aliaque beneficia, de quo jure controvertitur inter Archiepisco-

(194) *Vide not.* 147. *pag.* 108.

(195) *Vide not.* 123. *pag.* 87.

(196) Ubi in provisionibus Ecclesiarum Parochialium mandatum examen per concursum; et in praedictum caput Gallemart *num.* 1. *pag.* 264. ait ad verba *Cum Parochialis Ecclesiae vacatio* „ Hoc decretum non habet locum, quando contingit aliquam dignitatem vacare, cui Parochialis est unita accessorie “.

(197) *Vide not.* 61. *tom.* 2. *pag.* 56.

pum Firmanum, et Abbatem Farfensen? S. C. respondit, ut exquiratur Rotae Votum (198): *Firmana Juris Confer., et Instit.* 2. *Octob.* 1706. *Confir.* 7. *Maii* 1707.

4. Canonicus Ascanius Jacobillius electus fuit in coadjutorem a Canonico Crispoldo de Gregoriis moderno possessore Prioratus Cathedralis Ecclesiae. Hic non esse huic Prioratui adnexam curam animarum contendit, tum quia de Dignitate agitur, tum quia cura animarum penes Capitulum residet, et exercitium tribus aedituis amovibilibus solem jure honorifico ei reservato, et in absentia aliis Dignitatibus. Huic provisioni, in qua praecedens examen requisitum non fuit, refragatur Promotor Fiscalis, et quaeritur idcirco an supplicatio sit relaxanda? S. C. primum esse haud relaxandam censuit: *Fulginaten. Prior. quoad Cur. Anim.* 2. *Octob.* 1721. (199) Deinde recessit a decisis, et relaxandam esse cum expeditione tamen gratiae in forma nempe cum clausula, quod per diligens examen coram Ordinario faciendum idoneus repertus fuerit, putavit, et ad mentem subjungit: 28. *Febr.* 1722.

5. In Civitate Tolentina extat Collegiata Ecclesia S. Jacobi uno constans Prioratu animarum curam adnexam habente, et undecim Canonicis, de quibus duo antiquiores Priorem in exercitio curae adjuvant. Causa quaestionum dubium fuit exhibitum: an Prioratus praefatae Collegiatae Ecclesiae sit Dignitas, cujus qualitatis, et ad quos effectus? et S. C. resolvit esse Dignitatem, ex comprehensis sub Regula IV. Cancellariae (200) ad effectus praeeminentiales juxta ipsius Collegiatae Consuetudinem: *Tolentina Ser. Chori, et Miss. Convent.* 26. *Maii* 1739. *dub.* 6.

6. Prioratus Ecclesiae Collegiatae S. Victoriae, qui onus animarum curae habet, possessore orbatus fuit. Abbatibus Farfensibus fuit ejusdem collatio reservata, quum illa Ecclesia Episcoporum jurisdictioni subjecta fuerit. Sed dissidium factum fuit, num illa nominatio praevio concursu, vel praevio examine, et Archiepiscopi adprobatione facienda sit? S. C. decidit nominationem ab Abbate Farfensi faciendam non esse praevio concursu: *Firmana seu Farfen.* 28. *Januar.* 1758.

Prioris Officium.

Parochi urbis Perusiae, qui Collegium quod Urbanum vocant, constituunt, annuum ex eorum gremio eligunt Priorem, qui regimen habeat oeconomicum totius Collegii. Ad Prioris Officium electus anno praeterito fuit Parochus Laurentius Ammoni Leli, qui pessumdatas Collegii res studuit reparare. Duo de viginti Parochi confirmare hunc cupiunt ad biennium contra Collegii Constitutiones, quae ad annum ediserunt et confirmationem vetant. Obsistunt alii Parochi (rationum redditioni obnoxii), confirmationique refragantur. Sed confirmatus ille fuit ad annum ex S. C. consulto: *Perusina Eelect. Prioris* 8. *Maii* 1762.

Priorista *Vide Abbatissa.*
Privatio *Vide Archidiaconus* §. *IV.*

(198) *Vide not.* 18. *tom.* 1. *pag.* 13.

(199) Plura argumenta adduxit Advocatus Dominicus Ursaya pro affirmativa responsione, et exhibet in *Discep. Eccl.* 2. *tom.* 4. *part.* 2. *per tot.*

(200) In qua Dignitates reservantur, inde declarans „ Dignitates, quae in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales non majores existunt, quae ex Apostolicae Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine praescripta, vel alias quovis modo in quibuscumque Collegiatis Ecclesiis principalem praeeminentiam habere noscuntur, sub reservatione praedicta comprehendi debere „.

Archipresbyter §. *X. Beneficia Ecclesiastica* §. *IX. Canonicatus* §. *V. Capellanus* §. *VII. Juspatronatus* §. *I. Mansionaria* § *I. Parochus* §. *IX.*

Privatum Oratorium *Vide Oratorium* §. *I.*

Privilegia Privilegium quando, et quae vis, ac potentia habeat vel non.

1. Ad rogatum, an stante Consuetudine immemorabili, vel privilegio possint eligi duo Vicarii Capitulares? rescripsit S. C. negative (201): *Tirasonen. Elec. Vicarii Capit.* 13. *Julii* 1669. *dub.* 3.

2. Item negativum praebuit responsum ad dubium, an posita etiam facultate eligendi duos Vicarios, possint isti exercere alternatim per menses, si quoad hoc non adsit immemorabilis consuetudo, vel privilegium? *Ibid. dub.* 4.

3. Privilegium, ut ex reditibus Capellaniarum, et eleemosynis Missarum votivarum, seu Manualium, pro quibus plures Missae celebrari debebant, possit percipi summa librarum sexcentum, quae sunt scut. Rom. 100. pro unica tantum Missa in die celebranda, concessum Capellanis de Massa nuncupatis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Vineis non est sublatum per Const. Innoc. XII. Pont. Max. super Celebratione Missarum (202), et apponatur tabella in loco conspicuo Ecclesiae cum expressione Privilegii: *Januen. Celebr. Miss.* 26. *Novemb.* 1701. *dub.* 1.

Reliqua *Vide Hospitale* §. *IV. Regulares* §. III.

Privilegia Clericorum. *Vide Clerici* §. *III.*

Privilegia Doctorum. *Vide Doctores.*

Privilegia quoad Judicem Conservatorem. *Vide Moniales* §. *I. Regulares* §. *II. Religionis Militaris Ordinis Hierosolymitani.* §. *V.*

Probatio.

1. Censuit S. C. ad effectum revocandi ad novum examen Parochum haud necesse est, ut judiciales probationes imperitiae praecedant: *Pamplionen. Exam.* 15. *Januar.* 1667. *dub.* 3.

2. Probatio Liberi Status in Matrimoniis inter cives contrahendis requiritur. Ita S. C. ad instantiam civium Ortonensium deliberavit: *Ortonen.* 27. *Martii* 1706. *dub.* 1.

3. Concludentes probationes sunt necessariae, ex quibus constat resignantem beneficium, ad cujus titulum est ordinatus, habere quo vivere commode possit: *Lancianen.* 9. *Febr.* 1726. *dub.* 3.

4. Nec sola confessio jurata perficit praedictam probationem: *Ibid dub.* 4.

5. Absque probatione status liberi facienda coram Episcopo Guardiensi, et sine illius Licentia nequit Œconomus pro tempore Ecclesiae Parochialis S. Mariae Esther Commendae Hierosolymitanae Religionis oppidi Aquaevivae Collis Crucis conjungere in Matrimonium incolas dictae Paroeciae: *Guardien. Status Liberi* 12. *April.* 1710. *confir.* 3. *Martii* 1736. Inde causa reproducta adjudicata fuit dicto Episcopo jurisdictio ordinaria quoad Populum et Clerum exceptis habentibus tria requisita, et quoad Ecclesiam delegata tantum: 25. *Febr.* 1741.

Reliqua. *Vide Consuetudo* §. *III. Ecclesiae Matrix etc. Juspatronatus* §. *III. Professio Religiosa* §. *I. Simonia etc.*

Processio, Processiones.

1. Declaravit S. C. publicas supplicationes, ad quas exempti ab Episcopis vocati accedere tenentur ex Decreto *Capitis* 13. *Sess.* 25. *de Regu-*

(201) *Vide not.* 719. *tom.* 2. *pag.* 512.

(202) *Vide not.* 314. *tom.* 2. *pag.* 267.

lar. Concilii Tridentini (203) esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico, vel publico honore. *Ferrarien*. 23. *Sept*. 1609. Deinde putavit ead S. C. publicas supplicationes, de quibus idem Concilium *Sess*. 25. *cap*. 13. *de Regul*. loquitur, intelligendas solitas, et consuetas, necnon eas, quae indictae fuerunt pro bono publico, publicove honore: 28. *Novem*. *ejusd anni*.

2. Constituit S. C. Monachos S. Hieronymi exemptos, ut proponitur ab Ordinario vocatos teneri, ac potuisse compelli etiam poenis, et censuris Ecclesiasticis ad Rogationum Divi Marci, aliasque publicas supplicationes accedere: *Albanen*. 23. *Sept*. 1617.

3. Episcopus de rebus dubiis morem consulendi, ac referendi ad Sedem Romanam sequens, a S. C. hanc habuit responsionem Monachos Cassinenses cogi posse ad publicas supplicationes, et ad ipsum spectare supplicationes instituere: *Bobien*. 16. *Martii* 1630.

4. S. C. mandavit servari Decretum in Congregatione particulari de ordine SSmi jam firmatum tenoris sequentis. Censuit S. C. Regularibus, et Sodalitiis in Regularium Ecclesiis erectis permissum esse supplicationes ducere intra eorum Ecclesias, et Claustra tantum, et non extra. Si vero Ecclesiae claustro careant; eisdem Regularibus, et Societatibus licere supplicationes facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a janua Ecclesiae, et ingrediendo per aliam, sive per eamdem, et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum nisi de licentia, consensu, cum Cruce Parochi non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus. Privilegiis tantum Apostolicis Sacro Concilio Tridentino posterioribus in suo robore permanentibus, quibus per hoc Decretum minime censeatur derogatum: *Nepesina* 24. *Julii* 1632. Post multi temporis spatium S. C. stetit in Decretis, quumque additum fuisset hoc aliud dubium: an solius Episcopi accedente licentia possint Regulares supplicationem ducere, quamvis Parochus contradicat, et consentire recuset? S. C. respondit, sufficere licentiam Episcopi: 3. *Aug*. 1686.

5. Contrariam consuetudinem etiam immemorabilem Capitulis minime suffragari, quin ad Episcopum cum consilio tamen Capituli pertineat sacras supplicationes indicere, et praescribere, quo et qua sint dirigendae, consilium fuit S. C. *Suessionen*. 16. *Sept*. 1662. *dub*. 8.

6. Indicta supplicatione occasione visitationis terrae Carpineti ab Episcopo, conqueruntur Fratres Ordinis S. Francisci strictioris Observantiae non posse compelli, et examinari dubium studuerunt, an dicti Fratres potuerint ad praenarratam supplicationem ab Episcopo adigi? S. C. in casu de quo agitur non potuisse definivit: *Anagnina Proces*. 9. *Decem*. 1662.

7. Ad dubium, an Abbas, Presbyteri, et Clerici Ecclesiae S. Antonii Viennensis teneantur accedere ad supplicationes pro Jubilaeo publicando, et ad alias publicas supplicationes, vel pro bono publico indictas? negativum datum est responsum: *Neapolitana*, *Process. et Interd*. 16. *Novem*. 1675.

8. Vicarius Ecclesiae, seu Oratorii S. Mariae Angelorum Loci de Panzano Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum instar supplicationis deferre nequit nisi de licentia Ordinarii, ita S. C. decrevit in *Nullius seu Nonantulana* 13. *Januar*. 1685. *dub*. 7.

(203) Ibi „ Exempti autem omnes, tam Clerici seculares, quam regulares, quicum-

9. Perspicuum S. C. fecit dubium, an Cappellanis Ecclesiae, seu Oratorii S. Mariae Lacrymarum liceat solemnes supplicationes facere extra ambitum dictae Ecclesiae seu Oratorii sine consensu, et voluntate Parochi? tradens Decretum diei 13. Januar. 1685. in Nullius seu Nonantulana Jur. Par. dub. 7. (204): *Brictinorien. Jur. Paroch.* 21. *Junii* 1687. *dub.* 1.

10. In terra Ursi Martii duae sunt Paroeciae inter se penitus distinctae, utriusque Populus, et Clerus, ac Sodalitia in supplicationibus in anno fieri solitis simul ab immemorabili tempore convenire consueverunt. Modo ad evitandas frequentes contentiones de praecedentia, ac populi offensiones, petierunt Parochiae unius incolae separatim fieri supplicationes ab unoquoque Clero, sed S. C. preces rejecit ac fieri unitim illas praecepit: *Cassanen. Process.* 23. *Januar.* 1706.

11. Patres Dominicani civitatis Andriae tenentur in die festivitatis S. Dominici patroni dictae Urbis statuam ejusdem Sancti ab eorum Ecclesia ad Ecclesiam Cathedralem cum simplici comitatu absque cantu, et crucis elevatione asportare, causa facendi supplicationem per urbem cum Clero seculari, et Regulari juxta consuetam formam, quam dicti Patres servare renuerant: *Andrien. Process. et Interd.* 6. *Julii* 1709. *dub.* 1.

12. Hinc praeceptum injunctum a Curia Episcopali dictis Patribus sub poena interdicti localis quia praedictam consuetam formam servare in supplicatione festivitatis S. Dominici Civitatis patroni obtrectabant, firmum esse S. C. mandavit: *Ibid dub.* 2.

13. Pleraeque, et variae peragantur supplicationes in urbe Adriae praeter generales ab Ecclesia indictas, ad quas uterque clerus accedere consuevisse dicitur. Ad earum nonnullas adire renuentibus Patribus Ordinis Praedicatorum Episcopus instante Capitulo Ecclesiae Cathedralis compellere eos curavit. Sed Patres querimoniam habuerunt de ratione invitandi, et S. C. appellarunt, quae servari solitum jussit: *Andrien. Access. ad Process.* 11. *Januar.* 1710. *dub.* 1. *et* 2.

14. In causa agitata inter Sodales Sanctissimi Rosarii, PP. Praedicatores, et Episcopum dubio proposito, an liceat Fratribus sine licentia Episcopi, peragere per civitatem processiones tam in prima Dominica Octobris, quam aliis temporibus? S. C. respondit negative exceptis processionibus Sanctissimi Corporis Christi, et Rosarii in prima Dominica Octobris (205): *Ripana Confrat.* 30. *Martii* 1715. *dub.* 8.

15. Societati Orationis, et Mortis loci Predarii aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis supplicationes tam intra ambitum sui Oratorii, quam extra

que etiam Monachi, ad pubblicas processiones vocati, accedere compellantur " Gallemart ibid. ad verba *Ad publicas processiones vocati num.* 7. *pag.* 300. inquit „ Vocentur ad quascumque processiones publicas, et consuetas vel indictas pro bono publico, vel honore, non tamen compellendi sunt ipsi Regulares exempti, (de quibus loquimur) accedere ad Ecclesias extra propria Monasteria pro celebratione orationis quadraginta horarum: sed Congregatio probavit illos cum toti populo dicta oratio indicitur, in propriis Ecclesiis hujusmodi Orationi insistere posse. „

(204) *Vide num.* 8. *antecedentem*.

(205) „ Verum Sanctissimus D. N. Bened. XIII. in re edidit novissime Literas Apostolicas in forma Brevis sub die 10. April. 1725. anno primo Pontificatus, in quibus Fratribus Praedicatoribus indulsit, ut ipsi de caetero Processionem praefatam SS. Rosarii, qualibet prima Dominica mensis Octobris, ingrediendo limites cujuscumque Parochiae, Ordinarii licentia minime requisita, et absque assistentia Parochi, ac cum omni pompa peragere libere, et licite possint " Card. Petra *Comment. ad Const. XVIII. Sixti IV. num.* 16. *tom. V. pag.* 294.

illum absque Parochi licentia, per cujus Parochiam transire debet, dummodo accedat Episcopi venia, facere licet: *Novarien. Aggreg.* 24 *Sept.* 1718. *dub.* 5.

16. Controversiis exortis inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Stephani, et Sodales Sanctissimi Rosarii in eadem receptos, quaesitum est, an Sodales annuente, et permittente Archipresbytero facere possint processiones intra et extra Ecclesiam sine interventu Canonicorum? rescripsit S. C. ad prima partem affirmative, ad secundam negative, dummodo non agatur de Processionibus, quae fiunt ex Instituto societatis, in quibus sufficit, ut Canonici sint invitati: *Regien.* 5. *Aug.* 1719. *dub.* 5.

17. Et an, et a quo sit determinanda via processionum, quae fiunt extra Ecclesiam S. Stephani et per Parochiam? esse determinandam a Praefecto chori, interveniente Capitulo, rescripsit: *Ibid. dub.* 6.

18. Necnon permittente dicto Archipresbytero possit dictum Sodalitium erigere in dictis supplicationibus propriam Crucem? Negative respondetur at Card. Petra affirmativum refert responsum *tom. V. pag.* 307.: *Ibid. dub.* 7.

19. Quaesitum quum esset, an occasione supplicationum cum Capituli Ecclesiae Collegiatae oppidi Novarum, cui adjudicata quaedam superioritatis species super ceteras Parochiales Ecclesias fuit, praesentia peragendorum, Parochi ejusdem oppidi sub illius Cruce incedere tenerentur, seu an et sub qua Cruce sit incedendum? S.C. respondit dilata, et examinentur testes formaliter: *Derthonen. Jur. Paroch.* 7. *Decem.* 1720. *dub.* 9. Deinde decisum fuit esse incedendum sub Cruce Capituli: 14. *April.* 1725. *dub.* 1. Sed causa reproducta scribi juxta instructionem (206) mandatum est: 4. *Aug. ejusd. anni dub.* 2. Denique docta S. C. de observantia, ac praxi decreti Concilii Provincialis, ac Synodi recessit a decisis quoad funera 15. *Decem. ejusd. anni dub.* 1.

20. Societatis Mortis, et Orationis oppidi Casalis Majoris Sodales absque licentia Praepositi S.Leonardi ejusdem oppidi si invitatus renuerit, ac impeditus non intervenerit, supplicationem occasione Festi Nativitatis B. M. V. peragere possunt, sed intra ambitum proprii Oratorii; extra vero ambitum nisi Episcopi accedat licentia nequeunt: *Cremonen.* 5. *Junii* 1723. *dub.* 1.

21. Eamdemque supplicationem cum Capellani interventu, aut alterius Sacerdotis per ipsos non autem per Praepositum destinandi ducere possunt: *Ibid. dub.* 2., *confir.* 13. *April.* 1726. *dub.* 1.

22. Societas Salutis translata a Villa Fontana ad Ecclesiam Hospitalis S. Antonii Abbatis Terrae Medicinae a dicta Ecclesia valet singulis annis Imaginem B. M. V. Conceptionis in Festo S. Pii V. Pont. Max., seu in Dominica eidem festivitati sequenti ad Ecclesiam Villae Fontanae instar supplicationis transferre; subinde die Sabbati immediate post festivitatem S. Augustini ad dictam Ecclesiam Hospitalis restituere; necnon die successivo Dominico generalem supplicationem facere per dictam Terram Medicinae de licentia tamen Ordinarii: *Bononien.* 28. *Julii* 1724. *dub.* 3.

23. Dictaeque Societati ducere supplicationem aliam nuncupatam Poenitentiae in una ex diebus Hebdomadae Sanctae fas est de licentia pariter Ordinarii: *Ibid. d.* 5.

(206) *Vide not.* 10. *tom.* 2. *pag.* 8.

24. Ac ratione privilegiorum Archiconfraternitatis Cinturae Bononiae aggregantis, eidem licet supplicationes in omni quarta Dominica cujuslibet Mensis, et alias intra tamen, non extra ambitum Ecclesiae peragere: *Ibid. dub.* 7.

25. Patribus Minoribus Conv. Montis Ærei supplicationes extra claustra praeter quam in casibus comprehensis in transactione anni 1703,, nisi de licentia Episcopi ducere non licet: *Volaterana* 16. *Martii* 1726. *dub.* 10.

26. Societas S. Mariae de Libertate Dominica ultima Septembri ducere supplicationem cum Imagine S. Mariae de Libertate ad plateam magnam civitatis cum assistentia Parochi, vel eo deficiente proprii Capellani, accedente tamen licentia Ordinarii, et comitante Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, potest: *Bononien.* 15. *Maii* 1728. *dub.* 14.

27. Jus indicendi, atque convocandi generales supplicationes, quae juxta ritum Ecclesiae, et loci consuetudinem fiunt, privative spectat ad Archipresbyterum Ecclesiae S. Mariae Magdalenae Terrae Barutii, quae Ecclesia quadam Majoritatis praerogativa super alias binas Ecclesias Parochiales pollet, atque in eadem incipiendae, ac terminandae supplicationes sunt: *Aquen. Praeemin., et Jur. Paroch.* 8. *Martii* 1732. *dub.* 4.

28. Ac dictae supplicationes generales faciendae sunt in Ecclesia S. Mariae Magdalenae cum coactivo accessu Parochorum S. Antonii, et S. Martiani, itaut iis non liceat eas facere in eorum Ecclesiis Parochialibus; non autem illae alternatim fieri debent singulis annis in altera ex dictis Ecclesiis: *Ibid. dub.* 5.

29. Et Parocho S. Antonii in supplicatione deferre tam intra, quam extra Ecclesiam Ven. Lignum S. Crucis die Festo ejusdem Inventionis licet: *Ibid. d.* 7.

30. Et planum non erat, an die Festo Sanctissimi Corporis Christi eidem Parocho S. Antonii, ac etiam Parochis S. Mariae Magdalenae, Sanctique Martiani liceat supplicationem habere tam intra, quam extra suas respective Ecclesias cum Sanctissimo Sacramento, illudque publicae adorationi in ea exponere? S. C. servandum Decretum Episcopi (207) censuit: *Ibid. dub.* 8.

31. Sodales Orationis, et Mortis urbis Centumcellarum non quomodolibet moniti interesse tenentur processionibus Sanctissimi Rosarii tam in prima Dominica cujuslibet Mensis, quam in prima Dominica Octobris, sed quatenus per schedulam invitentur: *Viterbien.* 15. *Decem.* 1741. *dub.* 1.

32. Ac Capellanis Societatum dictae Urbis in processionibus per eas peragendis deferre stolam praesentibus Parocho, vel Vice-Parocho licet: *Ibid. dub.* 6.

33. Dictaeque Societati Orationis, et Mortis licet de licentia Episcopi dirigere, et peragere processionem B. M. Virginis Septem Dolorum extra ambitum suae Ecclesiae: *Ibid. dub.* 11.

34. Supplicationes ordinarias in diebus S. Marci, Rogationum, et Corporis Christi ducendas conjunctim ab utroque Clero S. Nicolai, et S. Mariae civitatis Riveliae juxta solitum; non vero Clero S. Mariae eas separatim explendi esse indulgendam optatam facultatem S. C. definivit: *Policastren. Praeemin., et Jur. Paroch.* 22. *Januar.* 1746. *dub.* 1.

35. Definitio dein petita est, num dictae supplicationes incipere, et ter-

(207) *Vide not.* 24. *pag.* 21.

minare debeant in Ecclesia S. Nicocolai, et Clerus S. Mariae teneatur incedere sub propria Cruce ante Clerum S. Nicolai, vel sit servandum solitum in omnibus? S. C. solitum revera servari jussit: *Ibid. dub.* 2.

36. Quaesitum consentanee fuit, an Clerus S. Mariae teneatur accedere juxta solitum ad supplicationem, quae fit in Dominica Palmarum, et ad alteram, quae fit in die Ascensionis, et quo loco convenire debeat? cui solitum quoque servari S. C. rescripsit: *Ibid. dub.* 3.

37. Clerum vero S. Mariae ob non accessum ad dictam supplicationem in die Dominica Palmarum anni 1744. in poenam non incidisse statutum est: *Ibid. dub.* 4.

38. Neque Clerum eumdem S. Mariae ob expletas ordinarias supplicationes anno 1744. separatim a Clero S. Nicolai in poenam incidisse, resolutum contemporanee fuit: *Ibid. d.* 5.

39. Clero S. Mariae praefato supplicationes separatim explere licere de licentia Episcopi; sed quo ad distantiam solitum servari praecipitur: *Ibid. dub.* 6.

40. Capitulum, et Clerus Polymniani tenentur juxta solitum tribus anni vicibus supplicationem habere, et associare brachium S. Viti in Ecclesia Cathedrali ad Ecclesiam Abbatialem: *Polymnianen. Juris Quaest., et Process.* 30. *April.* 1746. *dub.* 10.

41. Pompa, qua recipienda in Abbatiali Ecclesia a Patribus Conventualibus, ibique exponenda S. Reliquia ejusdem Brachii S. Viti, esse debet decens, ac a Card. Praefecto praescribenda: *Ibid. dub.* 11.

42. Postrema ex dictis supplicationibus fieri solita ipsa die festivitatis S. Viti non est transferenda ad diem Dominicam infra Octavam: *Ibid. dub.* 12.

43. Supplicationem explere per urbem Maratheae licere decrevit S. C. Sodalibus B. M. V. Septem Dolorum singulis Mensibus in tertia Dominica, et intra limites Paroeciae S. Mariae Majoris de sola licentia Episcopi, praesertim, ubi Archipresbyter interpellatus assentiri nolit, et addidit S. C. ad mentem (208): *Cassanen.* 12. *Aug.* 1747. *dub.* 1.

44. Et dicta supplicatio peragi horis praefixis arbitrio Episcopi potest: *Ibid. dub.* 2.

45. Parochis Glageoli, et Linarii quoad Archipresbyterum Ecclesiae Rivaschi, et Plebanum S. Romani cumulative licet ducere supplicationem Sanctissimi Corporis Christi die ejusdem solemnitatis, non ad secundos privative pertinet: *Sarsinaten. Process.* 14. *Januar.* 1758.

46. Supplicationi, quae fit in festo S. Marci cum Capitulo, et toto Clero interesse tenetur Collegium Parochorum; etiamsi praeteritis annis plerique Parochi intervenire neglexerint: *Faventina Praeemin. et Funer.* 7. *Junii* 1760. *dub.* 11.

47. In omnibus supplicationibus, etiam solemnibus, et funereis explendis a Presbyteris Ecclesiae S. Nicolai Coadjutricis Parochialis Cathedralis Ecclesiae servitio adscriptis non tantum ab Episcopo, sed etiam a Capitulo unico Parocho quoad supplicationes tantum extra ambitum agendas petenda est, et obtinenda licentia: *An-*

(208) Mens ea innotuit, ut Episcopo scriberetur in eum finem, quod nimirum quoad primum dubium „ una tantum per confratres expleri valeat solemnis Processio singulis annis per civitatem, aliae vero singulis mensibus explendae fiant intra ambitum dumtaxat proprii sodalitatis Oratorii " *Regist. Lit. Lib.* 30. 12. *Aug.* 1747.

drien. 24. *Januar.* 1767. *dub.* 14. confir. 19. *Sept. ejusd. anni.*

48. Publica supplicatio fieri assueta erat prima Dominica Julii cum interventu universi Cleri, tam secularis, quam Regularis. Usus in ea invaluit praestandi ex reditibus Capellae B. M. V. Gratiarum existentis in Collegiata Ecclesia S. Mariae oppidi Genesii certam eleemosynam Capitulo ad illam intervenienti. Hanc a S. C. fuit definitum spectare ad Capellam, quatenus vires suppetant, non ex redditibus Communitatis; etiamsi hoc publicae supplicationis habendi onus injunctum Communitati haud fuisset in erectione Capellae, seu Altaris, nec in literis Apostolicis, et fieret ex mero Communitatis voto: *Camerinen.* 11. *Julii* 1767. *dub.* 4.

49. Profanata Ecclesia quadam parva rurali in Agro Somneni sita, onera ejusdem ad Ecclesiam Monialium Cisterciensium Monasterii S. Mariae *delle Canne* translata fuerunt; et proinde supplicatio, quam Somneni Clerus habere consueverat a Collegiata Ecclesia ejusdem oppidi ad dictam ruralem Ecclesiam duci coepta est ad propriam Monialium Ecclesiam, quae ab oppido Somneni distat per mille passus. Eam omittere in posterum Moniales exoptant. Supplicant itaque, ut praetermissa publica supplicatione mandent scuta 5. Clero solvenda erogari in celebrationem unius Missae cum cantu una cum aliis Missis 50. lectis in expiationem animae cujusdam praesumpti fundatoris. Sed nihil fuit indultum, sed jussum, ut scriberetur Episcopo ne populi offensiones orirentur: *Terracinen.* 5. *Junii* 1779.

50. Supplicationes Ecclesiae Collegiatae S. Petri Montis Martiani indicendae sunt per Archipresbyterum de consensu Capituli juxta Decretum Card. Episcopi anni 1781.: *Senogallien.* 13. *Junii* 1789. *dub.* 9.

51. Supplicationibus, quae fiunt per Capitulum Collegiatae oppidi Capranicae feriis sextis Martii interesse debere Patres Conventuales ejusdem oppidi judicio decernit S. C. *Sutrina* 6. *Decem.* 1794. *dub.* 1.

52. Declaratur insuper in supplicationibus Corporis Christi, et S. Terenziani Protectoris oppidi procedere debere tibicines ante vexillum Capituli juxta votum Episcopi: *Ibid. d.* 2.

53. Praecentionem vero antiphonae, et cantum orationis pertinere ad superiorem Conventualium, cum in supplicationibus Divi Marci, et Rogationum ad eorum Ecclesiam accedit Capitulum, juxta pariter Episcopi votum: *Ibid. dub.* 3.

54. Ac procedere tandem debere Conventuales ordinate ad Ecclesiam Collegiatam, eamque ingredi ad adorandam Crucem ad formam consuetam, cum ipsi supplicationum causa ad illam accedunt: *Ibid. dub.* 4.

Reliqua *Vide Regulares* §. *III.*

Processio Funebris. *Vide Cadaver* §. *III.*

Processus.

1. Ad conficiendos processus informativos super defectibus, excessibus, delictis commissis per Dignitates, Canonicos, Portionarios, Beneficiatos, Capellanos, aliasque Personas Collegiatae Ecclesiae de Zafra, et ad eas corrigendas, et poena correctionali, seu poenitentiis puniendas, procedere Episcopum Pacensem debere extrajudicialiter decisum fuit: *Pacen. seu Nullius Jurisd.* 18. *Decem.* 1728. *dub.* 3.

2. Examinato autem, an Episcopus supra laudatus, seu ejus Visitator teneatur dictos processus informativos Abbati Collegiatae Ecclesiae Villae de Zafra consignare, seu ejus Officiali Vic. Gen. responsum exiit, esse in faculta-

te Episcopi, et ad mentem: *Ead.* 15. *Januar.* 1729. *dub.* 5.

3. Eumdemque Episcopum seu illius Visitatorem ad conficiendos processus super criminibus in forma juris, et ad reos ad condignam poenam condemnandos in prima instantia, quae Abbati praedicto ex forma Concordiae competit, eidem Abbati, ejusque Curiae terminum competentem prout de jure praefigere posse statutum fuit: *Ibid. dub.* 6.

4. Processus fabricati contra Abbatem Collegiatae Ecclesiae de Zafra de anno 1716. per Petrum Leonium Visitatorem deputatum ab Episcopo Pacensi occasione Visitationis anni 1721. facta non sustinentur, sed sunt acta circumscribenda. Non contra illum procedere ei licebat: *Pacen. Juris Visit. de Zafra* 29. *Januar.* 1729. *dub.* 3.

5. Inter Curiam Archiepiscopalem Ravennae, et Curiam Episcopalem Ferrariae orta controversia est super jure visitandi quoddam Oratorium positum in terra Draghetti Ducatus Ferrariensis, et S. C. commisit Vicario Generali Imolensi elevationem mappae judicialis, utque testium utrinque adducendorum examen formaliter recipiat. Verumtamen occasione conficiendi processum demandatum nova facta est quaestio, et S. C. in compilatione processus coram Vicario Generali Imolensi Judice subdelegato a S. C. esse in judicium vocandum assertum Vicarium Generalem Mensae Archiepiscopalis Ravennae degentem Ferrariae sine praejudicio jurium ambarum partium judicavit: *Ferrarien. seu Ravennaten. Jurisd.* 24. *Julii* 1734.

Procuratio. *Vide Episcopus* §. *XIX. Vicarius Capitularis* §. *II.*

Procurator.

1. Procuratoris ad recipiendas Eleemosynas Missarum in Ecclesia Cathedrali celebrandarum destinati deputatio spectat ad Capitulum, non autem ad Episcopum, et quoad eleemosynas Missarum in Capellis in Cathedrali Ecclesia existentibus, et ad Sodalitia quae celebrari pertinent, solitum servari S. C. judicium fecit: *Sarnen.* 27. *Junii* 1705. *dub.* 4.

2. Electio Procuratorum Capellarum Ecclesiae Abbatialis Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae S. Mariae oppidi S. Donati per schedulam secreto peragenda est, non autem per acclamationem: *Sorana Jur. Paroch.* 5. *Maii* 1731. *dub.* 10. *confir.* 1 *Decem. ejusd. anni.*

Reliqua *Vide Matrimonium* §. *XXIX.*

Profanatio *Vide Ecclesia in Genere* §. *II. Oratorium* §. *IV.*

Professio Fidei.

1. Disputatio instituta est, an provisi in Ecclesiis Collegiatis de Dignitatibus, vel Canonicatibus teneantur Fidei Professionem facere, neque enim *cap.* 12. *sess.* 24. aut Const. Pii IV. Pont. Max. (209) videntur adstricti,

(209) *De Reform.* ibi „ Provisi autem de Canonicatibus, et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo " professionem emittere fidei debent. Huic dispositioni accessit Const. Pii IV. *Injunctum* 13. *Novem.* 1564. (*Bull. Rom. tom.* 4 *part.* 2. *pag.* 204.) et altera ejusd. Pont. eod die, Mense, et anno, quae incipit *In Sacrosancta* (*Ibid. Pag.* 201.) quarum prima statuit ad eam teneri etiam Praelatos Regulares, quae tamen non est usu recepta quoad illos Praelatos, qui Regularium regimini praeficiuntur a Capitulis, seu a suis Superioribus, non a Sancta Sede. Secunda professionis fidei formam praescribit observandam a quibuscumque promotis, et promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electisque, et eligendis ad Cathedras, Lecturas. et regimen publicorum Gymnasiorum. Licet ex Trid. cit. Const. non teneantur ad hanc professionem Canonici Collegiatarum, aliique Beneficia. etiam simplicia obtinentes; tenentur tamen vigore legum in omni-

provisos de Canonicatibus, et Dignitatibus in Ecclesiis Collegiatis non teneri ex Concilio *Sess.* 24. *cap.* 12. neque ex Bulla Pii IV. Pont. Max. emittere professionem fidei, quia concilium loquitur de Cathedralibus: *Avenionen. an.* 1586. *dub.* 6.

2. Ac provisos de beneficiis curam animarum habentibus, etiamsi existant liberae collationis inferioris debere coram Episcopo, vel ejus Vicario professionem emittere per *cap.* 12. §. *Provisi Sess.* 24. (210), ubi distinguitur, si sint provisi ab Episcopo, vel ab alio, sancitur: *Ibid. dub.* 7.

3. Censuit S. C. illa verba Concilii, quae habentur *in cap.* 12. §. *Provisi. Sess.* 24., ut possessio eis non suffragetur, intelligenda esse quoad fructus faciendos suos. Ideoque omissionem professionis Fidei non privare Canonicum sopranarratis possessionis effectibus, sed ipsum et vocem in Capitulo, et jus praecedendi a die adeptae possessionis habere, nisi aliud obstet, quamvis professionem Fidei non emiserit: *Nullius Mensis Apr.* 1595.

4. S. C. decrevit, ut Procuratores Hispani provisi de beneficiis curam animarum habentibus, vel Canonicis, ac Dignitatibus hic in Curia professionem emittere possint intra tempus a Concilio Tridentino statutum coram D. Datario, itaut cum deinde in Hispania reversi fuerint, intra duos menses a die reditus iterum tandem fidei professionem elicere teneantur: *Nullius* 6. *Febr.* 1597.

5. Arbitrata est S. C. eos, qui fidei professionem non emiserint, cogendos esse sedem Apostolicam adire, tum pro facultate fidei professionem etiam elapso tempore valide proferendi, tum pro fructuum condonatione, possessionemque ei, qui fidei professionem non expressit, non suffragari quoad fructus faciendos suos. Atque hunc non privandum, sed declarandum haud fecisse fructus suos, tuncque esse audiendum: *Civitaten.* 2. *Sept.* 1599. *dub.* 1.

6. Professionem fidei per procuratorem nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari; ceterum ob facti hoc supplici libello expressi circumstantias, et qualitates Gasparem esse dignum gratia condonationis fructuum, ac distributionum si ita videbitur Sanctissimo Domino Nostro, S. C. putavit: *Valentina* 5. *Febr.* 1611.

7. S. C. benigne indulsit Oratori,

bus fere Dioecesibus statutarum. Sic in locis, quos complectitur Concilium Romanum celebratum a Bened. XIII. anno 1725. ad eam tenentur sequentes sub poenis in dicta Const. Pii IV. latis aliisque Episcoporum arbitrio statuendis. 1. Episcopi, aliique de Clero recens Ecclesiasticis beneficiis provisi aut Sacris Ordinibus initiati in Dioecesana Synodo primo celebranda. 2. Dignitates, et Canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, tum in Capitulo intra bimestre. 3. Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessionem infra idem tempus in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii generalis, prout et in alterutris manibus. 4. Quicumque alia beneficia simplicia obtinentes. 5. Item novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, Procuratores, et Promotores Fisci Episcopalis, Cancellarii, caeterique Ministri ejusdem Curiae. 6. Novi Concionatores, etiam Regulares. 7. Novi Confessarii etiam monialium. 8. Docentes publicae, et privatim Theologiam, Philosophiam, jus Canonicum, aut Civile, vel inferiores quaslibet disciplinas, etiam grammaticam: 9. Ac tandem medicinam, et Chirurgiam exercentes. Vide Bened. XIV. *Inst. Eccl. LX. tom.* 11. *pag.* 400.

(210) Ibi „ Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus Vicario, seu Officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. “

ut hic Romae fidei professionem pronunciare possit coram Datario, ita tamen, ut cum primum ad residentiam se contulerit iterum per se ipsum eamdem fidei professionem emittat coram Ordinario atque in Capitulo: *Regien.* 14. *Junii* 1621.

8. S. C. benigne impertita est Canonico Oratori facultatem fidei professionem emittendi coram Card. Urbis Vicario, dummodo ubi primum pestis impedimentis cessantibus ei licuerit ad residentiam se conferat, ubi eamdem fidei confessionem coram Ordinario, et Capitulo iterum emittat: *Bergomen.* 23. *Novem.* 1630.

9. Episcopo interrogante an stante Const. Pii IV. Pont. Max. de Fidei professione (211) toleranda sit consuetudo Universitatis studii Urbini, quod Rectores, et Cancellarius ejusdem Universitatis, prout etiam Doctores, et Magistri in ea publice docentes, nullam emittant Fidei professionem, nec in manibus Ordinarii, nec alterius cujuscumque. Scholares vero laureandi illam pronunciant in manibus Prioris Collegii, qui plerumque est laicus. Ipsa quippe Piana constitutio indulgens profesionem Fidei posse exprimi in manibus Ordinarii, sive Superioris studii non designat, an dictus Superior debeat esse Clericus? censuit S. C. observandam esse dispositionem Bullae, ac necesse non esse, ut Superior sit persona Ecclesiastica: *Urbinaten. Visit. SS. LL.* 10. *Martii* 1663. *dub.* 1.

10. Dubio adducto, an quoad emissionem professionis fidei modo ut supra sequutam, scilicet in Capitulo, in quo praesens erat Vicarius, qui erat etiam Canonicus, et sedebat in stallo Canonicali, non autem Vicarii, satisfactum fuerit dispositioni Concilii *cap.* 12. *Sess.* 24. *de reform.* (112)? rescripsit *affirmative*: *Sarzanen. Profess. Fidei* 14. *Januar.* 1679. *dub.* 1.

11. Disputatum fuit sequens dubium: an professio Fidei per provisos de Canonicatibus et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus declaranda in Capitulo ex dispositione Sacri Concilii Tridentini *cap.* 12. *Sess.* 24. *de Refom.* (213) emitti debeat coram omnibus Canonicis in Capitulo congregatis, vel satis sit, ut emittatur coram prima Dignitate, aut Decano, vel uno ex Canonicis antiquioribus tantum, et rescriptum fuit, eam esse emittendam coram Canonicis capitulariter congregatis: *Dubium Profess. Fidei* 7. *Aug.* 1683.

12. Dubio ponderato, an Episcopus ob grave aliquod impedimentum accessum personalem retardans possit per procuratorem legitimum professionem fidei ab iis, qui de ea tenentur accipere? injunxit S. C. Episcopo ut novos provisos ad Fidei professionem non admittat nisi per se ipsos eamdem Professionem emittant: *Calaguritana* 22. *Sept.* 1696.

13. Statutum est Professionem Fidei esse emittendam a Canonicis Cathedralis Ecclesiae, et non Collegiatarum; quum hoc explanandum quaesitum fuerit ab Episcopo Catacensi: *Catacen.* 26. *Januar.* 1726. *dub.* 1.

14. Non autem eamdem elici posse per procuratorem definitur: *Ibid dub.* 2.

15. Ac emittendam esse coram Episcopo, aut ejus Vicario, et etiam coram Canonicis Capitulariter congregatis, sufficere tamen si evulgetur coram Capitulo, cui Episcopus, vel Vicarius Generalis intersit, praecipitur *Ibi. dub.* 3.

16. Obtinentes beneficium cum cura animarum, Dignitates, Canonicatus in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus satisfaciunt praecepto Sacr. Cencilii *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.*

(211) *Vide not.* 209. *praecedentem, ac not.* 32. *tom.* 4. *Lit. F.*

(212) *Vide not. ut supra.*

(213) *Vide not. ut supra.*

(214) si professionem Fidei emittant post susceptam institutionem, vel collationem, et antequam in possessionem immittantur: *Tirasonen. Visit. SS. LL.* 11. *Maii* 1782. *dub.* 1.

17. Et qui Fidei professionem facere tenentur, et ultra praefinitum bimestre tempus distulerint, non priventur fructibus dicti primi bimestri, sed fructibus ex post elapsis a die nempe praeteriti primi bimestris destituntur: *Ibid. dub.* 2.

18. Inter nonnullos Ecclesiasticos seculares, ac Regulares in Hispaniarum Regnis existentibus contentionis cupidiores, quam veritatis de disciplina ecclesiastica quaestio facta est: et res excessit, ut ad aures Regis Catholici pervenit, qui per suum Oratorem in Urbe a Sede Apostolica quae Orientis, et Occidentis consultationibus respondit, postulavit decisionem. Censuit enim S. C. in qualibet nova provisione Canonicatuum, Dignitatum etc. in Ecclesiis Cathedralibus, etiam in eadem Ecclesia iterandam esse professionem Fidei ad formam decreti Sacr. Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* (215): *Dubia super Profess. Fidei in Regnis Hispaniarum* 8. *April.* 1786. *dub.* 1.

19. Insuper declaravit eam emitti debere coram Ordinario, vel ejus Vicario Generali, et tempore Sedis vacantis coram Vicario Capitulari, et Capitulo, minime vero etiam stante contraria consuetudine licere eam pronunciare coram solo Capitulo, nec iis in Dioecesibus, in quibus Ordinarii praeter Vicarium Generalem habeant alterum Vicarium de gremio Capituli ad effectum convocandi Capitulum, et eidem interveniendi in rebus respicientibus Ordinarium et Capitulum: *Ibid. dub.* 2.

20. Denum firmavit eadem S. C. posita bona fide consulendum esse Sanctissimum pro absolutione a restitutione fructuum pro tempore praeterito quoad eos, qui professionem fidei coram Capitulo, ut supra, enunciarunt: *Ibid. dub.* 3.

§. I.

Professio Religiosa quoad Annum Probationis, aliasque praescriptas Solemmitates.

1. Franciscus Angues in Canonicum Novitium electus fuit a Priore, Canonicis, et Capitulo Ecclesiae Pampilonae Ordinis S. Augustini et fere sexqui mense anni tirocinii intra septa praedictae Ecclesiae tantum resedit, residuo vero illius anni tempore de licentia et mandato praedictorum, ac sub eorum obedientia mansit in quadam Curia negotia dicti Capituli agendo. In fine anni professionem per procuratorem ad id deputatum fecit. Dubitatum est de professionis validitate; sed valere S. C. declaravit: *Pampilonen. anni* 1575.

2. Quum afferatur Religiosam familiam Monasterii B. M. oppidi seu loci de Orta obtinuisse etiam multo ante confirmationem, ac publicationem Concilii Tridentini a Sede Apostolica privilegium, ut Superiores Monasteriorum dicti ordinis possent recipere professionem suorum Novitiorum licet annus tirocinii non esset continuus, sed interpolatus, et propterea cupiat scire, an dictum privilegium sit a Concilio Tridentino sublatum; et an dicta professio taliter emissa similiter nulla sit, ac fuerit? censuit S. C. professionem esse nullam: *Dertusen. anni circiter* 1579.

3. S. C. declaravit annum probationis in Religione debere esse continuum, non autem interpolatum, et ideo si Orator integro anno absque ulla interruptione in probatione non stetit,

(214) *Vide not. ut supra.*

(215) *Vide not. ut supra.*

nullam, atque irritam esse professionem: *Assisien.* 24. *Martii* 1612.

4. Fr. Bonaventura Roiseco olim ab Ordine Cappuccinorum ad Ordinem Fr. Conventualium legitime translatus est. Hic in hoc Ordine dum agebat annum probationis de superioris licentia ad paternam Domum causa infirmitatis se contulit, ibique per tres circiter menses permansit, quibus elapsis ad Conventum rediit, et peracto anno professionem emisit. Dubitatur de nullitate, sed fuisse validam S. C. edixit: *Januen.* 1. *Decem.* 1668.

5. Regularem habitum suscepit Michael Mondiburo in Conventu Ordinis S. Dominici oppidi de Alcaniz, et elapsis tribus mensibus febri tertiana fuit correptus deinde quartana, et pervenit usque ad anni probationis complementum; hinc Prior protelandam censuit suam professionem sub praetextu infirmitatis. Postea inito Capitulo a majori parte rejectum remansit, et hic non acquiescens a S. C. declarari an de tacita professione constaret? curavit, at negativum tulit responsum: *Coesaraugustana Prof.* 19. *Maii* 1703.

6. Non constare de nullitate professionis, quam Antonius Degranges in Conventu Cappuccinorum Gratianopoli emisit, S. C. decrevit. Hic enim post susceptum habitum in eodem Ordine Lugduni in statu Clericali inter fratres laicos elapsis tribus mensibus tirocinii admissionem curavit, inde Gratianopolim petiit ad effectum annum tirocinii absolvendi; et hoc completo solemniter professus est. Qua de causa tres menses in statu Clericorum, alios novem in laicorum statu permanserat, ac in itinere extra claustra moratus est; *Lugdunen. seu Gratianopolitana Prof.* 2. *Junii* 1703.

7. Quum S. C. mandasset sub die 15. Decem. 1696. Episcopo Posnaniensi, ut ad Monasterium Sanctimonialium in loco Gorensi, ubi absque probationis anno in manibus superioris professio solemnis emittebatur nulla clausura servata, ac aetate legitima, duas professas Moniales ex aliquo ex vicinioribus Monasteriis Ordinis Praedicatorum in Institutrices transferret, ut Moniales, qui perseverare voluerint, iterum tirocinii annum in eodem Monasterio peragerent. Institutricium Monialium translatio perfici non potuit ob mortem Episcopi. Tamen illae assertae Moniales inito cum superioribus Ordinis consilio intra claustra sese occluserunt; atque probationis anno elapso coram superiori Regulari solemniter iterum sese Deo devoverunt. Novus Episcopus percuntatus est. An secunda professio emissa a monialibus sit nulla? et nullam non esse S. C. respondit: *Posnanien. Profess.* 27. *Aug.* 1712. *dub.* 1.

8. Fr. Michael de Marmanno in Conventu S. Mariae oppidi Morani, et Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Colloritanae regularem professionem emisit et in eodem Conventu superioris officium exercuit, sed postea judicium super ipsius nullitate instituit ea ratione, quod in Conventu pro tirocinio non destinato professus fuerat, et quod annum probationis intermiserat. Abunde vero probata praefati Conventus pro tirocinio assignatione, in altero capite nullitatis insistit Fr. Michael, eo quod cum superioris mandato ad praedia rustica accessit, semel aufugit ad stabulum non dimisso habitu, sed post unam noctem rediit. Quibus praemissis tamen S. C. praefatam professionem non esse irritam putavit: *Cassanen. Profess.* 21. *Aug.* 1717.

9. Ludovicus Bertrandus de Lairesse absoluto tirocinii anno solemniter professus est inter Donatos, sive Oblatos Ordinis Praedicatorum in Conventu Leodiensi, inde destruere suam pro-

fessionem curavit quia in Monasterio ad id non designato emiserat. A Clem. XI. Pont. Max. suae professionis nullitatis declarationem obtinuit. Inde exoravit S. C. quum jam habitu spoliatus ad paternam domum remeasset, ut validitatem suae professionis perpendens recipi iterum possit. S. C. primum scribi Nuntio Coloniae, et Inter-Nuntio Bruxellarum juxta instructionem (216) jussit: *Leodien. Profess.* 4. *Aug.* 1721. Deinde praedictam professionem esse validam statuit: 13. *Junii* 1722. *dub.* 1.

10. Fr. Antonius Lucanus anno 1715. professionem Regularem emisit inter minores Conventuales, et illam esse nullam contendit, tum quia invitus, et reluctans ad eam pervenit, tum quia completo probationis anno non fuit peractum novum diligens examen a Decretis Generalibus Clem. VIII. Pontif. Max. praescriptum, et quia formula professionis non fuit ab ipso proprio charactere subscripta. De ejusdem libera voluntate nullam quaestionem esse ait Procurator Generalis, quo vero ad subscriptionem, licet liber professionum fuerit deperditus, tamen Pater Provincialis in dicto libro eam vidisse testatur. S. C. consulta validitatem sustinuit. *Tudertina seu Amerina Nullit. Prof.* 14. *Martii* 1722.

11. Professionis vota solemnia emissa a puella Maria Constantia Secchionia in Monasterium Virginum Ursulinarum terrae Stronconii, dum extremum fere ageret vitae spiritum in manibus Abbatissae cum speciali Episcopi facultate ceteris adstantibus monialibus, sed non completo sui tirocinii statuto tempore invalida recensita fuere, etiam ad effectum dotem lucrandi: *Romana seu Narnien. Prof.* 25. *Januar.* 1744.

12. Solemnibus votis se obligavit Aniellus Colimodius in Ordine Min. Conv. S. Francisci. Sed statim putavit nulliter professum esse, quia contra Constitutionem Pontificiam admissus fuerat ad probationem, ac professionem, quum a nullo Conventu pro ejus filio fuisset receptus, et falso in libro exaratum fuisse *con la figliolanza del nostro Convento di Corigliano*; hinc S. C. re discussa nullam illam haud credidit: *Cassanen. Nullit. Prof.* 6. *Decem.* 1755.

13. Adolescens Petrus Antonius Mauri tempore suae professionis, quam inter Bernabitas emisit, animi ancipitis fuit. Facti deinde poenitens cogitavit eam infringere, et a Curia Acrhiepiscopali sententiam suis votis contrariam reportavit; quamquam a Delegato a Superiori Regulari satis constare de nullitate professionis fuerit definitum. Hic ex triplici capite nullitatem desumit; tum ex defectu interni consensus, tum ob intermissum tirocinii tempus, tum demum ob illud non completum; S. C. vero sententiae Archiepiscopi adhaesit: *Mediolanen. Profess.* 19. *Sept.* 1772. *conf.* 12. *Junii* 1773.

Professio Religiosa quoad Beneficium Restitutionis in Integrum *Vide Beneficium* §. *II.*

Professio Religiosa quoad Dispensationem *Vide Dispensatio* §. *XIII.*

§. II.

Professio Religiosa emissa ante legitimam aetatem.

1. Dum Dubium factum est, an ad validam professionem in Congregatione Camaldulensi elicendam sufficiat illam

(216) „ Ut informarent de praxi, et consuetudine patriae Leodiensis circa professiones, quae emittuntur in conventibus ad id non designatis, datae fuerunt literae in exequutionem mandatorum S. C. " *Ead. caus.* 13. *Junii* 1722. §. 3.

emisisse ad praescriptum Sac. Concilii post 16. annum completum, nec servata constitutione, quoad receptionem habitus? sufficere S. C. declaravit: *Venetiarum Nullit. Prof.* 28. *Novem.* 1665. *dub.* 1.

2. Fr. Franciscus Laicus Ordinis B. Petri de Pisis praetendit nullam professionem jamdiu emissam, ex quo praescriptam aetatem non expleverat, quae praescribit Alex. VII. Pont. Max. in decreto per S. C. super statu Regular. edito anno 1659. (217) consilium S. C. petiit, an professio hujusmodi sit nulla? negativum datum est responsum: *Neapolitana seu Romana Prof.* 14. *Junii* 1681.

3. Quum ageretur de Converso Tertii Ordinis S. Francisci, qui innixus generalibus Decretis Clementis VIII. Pont. Max. (218) petebat invalidam declarari professionem emissam quatuor mensibus ante finem anni vigesimi primi, et ex quo probationis annum intercesserit pernoctando extra claustra, S. C. explicavit non constare de nullitate professionis: *Romana Prof. et Matrim.* 17. *Novem.* 1696.

4. Frater Urbanus laicus a Patrio Castro S. Urbani professus in Conventu S. Mariae Angelorum Ordinis Min. S. Francisci de Observantia tamquam ante legitimam aetatem professus reclamare coepit, ut nulla declararetur. Exhibuit propterea fidem baptismatis, ac in pristinum statum secularem a superiore Conventus fuit redintegratus. Episcopus ad ulteriora procedi mandavit, ac inde nullam professionem pronunciavit. Haec sententia dubitationi obnoxia fuit, eo quod in laicis recipiendis clausula nulla irritans quoad aetatem contineatur. S. C. rem aperuit, et jussit, ut reassumpto habitu Fr. Urbanus redeat ad claustra, et Ordinarius assignet eidem terminum trium mensium ad deducenda sua jura in S. C.: *Assisien. Prof.* 28. *Novem.* 1705.

5. Anellus Antonius (Pizzutius in seculo) in Religione PP. Reformatorum, inde de observantia S. Francisci Fr. Damianus nuncupatus fidem Baptismi, qua aetas 20. annorum evincebatur, depravavit, alteravitque. Agens in tirocinio dolum revelavit, ac inde protestante superiore nullam esse professionem nisi 21. annum complevisset juxta Constitutiones Apostolicas, professus est. In Religione 24. annos permansit, sed quum invalide fuisse professum putaret, habitum secularem suscepit, ac uxorem duxit, quam praegnantem reliquit. Agitatum fuit dubium in S. C. de ejus professionis validitate et mandatum fuit, ut Orator exposita justificet: *Neapolitana Nullit. Profess.* 13. *Martii* 1706. Deinde pro validitate stetit. 2. *Octobr. ejusd. anni.*

6. Petrus de Souza Correa de Sà, et Benavides Regularis Professus in

(217) Die 25. Maii, in quo expresse decretum fuit, ut non possunt admitti Novitios, vel novitias ad habitum religionis, nisi habeant 15. annos completos; quod Decretum referunt per extensum Passerinus *De statu hominis t.* 3. *quaest.* 189. *num.* 17., et Nicolius *Lucubrat. Canon. Lib.* 3. *tit.* 31. *de Regul. num.* 34. *vers. unde;* et se vidisse autographum in libris Secretariae testatur Monacellus *part.* 1. *tit.* 2. *form.* 7. *num.* 3., *ubi num.* 5. subdit, quod post publicationem dicti decreti praxis universalis obtinuit recurrendi ad Sedem Apostolicam, quoties aliquis, vel aliqua cupit Religiosum habitum suscipere ante dictam aetatem.

(118) Relatis *in Const. In Suprema* 2. *April.* 1602. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 2. *pag.* 409.) ubi §. 34. cautum est „ Tempore vero probationis elapso ii tantum, qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo aetatis suae annum, quoad Clericos decimum sextum, quo vero ad Conversos, vigesimum primum excesserint) ad professionem admittantur “.

Ordine Min. Cappuccinorum sub nomine Fr. Josephi Antonii a Baeza reportata in integrum restitutione, de ipsius professionis validitate quaestionem excitavit. In medio profert Baptismatis fidem, ex qua Petrum fuisse Sacro Lavacro ablutum die 23. Febr. 1679. colligitur, et professionem regularem idem die 3. Maii 1694. emisit. Dubium proinde fuit in S. C. propositum, ad quod respondit ad mentem (219): *Toletana seu Martiten. Nullit. Prof.* 13. *Aug.* 1718.

7. Xaverius Misurellius suscepto habitu Regulari in Statu Laici, seu Conversi in Conventu Minorum de Observantia Terrae Rendae sub nomine Fr. Johannis solemnem professionem protulit. Inde contendit de ejusdem nullitate. Exponit defectum legitimae aetatis de tempore professionis contra Ordinis Constitutiones (220), vim, metumque a genitoribus incussum, ac morbum gallicum, quo laborabat eodem tempore, quo professus est, ob quem irritam professionem declarant eaedem Constitutiones (221). Haec omnia S. C. perpendit, et ut coadjuventur probationes, et ad mentem rescripsit (222): *Consentina* 30. *April.* 1729. Inde nullam esse declaravit, additque ad mentem: 3. *Sept. ejusd. anni.*

8. Carolus Morellius e civitate Cunei in Pedemontio nomen dedit Congregationi Sylvestrinorum in Monasterio S. Benedicti Urbis Fabriani. Ex fide baptimatis a Vice-Parocho Cunei exarata apparuit eum in lucem venisse die 29. Octob. 1748., et prima die Febr. 1765. professionem emisisse. Irritam hanc proinde, ac nullam Vicarius Generalis Fabriani una cum superiori Regulari pronunciarunt. Constabat enim ex authentico documento Parochi Cunei natum fuisse die 29. Martii 1749. ac apocripham esse Baptismatis fidem a Vice-Parocho conscriptam, et per errorem productam, quae nulla legalitate munita fuit. Desuper S.C. quaesita nullum coepit consilium, sed ut compulsentur fides Baptismatis, et scribatur Episcopo Montis Regalis juxta instructionem (223) mandavit: *Camerinen. seu Fabrianen. Nullit. Prof.* 27. *Febr.* 1768.

(219) S. C. respondit affirmative, proindeque censuit, ac decrevit professionem ut supra esse nullam, et invalidam, ipsumque Petrum nullatenus fuisse, et esse Religioni adstrictum, neque alligatum, et propterea facultatem deserendi Religionem, et Claustra, Regularem dimittendi, ac secularem habitum, et statum reassumendi, nec non utendi omnibus juris effectibus perinde ac si praedictam professionem non emisisset eidem Petro benigne impertita est: *Lib. Decret.* 68. *fol.* 326.

(220) Juxta quas requiritur aetas viginti annorum completorum in Laicis seu Conversis recipiendis. *Ead. caus.* 30. *April.* 1729. §. 4.

(221) *Cap.* 2. §. 1. *num.* 6. habetur „ Singuli autem ante habitus receptionem protestentur, quod si lepra morbo gallico, vel caduco, aut alia contagiosa infirmitate laboraverint, et ante professionem id ipsum celaverint, eorum receptio, ac etiam professio nulla censeatur. " *Ead. Caus.* 30. *April.* 1729. §. 8.

(222) „ Et mens fuit, ut examinaretur for„ maliter dictus Fr. Johannes a S. Marco „ *Ead. caus.* 3. *Sept.* 1729. §. 5.

(223) Episcopo in eum finem scribendum esse S. C. censuit „ ut ser. sev. et potissimum iis, quae in dictis causis praescripta sunt in Const. S. M. Benedicti XIV. incipien. *Si datam* priori loco inspectis libris originalibus baptismatis Ecclesiae Parochialis Cunei, in qua instans S. Baptismatis lavacro regeneratus fuit, devenire curet ad legitimam compulsationem fidei baptismatis, et quaenam ex duabus invicem repugnantibus exhibitis, vera, et genuina sit, tuto dignosci, atque affirmari possit. Procedet deinde Episcopus ad formale examen testium vel conjunctorum, vel affinium, vel aliorum, qui in hoc negotio se intromiserunt, aut interesse quomodolibet habere potuerunt, an dolus hac in causa intercesserit, quaeve ex causa processerit, et an instans ejusdem particeps, aut conscius, vel certior fuerit falsitatis fidei baptismatis, quam secum ad effectum emittendi professionem attulerat. "

9. Emissa solemniter professione a Josepho Antonio Dominico in Conventu PP. Seraphicae Religionis S. Francisci Reformatorum nuncupato *L'Eremita* Terrae Caesii assumpto nomine Fr. Augustini ab Acquasparte, vix paucis mensibus elapsis hic ad domum paternam se contulit, ubi a matre certior fuit factus, professionem nullam effecisse ob exhibitam baptismatis fidem non propriam, sed illam ejus praenati, et praedefuncti germani fratris Josephi Thomae. Ideo destruere suam professionem causa aetatis defectus curavit. Nam natus die 16. Decem. 1748. professus est die 27. April. 1763. Ecclesiastica Curia Spoleti nullam pronunciavit, eumque a votis absolvit: et S. C. eamdem sententiam sequuta est: *Spoletana Nullit. Prof.* 29. *Novem.* 1777. *confir.* 10. *Januar.* 1778.

10. Fr. Paschalis Veneranda Fanensis Religiosum habitum assumpsit in Conventu B. Sanctis ordinis observantiae S. Francisci Montis Birotii, ibique elapso tirocinii anno erronee asserens se esse in decimo sexto anno, et duobus mensibus suae aetatis constitutum solemnem professionem expressit. Detecto errore instituit penes superiorem conventus praedicti, ut nulla professio declararetur; et sic praevia exhibitione Baptismatis fidei in ejus favorem sententiam superior Regularis una cum Curia Pisaurensi pronunciavit. Nam professus erat aetate annorum 15. ac mensium trium. S. C. vero ad exhibitum dubium, an constet de nullitate professionis? rescripsit ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem (224): *Pisauren. Nullit. Prof.* 12. *Maii* 1781. Deinde validitas nulli dubitationi obnoxia fuit (ita S. C. sancivit): 16. *Junii ejusd. anni, confir.* 7. *Julii ejusd. anni.*

11. Irritam dicit, quam apud Carmelitas emisit, professionem P. Angelus Maria in seculo Joseph Salinas oppidi Hulvi, tres nullitatis causas adducens. Affirmat enim quod quum professus fuerit, vix annum 16. a Concilio Tridentino statutum attigerat; quod extra domum probationis, conventumque ad id designatum regularem professionem nuncupaverit, quodque anno tirocinii durante pluries ad alia loca diverterat. *Coherenti* itaque dubio perpenso, S. C. de nullitate professionis non est suspicata: *Ampurien. null. Prof.* 20. *Januar.* 1787. *confir.* 21. *April. ejusd. anni.*

§. III.

Professio Religiosa quoad Emissionem, ac Ratihabitionem.

1. De variis circa tacitam professionem quaestionibus consilio opus est S. C., quae ita explanavit; tacitam professionem a decreto Concilii *Sess.* 25. *cap.* 15., *et seq. de Regul.* (225) non esse exclusam servato tamen tempore ibi praefixo, et aliis accedentibus ad tacitam professionem de jure requisitis: *Cremonen. an.* 1578. *d.* 1.

2. Deinde articulo examinato, an pro tacita professione necessarium esset annum decimum sextum praetergredi, et per totum annum decimum septimum ratihabitionis argumenta exhibere? rescribitur tacitam professionem

(224) Et die 16. Maii 1781. Sanctissimus annuit quoad sanationem defectus citationis defensoris professionis tantum „ *Lib. Decret.* 131. *fol.* 359.

(225) Ubi decernitur „ In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante 16. annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulae, vel Religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. "

induci in ea aetate, qua expressa emitti potest: *Ibid. d.* 3.

3. S. C. respondit Superiorem intelligi illius conventus, in quo emisit professionem expressam, et cujus filius est ille, de cujus professione disceptatur: *Neapolitana* 21. *Maii* 1592.

4. Tacitam professionem non esse exclusam a decretis Concilii (226), et induci spatio anni, et diei computandi a die post 16. annum completum illius, qui Monasterium ingressus est; et accedentibus tamen his, quae de jure communi requiruntur ad inducendam tacitam professionem: *Ibid. d.* 2.

5. Ex professione sive tacita, sive expressa, infra annum probationis emissa non obligari aliquem neque in specie, neque in genere religioni: *Lucen.* 6. *Aug.* 1593.

6. Censuit S. C. ipsum Paulum esse legitimum professum atque alligatum Religioni Fratrum Min: Conv. proindeque non posse illum in seculo diutius immorari absque vitio Apostasiae: *Urbis* 13. *Januar.* 1618.

7. Censuit S. C. indultum Julii III. Pont. Max. (227) non esse sublatum ejusdem Concilii decreto *cap.* 15. *Sess.* 25. *de Regul.* (228), nec Constitutiones Pii IV. Pont. Max., quae incipit *In Principis Apostolorum* (229), ac proinde, si dictae Mulieres Poenitentes, seu convertitae professionem regularem statim in ipso ingressu emittere consueverint, nihil obstare, quominus possint etiam deinceps, non expectato probationis anno ad eamdem professionem admitti: *Neapolitana* 1. *Januar.* 1620.

8. In causa, in qua agebatur de uxore adultera, quae professionem emittere regularem exoptabat; rescripsit S. C. inspecta relatione Vicarii Capitularis Ferrariensis benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis, et accedente consensu viri denuo in forma juris valida praestando, petitam facultatem pro suo arbitrio, et conscientia oratrici gratis impertiatur: *Ferrarien.* 2. *Maii* 1693.

9. Maria Josepha Rozzia postquam vitam Religiosam inter sanctimoniales habitu assumpto in Monasterio Monialium ordinis S. Benedicti spatio trium annorum transegerat, iniit sponsalia cum Roccho Angelino. Sed ortus statim est impedimenti tacitae professionis rumor, ac inde in S. C. excussum fuit, an constaret de tacita professione? et non constare resolvit: *Aprutina Prof. seu Matr.* 20. *Apr.* 1697.

10. Celebravit in faciem Ecclesiae Matrimonium octo circiter ab hinc annis Bernardus Tabaccus cum Paulina Raini Virgine Veneta mutuo intercedente consensu. Ambo castitatem voverunt, et ad consumationem matrimonii haud devenerunt. Bernardus inde licet lapsum sit diuturnum tempus, ingredi, ac profiteri in aliqua adprobata religione S. C. consuluit, quae ut coadjuventur probationes juxta instructionem praecepit (230): *Venetiarum Ingressus in Relig.* 28. *Julii* 1703.

11. Plures contingere casus, in qui-

(226) *Vide not. praecedentem.*

(227) Namde jure antiquo annus probationis consensu mutuo utriusque partis Novitii nempe, et admittentium illum ad professionem diminui poterat; secus vero de jure novo Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.*; sed haec sanctio solummodo comprehendit Religiosos in commune viventes, strictam paupertatem, castitatem, et obedientiam profitentes, et excepit illos, qui propria Statuta habebant, quibus haud voluit Concilium derogare.

(228) Mulieres quae Poenitentes, aut Convertitae appellantur Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 18. *de Regul.* Excepit., in quibus servandus esse voluit earum Constitutiones.

(229) 17. *Febr.* 1564. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 214.), in qua revocantur indulta, ac privilegia, in his, quae Concilio Tridentino adversantur.

(230) Ut examinentur testes, et conjuges for-

bus a Regularibus habita sunt Capitula Provincialia nullitatis vitio laborantia, et a nonnullis Religiosis diversorum ordinum emissae fuerunt professiones coram superioribus illegitimis, inter quos aliqui PP. Discalceati Redemptionis Captivorum, qui S. C. consuluerunt. Haec mandavit, ut ratam facere debeant; at professi noluerunt ad illam devenire, quod vocales praetendebant nova suffragia in Capitulo dare pro admittenda, vel non ratis habitione admittenda. Hinc denuo S. C. adierunt, et decretum prodiit, in ratihabitione professionis novum requiri vocalium consensum, in casu de quo agitur: *Sicula* 18. *Novem.* 1719. *dub.* 1.

12. Ac esse consulendum Sanctissimum, ut dictorum vocalium consensum suppleat: *Ibid. dub.* 2.

13. Deinde quaesitum fuit an etiam requiritur consensus vocalium Provincialis? et S. C. respondit utique requiri: *Ead.* 16. *Decem. ejusd. anni d.*1.

14. Et pariter esse Sanctissimum consulendum ut consensum suppleat dicti Provincialis; et quoad Fratrem Dominicum? differtur resolutio, et scribi Ordinario pro informatione mandatur: *Ibid. dub.* 2.

15. Nobilis quaedam persona recepta fuit tanquam novitia in Monasterio Monialium, in quo tirocinium incepit, et magno cum devotionis fervore prosequuta est, itaut imminente anni termino, sit in statu emittendi professionem Regularem. Sed haec non advertit tuncquum Monasterium ingressa esset, se esse hermafroditam. Nunc firmat suo juramento in se notabiliter pollere foemineum sexum, et praevalere, et vix apparere virilem, cupit itaque professionem regularem emittere, et S. C. requisita; an sit admittenda? negativum datum est responsum: *Dubium Profes.* 6. *Decem.* 1721.

16. Valida a S. C. decreta sponsalia inita inter Anastasiam Archangeli, et Josephum Ferri fuit; et quum inde mulier amorem professioni religiosae ostendisset, dum in Monasterio Sancti Spiritus Eugubii degebat, translata fuit in aliud Monasterium instante sponso ad explorandam suam voluntatem. Explicandum est a S. C., an locus sit assumptioni habitus Religiosi, et professionis? S. C. respondit dilata, et ad mentem (231): *Fanen. seu Senogallien. Spons.* 20. *Decem.* 1749. *dub.* 1. Deinde affirmativum praebuit responsum. 18. *Apr.* 1750.

17. Postquam Matrimonium secreto contraxerit Nicolaus Ruitz de Turre insignis militaris gradu cum Elisabeth Ribot humilioris conditionis puella, et post aliquod mensium maritale contubernium vir coactus militari ductu alibi remigare mulierem in Monasterium collocavit, in quo impetratâ a viro aetatis 55. annorum venia cupit habitum religiosum suscipere, et inde professionem emittere. Sed S. C. cui res delata est, rescripsit, ut expectet, et ad mentem: *Barchinonen.* 23. *Novem.* 1765. Deinde gratiam indulsit pro admissione ad habitum, et tirocinium, et ad professionem non admittatur in

maliter super seq. interrogationibus 1.° quanto tempore dicti conjuges simul coabitaverint. 2.° an et quanto tempore in eodem lecto cubaverint. 3.° an Maritus impotentiae signa dederit. 4.° de quo tempore vir castitatis votum emiserit, et an fuerit super eo dispensatus. 5.° a quibus publica vox, et fama originem habuerit: referat super qualitate conjugum, et testium, praesertim super honestate morum Mulieris post separationem, nec non super asserto adulterio Mulieris: *Regist. Lit. Lib.* 23. *die* 28. *Julii* 1703.

(231) Mens autem fuit, ut Anastasia Archangeli in urbem veniat, ut libera ejus voluntas exploraretur: *Ead. caus.* 18. *April.* 1750.

consulta S. C.: 21. *Novem.* 1767.

§. IV.

Professio Religiosa quod peculiares Ordinum Constitutiones.

1. Nonnulli Regularium Ordines in vim eorum Constitutionum praetendunt nullas declarare professiones eorum, qui ante votorum emissionem interrogati morbum gallicum malitiose subticuerunt. S. C. consulta consilium cepit in dictis casibus non posse superiores ordinum nullas declarare professiones, ac Regulares ad seculum dimittere inconsulto loci Ordinario, et absque praevia restitutione in integrum adversus quinquennii lapsum: *Panormitana Nullit. Prof.* 2. *April.* 1672.

2. Dum quaeritur, an Religio Carmelitarum Discalceatorum possit quandocumque etiam post quinquennium agere de nullitate professionis contra illis, qui patiuntur defectus, quibus cautum est in Constitutionibus ordinis, et scienter celarunt? respondetur danda esse alias edita decreta, et signate Neapolitana Eject. 16. Januar 1683. (232): *Ordinis Carmelitarum Discalceatorum* 21. *Aug.* 1694. *dub.* 1.

3. Inde postulatur declarari, an agente Religione de dicta nullitate vigore praefatarum Constitutionum causa examinari debeat coram Ordinario et superiore locali tirocinii, vel coram superioribus Religionis tantum? respondetur dandum esse decretum in Neapolitana 15. Novem. 1653. (233): *Ibid. dub.* 2.

4. Fr. Carolus Maria Massius professionem solemnem emisit in conventu S. Primiani civitatis Anconae ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, ac intra quinquennium institit pro nullitate professionis eo sub fundamento, quod incurabili morbo, quem Physici *Herniam varicosam* appellant, divexaretur, ac reticuerit contra illius ordinis Constitutiones. Sed confecto processu validitas S. C. obscura haud fuit: *Anconitana Nullit. Prof.* 19. *Maii* 1708.

5. Epiphanius Pastorellus postquam professionem apud Cappuccinos sub nomine Fratris Angeli protulerat, eamdem duplici ex capite oppugnare coepit, tum quia morbo gallico laborans professus est contra ordinis Constitutiones, tum quia metu irati patris ad suscipiendum illud institutum, cui maxime adversabatur, compulsus fuerat. Hujus instantiae S. C. respondit dilata, et revideatur sententia definitorii, et ad mentem: *Ordinis Cappuc.* 20. *Novem.* 1728.

6. Fr. Dominicus Catacensis intra quinquennium infringere suam professionem tentavit; dum eam emisit, morbo gallico jactabatur, quem tamen neque tacuit, neque satis manifestavit. Facta ob id est disceptatio, utrum juxta Constitutiones Cappuccinorum, sicuti Religio non obligatur professum insanabili morbo tempore professionis laborantem retinere, ita etiam professus possit a Religione discedere? S. C. autem non constare de nullitate professionis F. Dominici Gironda declaravit: *Ordinis Cappuc.*, *seu Catacen.* 20. *Novem.* 1728.

7. Anno 1717. Pater Lelius a S. Rosa professionem emisit in Conventu S. Mariae de Schala de Urbe in Religione Carmelitarum Excalceatorum, et nondum elapso quinquennio praetensionem nullitatis excitavit, quod celavit se morbo ita affligi oculorum ante tirocinium, et tempore ejusdem, ac professionis, ut post brevem lectionem obscuretur visio et eam prosequi ille non valeat, quod est contra Constitutiones Ordinis. Deducta est res in

(232) *Vide num.* 2. *tom.* 1. *pag.* 287.

(233) *Vide Verb. Regulares* §. 1. *n.* 2.

S. C. quae validitatem tnetur. Nam Constitutiones ordinis non adstruunt professionis nullitatem, sed quod expelli possit professus in poenam sui delicti, quia videlicet morbum quem habebat, celavit: *Romana Nullit. Prof.* 16. *Decem.* 1724.

8. Sylvester Pach admissus fuit ad habitum inter Canonicos Regulares S. Augustini in Monasterio Pollingano Augustanae Dioecesis, et praevio unanimi Abbatis, et Canonicorum consensu solemnem professionem emisit assumpto nomine P. Anteri. Post aliquot menses fuit mancipatus carceribus de Abbatis mandato, deinde nulla fuit ejus declarata professio sub umbra, quod subreptionis vitio laboraret. Nam in tam varia morborum genera, et symptomata prolapsum fuisse ait Abbas, ut per integrum fere annum ad functiones claustrales, et chorales inhabilis effectus fuerit, et quod corporis infirmitati accessisset singularis mentis malitia, et dicebat insuper se nunquam consensum praestiturum. Perpensa causa a S. C. ex deductis professionem validam esse censuit: *Augustana Prof.* 30. *April.* 1729.

9. Xaverius Misurellius suscepto habitu Regulari in statu laici in Conventu Min. de Observ. Terrae Rendae solemnem professionem pronunciavit. Deinde contendit de ejusdem nullitate tum ob vim, et metum a genitoribus, et fratre majore religioso ejusdem ordinis incussum, tum ex defectu aetatis, et quia morbo gallico urgebatur de tempore suae receptionis, et professionis, propter quem Constitutiones ordinis irritam declarant professionem. S. C. autem rescripsit, ut coadjuventur probationes addendo ad mentem (234): *Consentina* 30. *April.* 1729. Deinde nullam professionem esse putavit, et subjungit ad mentem: 3. *Sept. ejusd. anni*.

10. Enteroceles, seu Herniae intestinalis vitio laborans Franciscus Nicolaus de Forrare in Monasterio Leffensi Ordinis Praemonstratensis professionem emisit spretis ejusdem Ordinis Constitutionibus quibus cavetur, ut qui morbo, vitioque aliquo corporis perpetuo teneretur, in ordine non recipiatur, ob id patefactum fuit vitium, ideoque nullam petiit professionem declarari, de qua ab Abbate Generalis Ordinis emanavit in favorem Oratoris sententia. Rem S. C. explanavit supplicandum esse Sanctisimo in casu de quo agitur pro sanatione sententiae decidens: *Namurcen.* 30. *Januar.* 1745.

§. V.

Professio Religiosa quoad Validitatem, vel Nullitatem.

1. Dubio ponderato, an si aliquid fuerit aliquo titulo eleemosynae, et propter amorem Dei absque tamen praecedenti pacto donatum Monasterio a parentibus occasione receptionis Novitii absque voto Generalis Capituli, commissum contra Constitutiones ordinarias dici debeat, adeo ut receptio tanquam simoniaca sufficiat ad infirmandam professionem? non sufficere respondetur: *Venetiarum Null. Prof.* 28. *Novem.* 1665. *dub.* 3.

2. Post obitum Principis Caroli Caraffae Isabella de Avalos ejus uxor habitum regularem suscepit sub nomine sororis Mariae a Conceptione in Monasterio Sanctissimi Rosarii Ordinis S. Augustini terrae Palmae animo emittendi professionem, quam causa infirmitatum non emisit, ac gratiam obtinuit in Monasterio remanere, habitumque deferre Monialium. Sed improvisa febri correpta pandit in articulo mortis profes-

(234) *Vide not.* 222. *pag.* 159.

sionem ac e infirmitate inde recreata est. Dubitatum hinc fuit;an esset valide quoad omnes juris effectus, et signate quoad revocabilitatem testamenti, et codicillorum, et S. C. remisit Episcopo pro informatione juxta instructionem (235): *Agrigentina Profess.* 13. *Januar* 1703. Deinde non sustineri censuit: 19. *Maii ejusd. anni.*

3. Agnes de Sangro Principis Viggiani filia ad meram educationem ingressa Monasterium Sanctissimae Trinitatis Tertii Ordinis S. Francisci, quum in adversam valitudinem incidisset non sine vitae discrimine, postulavit profiteri, ut meritum ac praerogativas aliarum Professarum consequeretur, et biduo post obiit Novitia, et Professa. Moniales illam uti professam sepelierunt, ac solutionem ducat. 1500. pro dote in professione solvenda poposcerunt. At res ad S. C. delata decretum fuit professionem per illam emissam non substineri: *Neapolitana Nullit. Prof.* 14. *Martii* 1705. (236).

4. Scripto haerede Ordine Carmelitarum Discalceatorum a Scipione Zaizio, insurrexit Nepos Carolus Franciscus Zaizus inter Patres Minorum Conventualium S. Francisci professus; successionem ad fideicommissa petens, et instantibus Carmelitis a Senatu Taurini reportavit nullitatis professionis sententiam, et postea mortem opetiit. At denuo iisdem Patribus instantibus contra quamdam Sororem dicti Caroli Francisci S. C. sancivit non constare de illius professionis nullitate: *Papien. nullit. Prof.* 8. *Aug.* 1705.

5. Definienda erant a S. C. an secunda professio Fr. Raphaelis a Matre Dei emissa in statu Clericali (nam primam in statu laicali peregerat) in ordine Eremitarum Excalceatorum S. Augustini coram Vicario Generali Religionis sine suffragiis Capituli Conventualis fuerit valida? et quatenus negative.

6. An, et quomodo sit revalidanda? sed prodiit responsum, ut audiantur interesse habentes juxta instructionem Card. Praefecti (237): *Portugallien. Prof.* 24. *Maii* 1710. *dub.* 1. *et* 2.

7. Felix Alexandra Becchelli anno 1709. ingressa est Monasterium Monia-

(235) Placuit S. C. exquirere relationem Episcopi praecipue super temporibus ingressus dictae Oratricis in Monasterium confectionis testamenti, et codicillorum, necnon professionis ab eadem emissae cum licentia ab Episcopo concessa, demandando etiam transmissionem tam dictae licentiae, quam partitae professionis. *Ead. caus.* 19. *Maii* 1703.

(236) Scripsit in hac causa Advocatus Dominicus Ursaya, et nullitatem professionis sustituit *Discep. Eccl. XXIV. tom.* 2. *part.* 2. *per tot.* Hic auctor refert causam *Veneta seu Mantuana null. prof.*, qua S. C. Concilii ex duobus fundamentis noviter deductis, ob aetatem 16. annorum non completorum et annum novitiatus vix inceptum ante professionem Magdalenae Farner, inde Soror Baptistina de Cellinis, propter vim et metum melius comprobatum, recessit a decisis sub die 31. Januar. 1688. et 25. Junii 1689., et rescripsit die 18. Aug. 1696. *Praevio recessu a decisis, non constare de professione, et ad mentem*, quae fuit, ut Episcopus Mantuanus non sineret monialem egredi e Monasterio, nisi ad effectum nubendi, ut sequutum fuit cum Doctore Caesare de Bersellis juxta relationem S. C. transmissam de mense Febr. 1697. ad eodem Episcopo mantuano, uti in *Discep. Eccl.* 3. *tom.* 1. *part.* 1. *num.* 80.

(237) Nam scriptum fuit Archiepiscopo Ulixbonen. partitam professionis transmittendam esse, auditis Superioribus, et Fratribus Conventus, ubi dictam professionem emisit super tenore Constitutionum d. Ordinis, in quibus praescribitur, quod Laici emittant 4. votum non ambiendi ad fratres Clericos; neque habendi vocem activam, et passivam, ac de pluribus circumstantiis S. C. edoceri, videlicet: an Orator perfecerit probationis annum more Clericorum juxta indultum hujus S. C., transmittendo necessaria documenta, prout etiam partitam professionis uti Clericus, quatenus ipsam emiserit, an susceperit Sacros Ordines, et à quo tempore: Rursus

lium Beatae Clarae de Montefalco, et in eodem professionem Regularem anno 1710. emisit. Haec modo constituta est in aetate annorum 30. paucis ab hinc diebus Priori Ecclesiae Collegiatae S. Bartolomaei suo fratri germano, se hermafroditam evasisse, sexumque virilem in se praevalere enarravit. Id Prior Episcopo manifestavit. Deputati fuerunt periti, qui una cum praesentia Matronarum illam recognoscerent; unanimiter hi retulerunt evasisse hermafroditam, ac proinde capax coeundi instar maris inventa est. Subiit itaque examen validitas professionis, irritam illam esse S. C. declaravit: *Spoletana* 14. *Martii* 1722. *dub.* 1.

8. Pater Dominicus Sanchez de Quesada professionem inter Patres Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum emisit. Hic nondum elapso quinquennio dubium de nullitate suae professionis proposuit. Simoniace in illum Ordinem receptum eum fuisse dicitur. Solvit enim ejus Genitor, postquam filium importunis suasionibus, minisque excitaverat, ducata 300. sine quibus Superiores eum non admissurum protestati fuerant, licet ab illis dicta summa titulo eleemosynae, ac causa erogandi eam in favorem Conventus fabricae fuerit efflagitata. De hac re S. C. censuit resolutionem differre, et dicere ad mentem (238): *Corduben. Prof. Nullit.* 1. *Sept.* 1725. Deinde non constare de nullitate respondit; etiamsi ille ostendisset eum ante professionem de homicidio fuisse iniquisitum: 1. *Decem. ejusd. anni.* Iterum causa producta rescriptum fuit ad D. Secretarium juxta mentem: 7. *Sept.* 1726. Ac demum S.C. rescriptum diei 1. Decem. confirmavit, et addidit ad mentem 28. *Julii* 1731.

9. Quaesitum quum esset; an vota Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae a piis aliquot Mulieribus Heidelbergae degentibus, et Ordinem S. Dominici, quem vocant de Poenitentia susceptis, in privata domo conviventibus, et vestem religiosam non palam, sed sub alia nigra gestantibus, emissa sint nulla; itaut puellae ad proprias eorum domos remittendae sint? a S. C. nullo emanato decreto ad D. Secretarium cum Auditore Sanctissimo pro unione causarum rescripsit. Nam coram AC. judicium pendebat circa exequutionem, et observantiam privilegiorum Ordinis S. Dominici: *Wormatien. Erect. Monast. vel Coll.* 1. *Sept.* 1731. *dub.* 2.

10. Quum nomine Mariae Constantiae Hlozekin fuisset jamdudum Summo Pontifici exoratum, ut ei liceret egredi e Monasterio Pontensi S. Mariae Magdalenae de Poenitentia Ordinis S. Augustini, eo quod etsi habitu Monialium ab anno 1709. induta esset, tamen numquam pro Moniali canonice fuerit suscepta, nec regularem professionem emiserit, nec officia Monasterii exercuerit, aut sacrum velum receperit. Summus Pontifex rem arbitrio Archiepiscopi remisit. Hic expositis verificatis, sex judicibus definiendam causam delegavit, qui pronnciarunt nec esse nec unquam fuisse Religiosam, idcirco ex Monasterio, dimisso habitu sibi est liberum exire; proindeque Monasterium deseruit. Modo ei delata haereditate, denuo quaestio de ipsius professione exarsit. De ea non constare ita ut haberi tanquam monialis nequit S.C. declaravit: *Pragen. Prof.* 4. *Julii* 1739.

11. Tria deprehenduntur in quibusdam Regni Siciliae Dioecesibus contra Tridentini praescriptum vitiose peragi.

an actus exercuerit in Statu Clericali, et an Conventus habuerit notitiam de transitus ejusdem Oratoris ex laicali ad clericalem statum, et an ille fuerit ei unquam controversus. *Regist. Lib. Lit.* 24. *die* 24. *Maii* 1710.

(238) Haec autem fuit, ut Secretarius curaret transitum praedicti Religiosi ad aliam Regularem familiam. *Ead. caus.* 28. *Julii* 1731. §. 2.

Primum scilicet est, ut Ordinarii loci de asserta professionis nullitate post elapsum quinquennium non indulta ab Apostolica Sede restitutione in integrum praesumunt agnoscere. Secundum ut ab iisdem Ordinariis, sive exacto jam quinquennio, sive illo adhuc decurrente eduntur sententiae invalidam declarantes professionem, Superioribus Conventum, in quibus professio prolata fuit, non auditis. Et tertium denique illud est, ut ipsi etiam superiores Regulares super asserta nullitate professionis nec habito, nec requisito Ordinarii loci judicio, aliquando sententiam pronuntiant; quae quidam omnia, quum aperti repugnent non solum notissimae Tridentinae dispositioni *cap.* 19. *Sess.* 25. *de Regul.* (239); Verum etiam iteratis S. C. resolutionibus, idcirco deliberandum erit, quid modo statuere oporteat, dum quaeritur; an et quomodo sit providendum? rescribitur esse providendum juxta modum a D. Secretario explicandum facto verbo cum Sanctissimo (240): *Sicula Restit. in Integ. et Nullit. Prof.* 24. *Sept.* 1740.

12. Maria Constantia Secchioni ingressa Monasterium Virginum Ursilinarum terrae Stronconii elapsis duobus, et viginti Religiosae probationis mensibus in gravem incidit morbum et dum extre-

(239) Ubi sancitur „ Quicumque Regularis praetendat, se per vim, et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante aetatem debitum professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa; aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae Religionis, juvetur " Hoc decretum prohibens, ullum Regularem audiendum esse super nullitate professionis ex quocunque capite, nisi intra quinquennium a die professionis reclamaverit, ampliatum est a Bened. XIV. *Const. si data* 4. *Martii* 1748.

(240) Modus autem fuit, ut scriberetur Episcopo Cataniensi aliisque Praesulibus Provinciae Siculae, nullumque Episcopum, sive Ordinarium inaudito Superiori Regulari Conventus, in quo fuit emissa Professio, neque ullum Superiorem Regularem independentem ab Episcopo, vel ejus Ordinario posse sub poena privationis officii, et vocis activae et passivae ipso facto incurrenda, causas nullitatis Professionis cognoscere, sed eas conjunctim ab iisdem Episcopo vel Ordinario loci ac Superiore locali Regulari, esse assignandas, sive professionis invaliditas a Religiosis, sive ab ipsa Religione ex quocumque capite proponatur. Restitutionem vero in integrum adversus lapsum quinquennii, quod a die Professionis decurrit etiamsi perduraverit causa metus, aut aliquod aliud impedimentum fuerit ad reclamandum interjectum, a S. Sede omnino esse impetrandam juxta Decreta alias edita, non obstante quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili, et quolibet asserto Privilegio. Religiosos autem, de quibus agitur, et quorum professio contra formam Sacri Concilii declarata fuit invalida, teneri intra terminum unius anni ressumere habitum, et ad claustra redire, tam pro obtinenda a S. Sede restitutione in integrum, quatenus illa indigeant, quam pro instituendo judicio ser. ser. super nullitate suae Professionis, quatenus hanc velint deducere, atque termino elapso, si non paruerint, habendas esse tamquam Apostatas. Et tandem quoad licentiam ab ipsis petitam celebrandi, firma pro nunc manente eorum suspensione sorsim deinceps providebitur juxta singulorum preces et circumstantias. Hanc vero resolutionem significandam esse Procuratoribus Generalibus Ordinum, qui Superiores locales de illa moneant, et Sacram Congr. de executione certiorem reddant. Factaque de praemissis per infrascriptum Secretarium relatione SS. DD. NN. Sanctitas Sua praedictam sententiam in omnibus adprobavit die 28. Sept. 1740. (*Lib. Decr.* 90. *fol.* 183. *et seq.*) Praesens Decretum transmissum fuit Episcopis et Procuratoribus Generalibus Ordinum prout in restrictu, qui habetur *in Lib. Decr. cit. fol. ibid.* „ *et in Regist. Lit. Lib.* 29. *die* 14. *Januar.* 1741.

mum fere ageret vitae spiritum in manibus Abbatissae, ceteris adstantibus monialibus ultro et sponte solemnia nuncupavit vota impetrata prius ad id speciali Episcopi facultate, triduoque post e vita excessit Dotem scut. 300. depositam petierunt moniales et S. C. auxilium implorarunt, in qua disputato de hac re dubio, decisum est non constare de validitate praefatae professionis etiam ad effectum dotem lucrandi: *Romana seu Narnien. Prof.* 25. *Januar.* 1744.

§. VI.

Professio Religiosa per vim, et metum emissa.

1. Gregorius XIII. Pont. Max. ex voto S. C. declaravit, eos, qui per vim, et metum se Religionem professos praetenderent, nisi infra quinquennium reclamaverint, eo elapso non esse audiendos, tametsi allegarent vim et metum semper durasse: *Nullius* 5. *Martii* 1598. (241).

2. P. Antonius Franciscus in seculo Joseph de Leggiis sub fundamento, quod per vim, et metum sui genitoris minis mediantibus, et verberibus pluries incussum professionem in monasterio S. Xisti Congregationis Cassinensis civitatis Placentiae emiserit, post genitoris obitum a Vicario Generali Episcopi nullitatis professionis sententiam obtinuit. Idcirco habitum dimisit et e Monasterio discessit. At de nullitate praedictae sententiae quae appellatione interposita suspensa fuit, fratres illius contenderunt; ideo S. C. mandavit, ut reassumpto habitu P. Leggius redeat ad claustra et causa cognoscatur in gradu appellationis in S. C., testes novi examinentur formaliter, antiqui repetantur, et recognoscantur Epistolae: *Placentina, seu Papien. Nullit. Prof.* 9. *Sept.* 1702. Postmodum decernit sententiam latam super invaliditate professionis non sustineri; itaut ipse minime dimittere habitum Religionis potuerit, sed illum reassumere tenetur: 4. *Junii* 1707. *confir.* 6. *Julii* 1709. (242).

3. Concessa Fr. Paullo Augustino Zampollo Regulari professo Ordinis Eremitarum S. Augustini restitutione in integrum adversus quinquennii lapsum demandatum est, ut causa cognoscatur in S. C., et committatur constructio judicialis processus Episcopo Cremonensi cum examine testium formaliter conficiendo: *Mantuana Prof.* 24. *Maii* 1703. *dub.* 1.

4. Et sententiam pronunciatam ab Ordinario et Superiori locali post elapsum quinquennium super validitate professionis non esse exequendam resolvitur: *Ibid. dub.* 2. Postmodum ex depositionibus testium minae, violentiae a genitore Oratoris, et ab alio Germano fratre natu majori eidem incussae ut professionem emitteret necnon impedimentum, ut posset reclamare resultant. Hac de causa S. C. constare de nullitate professionis enunciavit addens, ut procedatur per Episcopum Cremonensem prout de jure contra patrem et fratrem Oratoris 19. *Maii ejusd. anni.*

5. Completo tirocinio in Conventu

(241) Item Innocentius XI. edidit *Const. Nuper* 13. *Octob.* 1683. (*Bull. Rom. Tom. VIII. pag.* 297.), qua instante Procuratore Generale Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia in Indiis Occidentalibus confirmavit Decretum S. C. Concilii 28. Aug. 1683. seq. tenoris. S. C. censuit servandam esse dispositionem ejusdem Sacri Concilii *Cap.* 19. *Sess.* 25. *de Regul.*, et proinde injungendum prout Decreti praesentis tenore districte injungit omnibus Ordinariis locorum Regni Peruani, quatenus dispositionem praefatam omnino servent.

(242) Advocatus Dominicus Ursaya in hac causa scribens contra Religiosum nullitatem Sententiae Ordinarii sustinuit, et rationes refert *Discept. Eccl. XXI. tom.* 2. *Part. II. num.* 55. *usq. ad fin.*

B. Mariae de Alcalà Ordinis Praedicatorum Fr. Didacus Emmanuel de Canencia solemnem pronunciavit professionem. Id fecit ad avertenda continua verbera sibi inflicta, ut asserit, a quodam magistro juxta genitricis, ac avunculi mandatum, ut profiteretur, exoptantium. At quum postea ratihabuerat, censuit S. C. non constare de nullitate professionis; itaut non sit Ordinarii, et Superioris localis sententiam infirmandam: *Toletana Nullit. Prof.* 14. *Junii* 1704.

6. Jam antea obtinuerat restitutionem in integrum Hieronyma Falsona Monialis Professa in Monasterio S. Ursulae Ordinis Hierosolymitani, quum probare suae professionis nullitatem per vim et metum emissae conata fuerit. Hinc Emus D. Magnus Magister Hierosolymitani Ordinis nullitatis illius professionis sententiam protulit; et illi enim Breve restitutionis in integrum fuerat expeditum. Desuper S. C. consulta, sententiam Magni Magistri uti Delegati Apostolici esse exequendam existimavit: *Melevitana Nullit. Prof.* 8. *Aug.* 1705.

7. Soror Catharina de Guillermin Monialis professa in Monasterio S. Catharinae Senensis Ordinis S. Dominici Tolosae in integrum fuit restituta adversus quinquennii lapsum. Modo vis, metusque a patre illati, ut profiteretur, probationes validas exhibet, et de suae professionis nullitate decretum refert: *Tolosana Nullit. Prof.* 23. *Julii* 1707.

8. Ferdinandus Keiniz enunciavit, quod quum ipse in aetate annorum 17. genitore orbatus fuisset Annae Mariae Rosinae suae genitricis violentiis, regularem habitum in Monasterio in Dirnstein Canonicorum Regularium S. Augustini suscepit. Pactum Simoniacum intervenisse dicitur, quia eadem Rosina Praelato dicti Monasterii florenos 2000. persolvit ea conditione, ut Ferdinandus professionem emisisset. Factum relatum ad S. C. nulla capta resolutione coadjuvari probationes voluit: *Passavien. Nullit. Prof.* 16. *Novem.* 1709.

9. P. Marcellus de Rege Vercellensis Monachus Carthusianus asserit nulliter, et citra animum professionem emisisse in Carthusia Astae. Hic ante ingressum publicam, ac juratam contestatam denunciationem coram Senatu Taurinensi elicuit, deposuitque de minis, ac genitoris verberibus ad institutum regularem profitendum praevia bonorum renunciatione. Ad hujus preces S. C. protelavit decisionem, ut coadjuventur probationes juxta instructionem Card. Praefecti (243): *Asten. Nullit. Prof.* 24. *Aug.* 1709.. Iterum coadjuvari probationes mandavit: 15. *Martii* 1710. Inde non constare de nullitate professionis rescripsit: 5. *Julii ejusd. anni.* At inde recedendo a decisis validitatem ead. S. C. vindicavit: 20. *Sept. ejusd. anni.*

10. Quum nobilis Puella Margarita ab Austria de Corregio a S. C. obtinuisset restitutionis in integrum beneficium adversus quinquennium elapsum, ut nullitatem professionis emissae in Conventu S. Johannis Evangelistae Ordinis Benedictini per vim metumque gravem illatum a Principe Giberto patre severae indolis probaret, modo eadem S. C.

(243) „ Quae extitit, ut injungeretur Episcopo Asten. quatenus auditis judicialiter Patre, et Noverca Oratoris, exprimeret aetatem, in qua Orator ipse professus est, an Sacros Ordines susceperit, quo tempore, et a quo, an praecesserit juramentum, quod sponte, et recte professus sit ad formam Constitutionis Provincialis Mediolanen. an se immiscuerit actibus Professorum, quibus, et per quantum tempus; rursus cur non reclamaverit Orator dum permansit in Domo Parmensi, manderetque examinari formaliter Dominicum Ferrero Connovitium, et Magistrum Novitiorum, ac novas probationes ad S. C. transmitteret: *in Ead. Caus. sub die* 15. *Martii* 1710.

requisita, an constet de nullitate ipsius professionis? affirmativum dedit responsum: *Mantuana Nullit. Prof.* 20. *Febr.* 1717. (244).

11. Soror Maria Constantia Pallavicina, qui professionem emisit in Monasterio S. Bernardini de urbe, exposcit, ut professio vitio nullitatis laborare ob vim metumque sibi illatum a Marchione Nicolao Maria Pallavicino, cujus erat filia illegitima, declaretur. Hunc metum fuisse gravem tempore professionis durasse, nec ex actibus subsequutis purgatum fuisse, probat. Econtra Maria Hieronyma Arnalda, ad quam haereditas Pallavicini, devenit, necnon praedictum monasterium validitatem sustinent, metumque non fuisse ita gravem, ut infringi possit professio demonstrat. S. C. interrogata distulit resolutionem, ut Testes formaliter examinentur juxta instructionem (245): *Romana Nullit. Prof.* 16. *Martii* 1720. Iterum protelata decisio fuit, et ad mentem (246) dictum: 24. *Aug. ejusd. anni.* Denique nullitatem decidit S. C: 1. *Octob. ejusd. anni confir.* 11. *Januar.* 1721. (247).

12. Post introductum a Patre Honorato Francisco Marion coram Officiali Parisiensi judicium super nullitate professionis, quam in Ordine Cappuccinorum vi, metuque a suis genitoribus coactus emisit, ad S. C. preces exhibuit. De metu conquestus est intra quinquennium, insuper admissus fuit a Magistro Novitiorum, quin probaretur illud fecisse de mandato Guardiani Conventus. Judicium praedictum autem ex defectu pecuniae prosequutus haud est. S. C. nulla data responsione definitiva voluit ut coadjuventur probationes juxta instructionem (248): *Carnoten Nullit. Prof.* 23. *Julii* 1718.

13. Frater Bruno Arnaux professione Regulari emissa die 6. Octob. 1693. inter Carthusianos in Monasterio Montis Merulae subinde aufugit. Inde transeundi ad Religionem Canonicorum Regularium S. Augustini in Monasterio S. Mauritii apud Valesios facultatem obtinuit; sed per suam aetatem, et morbos receptorem non invenit. Hinc de nullitate professionis vi, metuque in constantem virum cadente elicitae movit quaestionem. Id testes, et pater deponunt. Attamen S. C. non constare de nullitate censuit etsi ejusdem ratihabitio ex actibus vivente patre subsequutis non evincatur: *Lugdunen. Nullit. Prof.* 7. *Sept.* 1720.

14. Xaverius Misurellius habitum Regularem in statu laicali seu conversi in Conventu Min. de Observ. terrae Rendae sub nomine Fr. Johannis suscepit, et absoluto probationis anno solemnem professionem expressit. Nunc plurima nullitatis ejusdem vitia ennaravit. Metum et vim incussam a genitoribus, ac germano fratre natu majore tunc ejusdem Ordinis Religioso aetatis defectum con-

(244) In Judicio contradictorio in favorem Mulieris scripsit Advocatus Dominicus Ursaya, cujus jura exhibet Discept. *Eccl. IX. tom.* 2. *part.* 1. *per tot.*

(245) Instructio fuit, ut extrajudicialiter audirentur R. P. D. Cervinus, et R. P. D. De Vico, et ut formaliter examinarentur pater de Matthaeis, quidam de Marchis, nonnullae Moniales, Dominus Jacobatius Fiscalis Urbis, et ejus Uxor. *Ead. Caus.* 11. *Januar.* 1721. §. 1.

(246) Mens fuit ut interrogarentur extrajudicialiter R. P. D. De Calcagninis, et Dominicus Jacobatius Fiscalis, et quod ejus uxor formaliter examinaretur: *Ead. Caus.* 11. *Januar.* 1721. §. 2.

(247) In praesenti gravi causa plurima concessit Advocatus Dominicus Ursaya pro defendenda professionis nullitatem, ac disertissime, valideque Mulierem patrocinatus est, ut patet en sua *Discept. Eccl.* 1. *tom.* 4. *part.* 1. *per tot.*

(248) Scriptum fuit Officiali Parisiensi in eum finem, ut juxta notata in adjuncta instructione S. C. plene reddat instructam: *Regist. Lit. Lib.* 25. 23. *Julii* 1718.

tra constitutiones Ordinis *cap.* 2. §. 2. T. 2. (249) ille ostendit insuper eum morbo gallico affligi tempore suae receptionis, ac professionis contendit, qua de causa juxta easdem Constitutiones professio irritatur. S. C. primum coadjuvari probationes praecepit, et addidit ad mentem (250): *Consentina* 30. *April.* 1729. Deinde esse nullam professionem decidit, et addidit pariter ad mentem: 3. *Sept. ejusd. anni.*

15. Nicolaus Lipsius terrae Gualdi Regularem habitum in Conventu Ordinis Eremitarum S. Augustini Fulginei suscepit, ibique professionem solemnem emisit. Inde infrigere suam professionem tentavit. Deponunt testes de metu, vique illi a patre illata. Sed quatuor dies ante quam profiteretur, pater extremum diem clausit, et de ejusdem obitu ante professionem non tantum per Epistolam, quam etiam oretenus certior factus fuit. Hinc ratam habuisse putatur. S. C. re perpensa validitatem professionis exploratam habuit; *Nucerina, seu Fulginaten. Prof.* 2. *Julii* 1729. Deinde Caussa reproducta censuit protelandum decretum, ut examinetur P. Johannes Maria Rossi et scribendum Episcopo, ut inquirat super veritate assertae contestatae denunciationis emissae per Nicolaum ante SS. Ordinum susceptionem: 8. *Maii* 1734. Demum inventum fuit controversae contestatae denunciationis scriptum authographum, et S. C. recedendo a decisis nullam professionem declaravit: 10. *Sept.* 1735.

16. Balthassar Vigna in aetate novem decim annorum constitutus regularem disciplinam Ordinis S. Johannis de Deo assumpto nomine Paulli Mariae amplexus est, subindeque elapso probationis anno, professionem emisit; sed nondum absolutis duobus annis, praetendens ad illam fuisse subdole a matre inductum, ejusdem professionis nullitatem proponi curavit, et favorabilem sententiam obtinuit. Sententiae acquievit Religio, non mater, quae autumavit multiplex sibi gravamen fuisse illatum, eoquod testes absque interprete et interrogatoriis fuerint examinati. Hinc secundum ea quae praeponebantur, responsum fuit, admittendos esse articulos pro examinandis testibus tam in curia, quam extra, et respective repetendos testes Religiosos cum interprete, et interrogatoriis: *Romana Nullit. Prof.* 12. *Febr.* 1735. *dub.* 2.

17. Fr. Dominicus Chiabrand professionem suam sub instituto Familiae Dominicanae in Conventu civitatis Cherii emissam per vim, et metum a patre sibi extortam intendit. Hinc egit de infirmanda coram Ordinario Taurinensi, et non valuit; coram tamen Priore Conventus sententiam nullitatis retulit. Res deinde devoluta est ad S. C. penes quam nullitatem tuetur, quod professionem illam pronunciavit persuasionibus, minis verberibus, itaut dum aliquando pertinaciter impediebat, ne Sarcinator ad corpus suum primae vestis Religiosae formam designaret, non erubuerit pater eumdem districto ense persequi donec paternae cederet voluntati. S. C. omnem de nullitate ejusdem dubitandi ansam ademit invalidam esse decernens: *Taurineñ. Nullit. Prof.* 4. *Aug.* 1736.

18. Quum nobilis puella Maria de Prado Avellano contenderit professionem quam in Monasterio S. Dominici Villae Matritensis sub nomine Mariae Emmanuelae emisit irritam esse ob vim, metumque a Marchione Aloysio Francisco parte illatum, restitutionem in integrum postulavit et assecuta est. Ob id coram Locumtenente Vicariatus Villae praedictae nullitatem professionis evincere

(249) *Vide not.* 220. *et* 221. *pag.* 159.

(250) *Vide not.* 222. *pag.* 159.

conata est, et contrarium retulit responsum. S. C. tamen, ad quam puella provocavit, irritam judicavit: *Toletana Nullit. Prof.* 27. *Sept.* 1738.

19. Restitutionis in integrum beneficio obtento ab Aloysio de Almeida Religiosae professionis vinculo adstricto in conventu B. M. V. Gratiarum Ordinis Eremitarum S. Augustini, curavit omni studio suam professionem ob patris violentias destruere, et S. C. de ejusdem nullitate dubitare non valuit. Nam a patre cognito adverso statui religioso filii animo coepit ille minis eumdem tenere, necnon pugnis, colaphis, aliisque verberibus torquere, imo non semel stricto ense insiliit: *Ulyssiponen. Orientalis Prof.* 17. *Decem* 1740.

20. Declaravit S. C. nullitatis notam praeseferre professionem illam a nobili Eleonora Lasso Vega in Monasterio oppidi nuncupati *de Carmona* praevia restitutione in integrum concessa, emissam. In comperto enim habuit defectum ex causa metus, verecundiae, seu reverentiae, quae patri debetur, una cum minis, alimentorum denegatione, necnon blanditiis ac suggestionibus binae Amitae, quae in eodem Monasterio degebant, et patrui, qui et Ordinis S. Francisci Provincialis erat, et monasterio cum imperio praeerat; atque proinde exploratus fuit defectus consensus: *Hispalen. Nullit. Prof.* 28 *Januar.* 1747.

21. Statim Feliciana Britto beneficium restitutionis in integrum adepta est, ut judicium ad irritandam suam professionem in Monasterio S. Annae elicitam instituit. Docet S. C. de vi metuque a Matertera, atque Aloysio patre incusso. Praebet documenta tantae inhumanitatis, sive ingenii inclementiae sive calliditatis, astusque ipsius Materterae, quanta animum Oratricis metu capiendum, flectendumque valeret, ut siquid peccatum esset incaute a puella, verberibus expiaretur. Itaque una cum patris imperio professa est, exhibens luculentissima suae naturae repugnantis indicia. Putavit itaque non esse monialem ideoque omnibus monasticis officiis vacavit. S. C. igitur nullam illam esse existimavit: *Lisbonen. Nullit. Prof.* 15. *April.* 1747.

22. Nicolaus Gargiulius filio Josepho suasit, ut alicui Regulari Ordini nomen daret: negavit Joseph, pater vero ita institit ut mortem veneno inferendam ei indixerit. Sed his minis fractus non fuit animus filii. Dein e domo illum expulit, inde accusavit in Curia Archiepiscopali quod ab obsequio defecisset, et hac de causa in carcerem conjectus est, donec Monasterium ingrederetur. Quamobrem vestes Ordinis Discalceatorum S. Mariae Mercedis suscepit animo eas abjiciendi. Ante professionem contestatam denunciationem emisit se viribus Praeturae compulsum, et per vim metumque ad monasterium accedere. Factus Sacerdos de nullitate professionis judicium instituit, et S. C. de ea non constare affirmavit: *Neapolitana Nullit. Prof.* 14. *Martii* 1750.

23. Nullam dicit P. Elias Maynerius nuncupatus professionem, quam in monasterio Carmelitarum Placentiae declaravit. Nullitatis causam praecipuam sumit ex defectu voluntatis, et consensus Regularem disciplinam profitendi. Adactus fuit ad eam suscipiendam ex saevitiis, vi metuque illatis a Julio patre qui militari ingenio omnia ferro, armisque tractabat. Constat de verberibus, catena ferrea, aliisque deque animo suo adverso. S. C. tamen validitatem sustinuit. *Placentina Nullit. Prof.* 19. *Decem.* 1750.

24. Tenuis Mensa, trites vestes, graves minae, verbera, labor insuetus in operibus rusticis in causa fuerunt, ut juvenis Johannes Baptista Amista e paternis laribus fugere cogitaret, et no-

men militiae dare; sed praepeditus monasterium montis Regalis Min. Observ. S. Francisci ingressus est, ubi invitus, ac repugnans professionem emisit. Adversus hanc reclamavit, et S. C. adiit, quae non constare de nullitate ejusdem decernit: *Montis Regalis Nullit. Prof.* 17. *Novem.* 1753.

25. Nondum elapso biennio a die professionis, quam emisit in Monasterio Patrum Min. Conv. Mediolani P. Ludovicus Gaddius querelam nullitatis proposuit tum ob defectum interni consensus, tum ob vim, metumque a fratre majori illatum. Primum dicit professionem emisisse ficte, ac simulate, neque Clericalem tonsuram, nec minores Ordines suscepisse, nec regulas Religionis observasse, deinde exhibet minarum ac verberum documenta. Rem planam reddit haec S. C. nullam declarando: *Mediolanen. Nullit. Prof.* 23. *Aug.* 1755. *confir.* 13. *Sept. ejusd. anni.*

26. Labefactare curat suam professionem, quam inter Carmelitas emisit P. Theresius Pelusius vi, metuque ab Antonio patre illatis. Narrat hic jussu patris in carcerem publicam conjectum fuisse, inde ad Patrum Observantiae claustra translatum. Et quum esset pater Advocatus Carmelitarum, Carmelitam designavit. Omnibus studiis vacavit, ut adolescentis animum flecteret, minas, verbera adhibuit, necnon carcerem, et e domo expulsionem minatus est. Sed quum semper animum suum reluctantem ac adversum ostendisset, S. C. nullitatem admisit: *Lycien. Nullit. Prof.* 2. *April.* 1757. *confir.* 21. *Maii ejusd. anni.*

27. Querelam nullitatis suae professionis proposuit P. Æmilianus Gerlinchs Monachus Monasterii Cremifaniensis Ordinis S. Benedicti. Edidit probationes de vi metuque sibi a patre illato, quem metuens ne in carcerem conjiceretur, sese in Monasterium restituit, ac Professionem, quam animo perturbato, ac lacrymans emisit, simulatam fuisse asserit. S. C. autem non constare de illius invaliditate sancivit: *Passavien. Prof.* 3. *Decem.* 1757. *confir.* 22. *Julii* 1758. *et* 18. *Julii* 1761.

28. Soror Maria Antonia Capella suscepto regulari instituto in Monasterio civitatis Summae in integrum restitui contradicentibus fratribus ipsius obtinuit. Inde processit super nullitate professionis prout de jure ad formam Concilii Tridentini (251) coram Episcopo, qui innixus juribus deductis definitivam protulit sententiam, declaravitque professionem Oratricis fuisse simulatam ac simulate ab ipsa peraliam Monialem emissam ob timorem scilicet reverentialem erga parentes cadentem in Mulierem constantem inspectis ipsarum importunis precibus, adjunctis minis, deceptionibus, fallaciis, et asperis tractationibus, proindeque praemissis de causis fuisse, et esse ipso jure nullam, et invalidam, utpote ab ea praeviis artibus extortam. S. C. re discussa hanc sententiam confirmavit: *Nolana Nullit. Prof.* 23. *April.* 1763.

29. Stephanus Denisko vestem religiosam suscepit in Conventu Cremenecensi Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium assumpto nomine Florentini, ac solemnem professionem emisit. Quumque vi metuque gravi a patre illato coactus fuisset, rescissoriam actionem proposuit coram Ordinario, ac Religionis Superiore, quorum sententiae suis adversantur votis. Probare curavit minas, ac passa verbera, animumque suum reluctantem ad consentiendum; sed in actu professionis nullum coactionis signum praebuit, vocavitque parentes, ut interessent. S. C. proinde validita-

(251) *Vide not.* 239. *pag.* 167.

tem eiusdem defendit: *Leopolien. Null. Prof.* 2. *Decem.* 1775.

Professio Religiosa Religionis Hierosolymitanae *Vide Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani* §. *VII.*

Prohibitio *Vide Alienatio* §. *II. Contractus* §. *VI.*

Prolis Legitimitas *Vide Matrimonium* §. *XXV.*

Promotor Fiscalis *Vide Archiepiscopus etc. Episcopus .*

Promovendus *Vide Sacramentum Ordinis* §. *VII.*

Promulgatio *Vide Concilium Tridentinum etc.*

Prophanatio *Vide Ecclesia in Genere* §. *II. Oratorium* §. *IV.*

Proprius Parochus *Vide Matrimonium* §. *XVII.*

Prorogatio *Vide Applicatio* §. *IV.*

Prothonotarius.

Prothonotarii non participantes immediate creati a Papa connumerari debent inter illos Officiales, de quibus loquuntur *Extravag. Cum Matthaeus de haeretic. et Divina in eminenti de privil.* (252) ita ut Ordinarii locorum non possit in illos ferre censuras, et in illorum Dignitatibus, et Beneficiis non curatis se intromittere, aut quoquo modo immiscere et judicare sub poenis in dicta *Extravag.* contentis. *Dubia Exempt.* 20. *Junii* 1682. *dub.* 1.

Proto-papa (253).

1. Protopapae id est primo Presbytero oppidi S. Christinae non competit facultas concedendi licentias Sacerdotibus non assistendi divinis Officiis, et operariis laborandi in diebus festis: *Oppiden.* 14. *Martii* 1722. *dub.* 1.

2. Et dubio examinato, an eidem Proto-papae debeantur distributiones quotidianae duplices, seu eleemosynae suffragiorum, non obstante absentia a choro ob impedimentum curae animarum? rescribitur, dilata et coadjuventur hinc inde probationes citatis interesse habentibus: *Ibid. dub.* 2.

3. Et deciditur dicto Proto-papae fas non esse sedere in choro in sede coriacea distincta a scamno aliorum de Clero in audiendis Concionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis peragendis, exceptis tamen concionibus habendis ab ipso extra chorum: *Ibid. dub.* 3.

4. Idemque competit facultas dispensandi, et ordinandi divina officia in Ecclesia Matrice, aliisque filiabus S. Cristinae juxta tamen tabulam horariam, vel alias ordinationes ab Episcopo factas, vel faciendas, et quoad usum mozzettae coadjuventur probationes praefixo termino sex mensium, et interim in dicto usu ei molestia non afficiatur: *Ibid. d.* 10. Deinde Alexandro Zerbio Proto-papa postulante *die* 17. *Novem.* 1725. S.C. declaravit non competere ei usum mozzettae, licere tamen eidem deferre habitum Notarii non participantis in diebus, et functionibus juxta decreta S. C. Rituum et inde stetit in decisis quoad usum

(252) Quarum prima decernit, inquisitores haereticae pravitatis censuras ecclesiasticas fulminare non posse in Officiales, et Nuncios Sedis Apostolicae sine ipsius licentia speciali; sed de eorum excessibus informationem facere posse, et deinde Romano Pontifici significare. Altera disponit, Ordinarios non posse ferre censuras in Officiales Sanctae Sedis suos Subditos in dictae Sedis obsequiis, vel alios quoscumque pro suis negotiis Romam euntes, ibi manentes, aut ab ea recedentes, nec illos privare beneficiis; quod si fecerint, irritum est. Etsi beneficia illorum aliis sint collata, tam dantes quam recipientes ipso facto sunt excommunicati, et a solo Papa absolvendi.

(253) Habemus *Const. Romana* 18. *Martii* 1743. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag.* 118.) qua Bened. XIV. confirmat Dignitatem Protopapae, ejusque praerogativas in Ecclesia Collegiata S. Mariae *del Graffeo* Messanae, necnon Ritus Graeco-Latini perpetuo servari jubet; atque electionem ejusdem Ecclesiae Clero privative praeservat.

mozzettae : 23. *Sept.* 1747. *dub.* 1.

5. Et ad dubia explananda, an constet de concessione stalli in Choro commutati cum sede coriacea eaque sit servanda? et quatenus affirmative.

6. An sit standum, vel recedendum a decisis? S. C. respondit, servandam esse resolutionem anni 1722. quoad sedem coriaceam: *Ibid. dub.* 2. *et* 3.

Provisio *Vide Archidaconatus, Benefica Ecclesiastica* §. *II. Concursus* §. *II. Ecclesia Parochialis* §. *II.*

Provocatio *Vide Concursus* §. *V.*

Publica Honestas *Vide Matrimonium* §. *XIV.*

Publicum Oratorium *Vide Oratorium* §. *II. usque ad V.*

Puellarum Acceptio *Vide Monasterium Monialium* §. *V.*

Puellarum Conservatorium *Vide Conservatorium Puellarum.*

Puerperarum Benedictio *Vide Benedictiones etc.*

Purgatio Attentatorum *Vide Attentata etc.*

Putativum Matrimonium *Vide Matrimonium* §. *XXX.*

Quaestores.

1. Ignoratur an ut Quaestores a Synodo damnati penitus arceantur, Ordinarii possint facultatum, quae a Superioribus Regularium Mendicantium eleemosynae conquirendae causa conceduntur, aliquam cognitionem, et qualem habere, ne sub nomine eorum, qui per Regularibus ea de causa circumibunt Quaestores prohibiti introducantur non sine maximo eorumdem Regularium Mendicantium praejudicio? S. C. aperuit sic non prohibere Regulares Mendicantes, quominus eleemosynas quaerant, non tamen alios eorum nomine, aut auctoritate quoquo modo posse quaeritare. Illos tamen extra loca, ubi sita sunt Monasteria, eleemosynas per eamdem Dioecesim corrogantes teneri ad ostendendam ordinario licentiam suorum superiorum: *Mediolanen. Junii* 1587. *dub.* 8.

2. Dum S. C. scrutata est, an societas S. Mariae Coronatae, seu suffragium Bononiae aggregata Archiconfraternitati Suffragii de Urbe possit retinere capsulam in Ecclesia pro eleemosynis? ita etiam, an possit habere quaestorem, qui per Ecclesiam, et civitatem illas quaerat? respondit dari decretum in Lunen. Sarzanen. 19. Aug. 1690., et 13. Januar. 1691. dub. (1): *Bononien. Jur. Paroch.* 17. *Nov.* 1691. *dub.* 6.

3. Utrum autem eorum, qui dum in habitu Regulari sunt extra claustra cum populi offensione delinquere apprehenduntur, valeant Ordinarii aliquam inquisitionem, cognitionemque adhibere, et ad effectum, ut si extra claustra eos degere appareat ab ipsis Ordinariis, si vero intra claustra ab eorum superioribus, in ipsorum vero defectum ab iisdem Ordinariis juxta formam *in cap.* 14. *Sess.* 25. *de Regul.* (2) traditam puniri possint? rescribitur degentes etiam de licentia

(1) *Vide num. 6. tom.* 3. *pag.* 224.

(2) Ibi „ Regularis, non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit, et extra ea ita notorie delinquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum, severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat : sin minus a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo punire possit “. Hoc decretum ampliatum fuit a Clemente VIII. *Const. suscepti* 23. *Febr.* 1596. infligente §. 3. poenam privationis dignitatum, et officiorum latae sententiae contra Superiores hoc Tridentini decretum non servantes in omnibus ; et addente, quod si Superior regularis suum religiosum, ut supra delinquentem, non punierit, et illum impunitum a loco delicti ad alium suae Religionis transmiserit, instante Episcopo loci delicti, intra terminum ab eodem praefigendum debeat dictum delinquentem ad eumdem locum delicti revocare ; alias idem

suorum Superiorum extra claustra si deliquerint puniendos ab Ordinario *ex cap.* 3. *Sess.* 6. (3); Si vero intra claustra degant, et notorie extra delinquant posse a ministris Ordinarii in carcerem conjici, remittendos tamen statim absque eo quod processus conficiatur, ad Superiores suos Regulares una cum probationibus quascumque habuerit: *Ibid. dub.* 9.

4. In controversia inter Episcopum Bertinori, et Abbatem Camaldulensem monasterii de Urano super eleemosynis quae intra et extra Ecclesiam S.Mariae de Lacu ad ipsos spectantem, et ab Episcopali jurisdictione donationis vi exemptam fiunt, vertente, S.C. definivit, collectorum, et eleemosynarum, que intra Ecclesiam B. M. V. de Lacu leguntur, perquisitorum deputationem ad Abbatem absolute spectare; illorum vero, qui extra Ecclesiam stipem emendicant, ad eumdem cum illius Ordinarii venia, in cujus Dioecesi eleemosynas exquirunt pertinere: *Britonorien. Exemp. et Eleem.* 12. *Decem.* 1711. *dub.* 3.

5. Et haud licere Episcopo sub ullis poenis cogere collectores eleemosynarum, quae fiunt in Ecclesia S. Mariae de Lacu, quae pertinet ad Monachos Camaldulenses a Visitatione Episcopi exempta, ad rationem reddendam celebrationis Missarum manualium, quae a fidelibus offeruntur pro dicta Ecclesia, S. C. edixit: *Ibid. d.* 7.

6. Dubio ponderato, an et cui in terra Urbisaliae, ubi adsunt Praepositus Ecclesiae parochialis S. Georgii, et Plebanus Ecclesiae Parochialis S. Laurentii, competat jus deputandi Quaestores in Quadragesima pro eleemosynis animarum purgantium? esse servandum Decretum Visitationis, donec aliter ab Episcopo statutum fuerit S. C. visum est: *Maceraten. Jur. Paroch.* 17. *Junii* 1719. *dub.* 10.

Quaestua *Vide Concionator* §. *II.*

Qualitas *Vide Beneficia Ecclesiastica* §. *XI. Canonicatus* §. *VI. Capellania* §. *VIII. Ecclesia in genere* §. *VI. Legatum Pium* §. *XI. Oratorium* §. *I. Vicaria Perpetua* §. *II.*

Qualitas Nullius Dioceseos *Vide Abbas* §. *VIII. Abbatia.*

Qualitas Ordinandorum *Vide Sacramentum* §. *VII.*

Quantitas *Vide Alimenta etc. Sussidium Dotale* §. *VI.*

Quarta Decimarum *Vide Episcopus* §. *XX.*

§. I.

Quarta Funerum (4) *quoad Exemptionem, et Consuetudinem.*

1. Post Ecclesias seculares insurre-

Superior incurrat poenam privationis vocis activae, passivae Papae reservatam; et crescente contumacia possit, et debeat Ordinarius loci, ad quem transmissus est delinquens, sive requisitus ab Ordinario loci delicti, sive aliter informatus, procedere adversus eumdem, eumque punire juxta dictum Tridentini Decretum, tanquam Sedis Apostolicae Delegatus. Ex Const. Gregorii XV. *Inscrutabili* 5. *Febr.* 1622. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 5. *pag.* 1.) §. 4. Regulares nullis previlegiis, ac exemptionibus tueri se possunt, quominus si delinquerint circa personas, intra Septa Monialium degentes, aut circa Clausuram; vel circa bonorum administrationem Monasteriorum earumdem Monialium, etiam Regularibus subjectarum „ ab Episco„ po loci, tanquam ad hoc Sedis Apostoli„ cae Delegato, quoties, et quando opus fue„ rit, puniri, corrigi valeant."

(3) *De Reform.* ubi habetur „ Ecclesiarum Praelati ad corrigendum subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendant: et nemo secularis Clericus, cujusvis personalis, vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii praetextu tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas Sanctiones, visitari, puniri, et corrigi valeat."

(4) Si aliquis extra Ecclesiam parochialem tumulo mandetur, ex iis rebus, quae ad a-

xerunt Ecclesiae Regulares civitatis Mantuae allegantes privilegia, ac consuetudinem, in earum favorem quoad quartam funerum, et tunc S. C. Parochos adstrinxit ad coadjuvandas probationes super consuetudine: *Mantuana Quart. Funer.* 17. *Martii* 1696. deinde jussit, ut exhiberentur privilegia Regularium, et interim solitum servaretur; ac demum censuit S. C. consuetudinem solvendi quartam in medietate cereorum tantum, quae deferuntur per viam, esse servandam (5): 18. *Julii* 1699.

2. Dubio prolato, an Patres S. Dominici ordinis Praedicatorum civitatis Tabernarum sint exempti a solutione quartae funerum tam de cereis, et aliis, quae deferuntur cum cadavere, quam de cereis, et ceteris quae ante, vel post delationem ipsius cadaveris asportantur ad eorum Ecclesiam, et apponuntur in Castro doloris in eadem Ecclesia erecto? Nulla edita resolutione jussit S. C., ut coadjuventur probationes per Parochum super consuetudine assignato eidem termino sex Mensium ad probandam: *Catacen. Quart. Funer.* 15. *Sept.* 1703.

3. Patres ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Urbis Æsii cum clausula sine praejudicio jurium Parochialium obtinuerunt facultatem aperiendi in eorum Ecclesia Sepulcrum, et pro triginta quatuor annos de cadaveribus ibi tumulatis quartam funerum Parochis semper solverunt; modo renuunt freti eorum privilegiis, ac S. C. consuluerunt, quae non deberi quartam funeralem sancivit: *Æsina Quart. Funer.* 14. *Junii* 1710.

4. Pro funere defuncti eligentis se-

liam Ecclesiam funeris causa delata sunt, pars aliqua detrahitur, quae dicitur *quarta funeraria* seu *Canonica*, et parochiae tribuitur. Nam justum visum est aliquid ex iis rebus dare Ecclesiae parochiali, quae defuncto curam spiritualem impendit *Cap.* 1. *de Sepult.* Plures sunt Romanorum Pontificum Constitutiones, per quas regulares, quorum in Ecclesiis fidelium cadavera sepeliuntur, ab hujus quartae solutione liberantur. Cunctasque memorat Gaudentius a Janua *de Visit. Praelat. regul. tom.* 2. *cap.* 7. *dub.* 20. *sect.* 3. *num.* 35. §. 1. Sed Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.* sancivit, ut ii Regulares, qui annis ante ipsum Concilium quadraginta quartam solvere consueverant, eam etiam in posterum solvere deberent, ceteri, qui ante hoc tempus nunquam solverunt, eodem onere non tenerentur. Decretum hoc Synodi Tridentinae declarant S. Pius V. *Const. Etsi Mendicantium* 58. (*Bull. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 373. Gregorius XIII. *Const. In tanta* 15. (*Bull. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 270.) Paulus V. *Const. Decent.* 6. (*Bull. tom.* 5. *part.* 3. *pag.* 150. Denique Benedictus XIII. *Const. Romanus Pontifex* 4. *Kal. Maii* 1725. (*Bull. tom.* 11. *pag.* 394.) omnia sustulit privilegia post *Clement. Dudum de Sepult.*, et post Concilium Tridentinum concessa Regularibus, qui sunt in Italia, atque in Insulis ad eam pertinentibus, de non solvenda quarta parochiae defunctorum, qui in eorum Ecclesiis sepeliuntur. Hodie igitur hac lege Benedicti XIII. reguntur Monasteria Regularium in Italia, atque in finitimis insulis; ceteri Regulares, qui extra has regiones commorantur, Tridentinae, quam memoravi, subjiciuntur. Haec autem portio non eadem ubique est, sed alibi quarta, alibi tertia, alibi major, aut minor pro gentium moribus *cap.* 9. *eod.*, verum, quantacunque, sit semper *quarta* appellatur; atque ex consuetudine, pactisque conventis noscitur, quibus ex rebus detrahenda sit. Generatim tamen non detrahitur ex donationibus inter vivos, neque ex legatis Missarum, et anniversariorum, atque ex ceteris, quae pia relicta dicuntur *cap.* 10. *eod. cap. ult. de Testam.* Vide S. Pium V. *in cit. Const. Etsi Mendicantium*, *et* Benedictum XIII. *cit. Const. Romanus*.

(5) „ Debitum servandae consuetudinis est „ in terminis aequitatis, quia ex multorum „ locorum praxi, pompa funeris celebratur „ intra Ecclesiam, et nihil ferre defertur „ cum corpore defuncti; unde si in praefa„ tis, et de solis iis, quae cum corpore de„ feruntur, esset quarta solvenda, relevans „ praejudicium Parochi reportarent " Mattheuc. *Offic. Cur. Eccl. Cap. XLII. num.* 4. *pag.* 337.

pulcrum in Ecclesia PP. Carmelitarum Discalceatorum non debetur Parocho ejusdem defuncti quarta funerum, sed obstet exemptio consuetudinibus fundata, ac a dictis Patribus allegata praefatam quartam non solvendi: *Lauden. Funer.* 2. *Maii* 1711. *dub.* 4. (6)

5. Quum cadaver Antonii Mariae Pinnae delatum fuerit ad gentilitium sepulcrum situm in Ecclesia Cappuccinorum oppidi Nului, Parochus praetendit quartam funerum, et jus sepulturae exigere ratione consuetudinis juris assistentiae munitae, S. C. non deberi quartam funeralem definivit: *Ampurien. Quar. Fener.* 6. *Junii* 1716. *dub.* 1.

6. Resolvitque deberi jus sepulcri pro quantitate per Episcopum taxanda, licet Patres Cappuccini se exemptos esse vigore privilegiorum frustra autumarent: *Ibid. dub.* 2.; et causa reproducta ut coadjuventur probationes juxta instructionem (7) respondit: 19. *Junii* 1717.

7. Quatuor adsunt Parochiae in Urbe Fabriani, eorumque Parochi titulo quartae funereae nihil exigere consueverunt quoties incolae alterius ex eorum Ecclesiis sepulcrum elegerunt in altera earumdem et hanc reciprocam remissionem quartae ex conventione originem trahere assertum fuit, nec Sacris Canonibus repugnare, quum haud esset exemptio a quarta, quae expresse prohibetur. Ecclesia S. Venantii in Cathedralem erecta, ejus Parochus consuetudinis observantiam reclamante Parocho S. Blasii PP. Camaldulensum postulavit in S. C., quae postquam formale testium examen praescripserat, constare de consuetudine non exigendi praedictam quartam quoad ceram funeris tantum, respondit: *Fabrianen. Quar. Funer.* 9. *Febr.* 1732. *dub.* 1.

8. Adeoque servandam esse consuetudinem quo ad ceram praedictam tantum decrevit: *Ibid. dub.* 2.

9. Fratres Minimi exemptione a solutione quartae funeris potiebantur vigore privilegiorum. Edita tamen Constitutione Benedictina (8) Moderator Generalis ordinis quaesivit, num ordini adempta fuerit exemptio, et quoad Dioecesim Consentinam tantum exemptionem subtractam non fuisse rescripsit: *Ordinis Minimorum Quar. Funer.* 14. *Martii* 1733. *d.* 1. At obloquentibus Parochis Dioeceseos Consentinae re iterum perpensa judicatum S. C. obliteravit, Regularesque praedictos teneri ad solutionem quartae funeris censuit: 30. *Julii* 1735. *confir.* 10. *Sept. ejusd. anni*.

10. In fundatione Monasterii, seu conventus S. Mariae Angelorum oppidi Atellae inter clerum secularem dicti oppidi, et PP. Minores observantes reformatos sententiarum varietas nulla fuit, ut iisdem jus esset funerandi fidelium cadavera in eorum Ecclesia absque ullo onere solvendi quartam canonicam Parocho, prout nunquam exsolverunt; ast contradicente

(6) In favorem Patrum Carmelitarum defensionem susceperat Advocatus Dominicus Ursaya, cujus jura, rationesque exhibet *Discept. Eccl. XIV. et seq. tom.* 1. *part.* 2. *per tot.*

(7) Nempe, ut testes formaliter examinentur super praetensa consuetudine, et an illa initium habuerit a libera totius populi voluntate, vel potius a coactione Ministrorum Ecclesiae; et quatenus res ita antiqua sit, et obscura, ut causa ejus introductionis, testes omnino lateat, ulterius interrogentur, an semper bona fide, populoque consentiente jus istud exactum fuerit, et solutum quommodo, in quibus casibus, et in qua quantitate; sententias insuper, et documenta, si quae sunt super dicta controversia transmittat: *Regist. Lit. Lib.* 25. *die* 19. *Aug.* 1717.

(8) *Vide not.* 164. *tom.* 3. *pag.* 243.

exinde clero declarandi ipsos exemptos esse ab hujusmodi onere vigore conventionis initae in limine fundationis eorum conventus, ideoque locum non habere Constitutionem Benedictinam, quoties quarta ex contractu remissa dignoscitur, opus fuit : *Melphien. seu Rapollen. Quar. Funer.* 17. *Maii* 1749. *confir.* 5. *Julii ejusd. anni*.

§. II.

Quarta funerum quibus, a quibus, de quibus solvi debeat.

1. Patres Minores Conventuales conquerens plures Parochos sibi sumere ab haeredibus defunctorum tantundem cerae quantum in funere in Ecclesiis Regularium, dum cadavera sepeliuntur, consumitur; ancipites sunt, an Parochi praeter quartam consuetam possint in casibus hujusmodi quidquam praetendere? negativum datum est responsum : *Conventualium Quar. Funer.* 27. *Martii* 1677.

2. Dubio excitato: an Patres Cappuccini teneantur ad solutionem quartae funeris ex exequiis eorum, qui in Ecclesia conventus eorumdem sepeliuntur? S. C. non teneri deliberavit: *Cappuccinorum Quar. Funer.* 21. *Maii* 1678.

3. S. C. consulta; an pro sepulcro Canonici Cathedralis, et simul Parochialis Ecclesiae habitantis intra fines alterius Parochiae, ex quo dicta Ecclesia Cathedralis aedibus Canonicalibus caret, et occumbentis debeatur quarta funeris Parocho Cathedralis, vel Parocho domicilii? deberi Parocho domicilii respondit: *Tyburtina Juris Administ. Sacram., et Funer.* 12. *Maii* 1685. *dub.* 3.

4. Quaeritur, an Parocho debeatur quarta funerum pro famulis, et inservientibus Monialium Monasterii S. Matthaei Congregationis Lateranensis Spoleti, et degentes in domo intra fabricam, et atrium monasterii constructo, ibique ex corporis carcere solutis? affirmative respondit, quatenus elegerit sepulcrum in alia Ecclesia, quam Parochiali : *Spoletana Jur. Paroch.* 19. *April.* 1692. *dub.* 5.

5. Dubitatur, an pro defunctis Canonicis Ecclesiae Cathedralis, quae et Parochialis existit, degentibus intra fines alterius Parochiae, Parocho domicilii debeatur quarta funerum? dandum esse decretum in Tyburtina Jur. Admin. Sacram. et funer. 12. Maii 1685. (9): *Tolentinaten. Jur.Paroch.* 11. *Sept.* 1694. *dub.* 2.

6 Quoad consuetudinem solvendi ad minus libras 12. pro cereis funeris, quae accendebantur circa cadaver, et castrum doloris impugnatam a nonnullis civitatis Mantuae S. C. censuit non esse gravandos haeredes ad dictam solutionem, sed reservanda jura parochialia adversus Ecclesias tumulantes : *Mantuana Quar. Funer.* 16. *Januar.* 1694. Hinc Parochiales sua jura prosequutae sunt adversus dictas Ecclesias tumulantes, et S. C. in sensu fuit, ut medietas debeatur omnium, quae ratione funerum erogabantur: 10. *Julii ejusd. anni d.* 1. *confir.* 30. *April.* 1695.

7. Necnon idem procedere etiamsi Ecclesia tumulans sit Ecclesia Cathedralis: *Ibid. dub.* 2. *confir. Ibid.*

8. Canonicus Pellegrini Ecclesiae Cathedralis decumbit in domo propria, et distincta ab aedibus Canonicalibus, et fuit ad Ecclesiam praedictam translatus inconsulto Parocho domicilii. Sed eodem instante: quartam ei deberi decernitur: *Narnien. Jur. Paroch.* 26. *Sept.* 1699. *dub.* 4. *et* 5.

9. Vigore licentiae obtentae a P. Praeposito Generali Societatis Jesu Augustinus de Ybayzabal Clericus Beneficiatus Ecclesiae Parochialis villae de

(9) *Vide num.* 3. *praes.* §.

Bilbao habitu Societatis in mortis articulo indutus, et post obitum sepultus in eorum Ecclesia fuit; Sed recurrentibus Parochis S. C. resolvit Parochis Ecclesiarum Parochialium dictae villae occasione funeris dicti Augustini deberi quartam funeris: *Calaguritana Funer.* 18. *Junii* 1701. *dub.* 1. Et Patribus non acquiescentibus S. C. rescripsit, ut servaretur consuetudo, quia tenebantur gratis eum sepelire; ac sunt veri mendicantes ex constitutione S. Pii V. (10) 27. *Mdii* 1702.

10. Ac supradictos patres Societatis Jesu posse induere constitutos in mortis articulo eorum habitu religioso ad effectum illos tumulandi in ipsorum Ecclesia, et percipienda emolumenta funerea, sed sine praejudicio jurium parochialium definitur: *Ibid.* 2. *confir. ibid.*

11. Deinde requisita S. C., quid intelligi de consuetudine, an juxta solitum deberi illius loci, prout exoptant Parochi, an juxta consuetudinem aliorum Regularium, quibus adest specialis transactio? respondetur deberi emolumenta dari solita pro funeribus, quae explentur in Ecclesiis aliorum Regularium: *Ead.* 18. *Novem. ejusd. anni confir.* 1. *Decem.* 1703.

12. Quum Dominicus Capponius mandasset tranferri suum cadaver ad Ecclesiam Cappuccinorum civitatis Æsinae cum comitatu Parochi, et Æditnus Ecclesiae Cathedralis, necnon Societatis S. Luciae dumtaxat, ideo disquiritur, an dicto Parocho Cathedralis debeatur quarta funeris? Sed protelata fuit responsio, ad coadjuvandas probationes super consuetudine allegata a Capitulo, assignato eidem termino trium mensium ad formaliter probandam: *Æsina Funer.* 2. *Decem.* 1702. *dub.* 2.

13. Per aliquot annos degit Sanctes Primavera sub Parochia Patrum S. Dominci civitatis Æsii, ubi se contulerat causa studiorum e domo paterna rurali in Parochia S. Mariae Plani sita, in qua vero ultimum diem clausit. Ob id insurrexerunt Patres praedicti, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis, primi, quia habebant suorum majorum sepulcrum; secundum animo illum fuisse habitandi illic ex suscepto onere cujusdam Capellaniae Choralis ejusdem Cathedralis comprobabat; S. C. consulta decretum prodiit cadaver esse tranferendum in sepulcrum majorum Ecclesiae PP. S. Dominici soluta quarta cui de jure: *Æsina Juris Sepulc.* 15. *Decem.* 1703.

14. Moniales S. Rosae S. Mariae de Grado Ordinis S. Dominici terrae Conchae non tenentur solvere quartam funeream, quam nunquam ceteri Parochi dictae terrae exegerunt: *Amalphitana Funer.* 14. *Junii* 1704. *dub.* 1.

15. Nec illa debetur Parocho S. Johannis Baptistae: *Ibid. dub.* 2.

16. Ambiguum cum fuerit, num Parocho Ecclesiae S. Nicolai oppidi Barilis, et ad quam rationem debeatur et ex quibus quarta funeris? rescripsit, ut servaretur solitum: *Melphien. Cong.* 27. *Junii* 1711. *dub.* 8. *et* 9.

17. Obiit Florentiae Philippus Guidus Nobilis Volaterranus, et praevia electione Sepulcri in Ecclesia PP. Min. Conv. S. Francisci Volaterrarum. Revera cadaver delatum privatim fuit Volaterris ad Ecclesiam praedictam, et insequenti die eo praesente pompa funebris fuit celebrata; Sed res non pacatum exitum sortita est. Capitulum Cathedralis Volaterranae quaestionem excitavit sibi deberi quartam funeris subnixum assertae consuetudini, et examinatis dubiis a S. C. an, et quae

(10) *Const. Dum indefesse* 7. *Julii* 1571. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 170.) Ubi declaratur Ordo Societatis Jesu Mendicans, et Ordinum Mendicantium privilegiis ornatur.

quarta debeatur Capitulo pro funere, de quo agitur?

18. An et quae quarta debeatur pro reliquis funeribus, quae fiunt in civitate Volaterris pro civibus, et exteris ibidem defunctis, et humatis?

19. An et quae pro civibus in aliis Civitatibus decedentibus, et in civitatem Volaterras sepultis? S. C. remisit singula ad Episcopum, qui procedat prout de jure: *Volaterrana Quar. Funer.* 9. *April.* 1712. *dub.* 1. 2. 3.

20. Viatoribus degentibus in urbe Savonae, si ibidem interierint, et sepulcrum elegerint in aliqua Ecclesia quarta funerea solvi debet Parocho Cathedralis Ecclesiae, intra cujus limites mortui sunt: *Savonen. Jur. Paroch.* 12. *Novem.* 1712. *d.* 3.

21. Idem servandum quoad Peregrinos ibidem decedentes, et sepulcrum eligentes: *Ibid. dub.* 6.

22. Sic etiam intelligi debet, quoad advenas, ac exteros quoscumque, qui non habentes animum permanendi in urbe Savonae, ibidem tamen cum eorum familiis habitantes, deficiunt sibi electo sepulcro: *Ibid. dub.* 9.

23. Quod de advenis praedictis rescriptum fuit servari etiam debet quoad cives Savonenses tantum, qui omnino domicilium deseruerunt, et patriam redeuntes animo commorandi solum ad tempus, domus consanguineorum, seu etiam paternam inhabitant: *Ead.* 3. *Decem. ejusd. anni dub.* 11.

24. Occasione obitus Gubernatoris, ejusque Vicarii, Magistratuum, Officialium, qui stipendio conducti sunt, quorumcumque, et qui a Principe missi sunt ad regimen civitatis Savonaè, et in eadem urbe habitantes, vel in domo publica, vel privata sumptibus publicis conducta in ea una cum eorum familiis degentes, quatenus ipsi sepulcrum elegerint in aliqua Ecclesia, quarta funeris solvi debet Parocho Cathedralis, non autem ejus Ecclesiae Parocho, intra cujus ambitum e vita recedunt: *Ibid. dub.* 14.

25. Quod si praedicti cives Savonenses forent, ac habitarent in domo propria, vel privata propriis sumptibus conducta, tunc quarta funeris spectare ad Parochum sub cujus Paroecia occumbunt, debet: *Ibid. dub.* 15.

26. Officiales belli quocumque nomine nuncupentur habitatores in urbe Savonae, vel in stationibus, et domo publica, vel privata, si electo sibi sepulcro in aliqua Ecclesia mortalitatem expleverint, quarta funeris pendi debet Parocho Cathedralis Ecclesiae, minime vero Parocho Ecclesiae, intra cujus limites e vita migrarunt: *Ead.* 21. *Januar.* 1713. *dub.* 18.

27. Quod si officiales praedicti fuerint cives Savonenses, et sepulcrum elegerint in alia Ecclesia, quarta praedicta ad Parochum, in cujus Parochia suum diem obeunt, spectare debet: *Ibid. dub.* 20.

28. Milites omnes colentes urbem Savonae, vel Stationes, et domum publicam, vel privatam, si ibidem mortui fuerint legitime electo sepulcro quarta funeris non debetur Parocho Ecclesiae, intra cujus districtum desinierunt, sed Parocho Cathedralis Ecclesiae: *Ead.* 13. *Maii* 1713. *dub.* 23.

29. Secus vero servandum erit si milites praedicti cives Savonenses fuerint; *Ibid. dub.* 24.

30. Detrusi in carceres criminales Gubernatoris ibique decedentes sive Savonenses fuerint sive exteri, si sepulcrum elegerint in aliqua Ecclesia quarta funeris non debetur Parocho carcerum criminalium, sed Parocho Cathedralis Ecclesiae: *Ibid. dub.* 27.

31. E contra Parocho carcerum debetur quoad in carceribus detentos civilibus vulgo dictis *Malae Paghae*: *Ibid. dub.* 28.

32. Damnati ad mortem si sepulcrum adoptaverint in aliqua Ecclesia, quarta funeralis solvi debet Parocho Cathedralis Ecclesiae, minime vero Parocho carcerum: *Ead.* 17. *Junii ejusd. anni*.

33. In casu, quo patres tertii ordinis S. Francisci conventus Pacis terrae Massae associant cadavera, quae tumulantur in eorum Ecclesia non tenentur solvere Archipresbytero dicti loci quartam funeream, etsi probare ille conabatur cadavera prius deferri ad Parochiam, ibique exequiis peractis ad regularium Ecclesiam ad sepelienda transferri; et quoad sudariolum, et frumentum dari dubium S. C. praecepit: (11) *Tudertina Funer.* 8. *Aug.* 1716. *dub.* 2.

34. Obiit comes Eustachius Pallio in conventu Eremitarum S. Augustini civitatis Astae, ubi solutis menstruis alimentis secularem vitam ducebat. Patres hujus cadaver inconsulto Parocho S. Paulli, intra cujus Parochiae limites conventus situs erat, in eorum Ecclesia sepelierunt, exhibente electionis sepulcri fide. Sed S. C. Parocho instante quartam tantum funeralem Patres solvere coegit. *Asten. Jur. Paroch.* 27. *Novem.* 1717. *dub.* 2. *confir.* 12. *Febr.* 1718.

35. Obscurum fuit inter Patres tertii ordinis S. Francisci, et Parochum terrae Massae, num frumentum, quod in certa quantitate persolvitur, quando quis moritur, pannum, quod ad Crucem Parochi appenditur, dum cadavera associantur, sudariolum, quo defunctorum manus teguntur, ac tandem cera, quae accenditur, dum cadavera comitantur, et extra Ecclesiam Fratrum extinquitur ad quartam funeream pertinere deberent, prout Regulares praedicti contendebant, sive ad decimam Sacramentalem, sive personalem juxta Parochi praetensionem? S. C. rescripsit, frumentum et ceram, comprehendi sub quartam funeris, non autem pannum, et sudariolum, et quoad sudariolum S. C. mandavit illud amplius non afferri cum cadavere, nec ab haeredibus Parocho consignari: *Tudertina Funer.* 13. *Aug.* 1718. (12).

36. Parocho Mondavii non debetur quarta funeris, quando cadavera familiae pii Georgii humantur in monumento ab ipso constructo in Ecclesia PP. Cappuccinorum, quorum conventus, intra ejus Parochiae limites existit, prout ex ipsorum privilegiis probarunt (13): *Fanen. Sepult.*, *et Quar. Funer.* 6. *Maii* 1719. *dub.* 2.

37. Parochis terrae Nursiae non debetur quarta funeris de candelis, intortitiis, ac de omnibus aliis, quae offeruntur in die humationis cadaverum, quae tumulantur in Ecclesiis PP. Reformatorum ordinis S. Francisci, Scholarum piarum, et Oratorii S. Philippi Nerii, sed solitum servari jussit S. C.: *Spoletana Quart. Funer.* 30. *Sept.* 1719. *d.* 1.

(11) „ Ex quo (ait Ursaya *Discept. Eccl.* „ *XI. tom.* 5. *part.* 1. *num.* 12.) rescribendi „ modo clare patet, hanc Sacr. Congreg. disputandam unicè reliquisse solam, et simplicem praetensionem Archipresbyteris circa Sudariolum, et Frumentum " Et hoc dubium fuit inde resolutum, ut patet *ex num.* 34.

(12) In favorem Regularium in hac Causa Advocatus Dominicus Ursaya scripsit, qui suas congessit rationes, ac auctoritates *in Discept. Eccl. XIV. tom.* 4. *part.* 1. *per tot.*

(13) Et primum ex *Const. Ecclesiae militantis* 15. *Octob.* 1608. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 3. *pag.* 348.) declaratur a Paullo V. Pont. Max. Fratres Cappuccinos vere Fratres Minores S. Francisci ejusque Filios, et eorum Constitutiones ejusdem S. Francisci Regulae consentaneas esse; deinde idem confirmavit Urbanus VIII. *Const. Salvatoris* 28. *Junii* 1627. (*Bull. Rom. tom.* 6. *part.* 1. *pag.* 59.) et Clem. XII *Const. ea quae* 14. *Maii* 1735. (*Bull. Rom. tom.* 14. *pag.* 26.)

38. Parocho Ecclesiae S. Nicolai terrae Montis Leonis debetur a PP. Minoribus conventualibus S. Francisci dicti loci quarta funeris pro cadaveribus, quae in eorum Ecclesia tumulantur prout ex immemorabili consuetudine servatum fuisse constabat ex testium depositionibus, quos formaliter examinari antea jusserat eadem S. C., et libros etiam tum conventus, tum Parochi recognoverat: *Spoletana Quart. Funer.* 13. *April.* 1720. *dub.* 1.

39. Ac Parochus praedictus debet pendere eisdem patribus Minoribus Conv. dictae terrae quartam funeralem pro cadaveribus, quae in Ecclesia Parochiali humo mandantur, quod id exhibet antiqua consuetudo: *Ibid. d.* 2.

40. Perpensum quum fuisset, an Archipresbytero terrae Montis Ærei deberetur quarta funeris pro illis defunctis, qui in Ecclesia PP. Min. Conv. tumulantur, seu eidem obstet exemptio? resolutum est, ut Constitutio Sanctissimi Domini Nostri (14) a die ejusdem editionis servaretur; *Volaterrana* 16. *Martii* 1726. *dub.* 6.

41. Hinc idem Archipresbyter tenetur etiam quoad quartam omnia emolumenta percepta quoad Thomam Fabri, et Sebastianum Butini defunctos restituere; et quoad Johannem Mangioni non tenetur patribus conventualibus ejusdem loci restituere: *Ibid. dub.* 7. Et huic decreto praecessit instructio missa ad Episcopum (15).

42. Parochis secularibus civitatis Mantuae solvebatur ratione quartae funeris medietas cereorum, quae per viam tantum accenduntur, dum cadaver ad Ecclesiam defertur, edita Benedictina Constitutione (16) Parochi praedicti postularunt medietatem cereorum, quae in Ecclesia accenduntur adversus Ecclesias Regularium, iisque solvendam esse a Regularibus medietatem tam cereorum, quae deferuntur per viam, quam aliorum, quae accenduntur in Ecclesia circa cadavera, et castrum doloris, et Altaria fuit constitutum: *Mantuana* 8. *Febr.* 1727. Causa reproducta dubitatum fuit de mente Summi Pontificis, et rescriptum fuit ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem (17): 24. *Maii ejusd. anni.*

43. Cadaver, quod erat Parochiae Patrum Augustinianorum terrae Pergulae in Ecclesia Patrum Conv. tumulatum, occasionem dedit inter patres tumulantes, et patres curae controversiae super quartae funeris solutione. Contendebant Conventuales ad istam non teneri sub clypeo antiquae transactionis inter utrumque conventum exaratae, qua loco quartae sex PP. Augustinianis quotannis solvebant cerae libras. Verum transactionem hanc utpote ipsi laesivam per novissimam Constitutionem (18) sublatam esse reponebant PP. Augustiniani. In disquisitione

(14) *Vide not.* 194. *tom.* 3. *pag.* 243.

(15) Instructio fuit, ut Episcopus referret numerum Religiosorum in dicto conventu degentium, et an iidem sint exempti a sua jurisdictione, vel potius sint subjecti: *Ead. caus.* 23. *Febr.* 1726. § 2.

(16) *Vide not.* 194. *tom.* 3. *pag.* 243.

(17) Mens S. C. fuit, ut R. P. D. Secretarius Sanctitati Suae exponeret statum controversiae, momenta rationum, et numerum suffragiorum. Facta autem omnium praedictorum distincta, et clara expositione, Sanctitas Sua declaravit, mentem suam fuisse, ut ab Ecclesiis tumulantibus Parocho solveretur quarta, utque manerent consuetudines, et concordiae, in quibus pinguior portio Parochis assignabatur, uti contingit in urbe, in qua portio a Regularibus persolvenda Parochialibus Ecclesiis est ad medietatem redacta. *Rel. in Pisauren.* 15. *Martii* 1722. §. 8.

(18) Quae incipit *Romanus Pontifex* 4. *Kal. Maii* 1725. *rel. in Apend. Concil. Rom. ad tit.* 8. *cap.* 5. (*et in Bull. Rom. tom.* 11. *part.* 2. *pag.* 394.) ubi legitur „ Ubi vero consuetudines legitime probatae, conventiones, con-

itaque dubio posito decretum fuit, Constitutionem hanc super quarta funeris emanatam obstare ad hoc ut Ecclesia PP. Min. Conv. terrae Pergulae teneatur pendere Ecclesiae Parochiali PP. S. Augustini ejusdem terrae integram quartam funeris in casu supra narrato: *Nonantulana, seu Eugubina* 24. *Maii* 1727. *confir.* 17. *Decem.* 1720. *dub.* 1.

44. Hanc vero quartam funeris Patribus Augustinianis non solvendam esse in quarta parte candelarum intortitiorum, aliorumque circa funus expositorum sed satisfaciendam esse in illorum medietate juxta assertam loci consuetudinem: *Ibid. dub.* 2.

45. Clam erat an quarta funeris cerae etiam positae super Altare Ecclesiae exterioris Monialium Cappuccinarum Urbis Novariae, quarum Monasterium situm est intra limites Parochialis Ecclesiae S. Crucis, et Ordinarii jurisdictioni subjectum, deberetur Parocho praedicto occasione delationis cadaverum aliarum Parochiarum ad dictam Ecclesiam exteriorem, quo in casu jus funerum ad eumdem pertinet? S. C. voluit ut servaretur solitum: *Novarien.* 23. *Aug.* 1727. *dub.* 1.

46. Parochis S. Jacobi, et S. Stephani Urbis S. Miniatis non debetur quarta funerea occasione delationis, et tumulationis cadaverum defunctorum, qui dum viverent in Cathedrali Ecclesia tumulum delegerunt, vel ibidem sepulcrum gentilitium habuerunt inspecta qualitate Cathedralis, jure matricis, et immemorabili contraria consuetudine ex adverso non impugnata: *Sancti Miniat. quar. funer.* 12. *Martii* 1729.

47. Occasione cadaveris filii Ducis Cilii, quod delatum fuit ad Ecclesiam PP. Cappuccinorum, ubi gentilitium sepulcrum eadem habet familia, Capitulum Collegiatae Ecclesiae dictae terrae praetendit pro comitatu vi consuetudinis omnia intorticia delata per viam circa cadaver, et ea revera occupavit. PP. reclamantibus S. C. expendit dubia: an intorticia, quae deferuntur accensa per viam circa cadaver spectent ad Capitulum praedictum, an ad Patres Cappuccinos? et an dicti Patres teneantur solvere dicto Capitulo uti Parocho habituali quartam funeris de omnibus cereis ad tenorem Bullae, quae incipit *Romanus Pontifex* (19)? omnia spectare ad Patres Cappuccinos, dempta quarta definivit: *Oritana Funer.* 14. *Febr.* 1729. *dub.* 1. *et* 2.

48. Parochis Civitatis Pisauri solvi debet a PP. Cappuccinis quarta pars cerae accensae in comitatu cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et medietatem cerae, et intorticiorum, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia exponuntur ante humationem; Episcopus enim de consuetudine retulerat in S. C. quae idipsum, quod rescripserat dum instantia inter summaria precum relata fuerat, confirmavit: *Pisauren. quar. funer.* 15. *Maii* 1728. et ad instantiam Cappuccinorum confirmatur decretum 14. *Maii* 1729.

49. Parocho Ecclesiae S. Laurentii terrae Accumuli ratione subditorum Parochiae, quos inhumari contingat in Oratorio publico Beatissimae Annuntiationis Villae Tini quartam funeris deberi S. C. decidit: *Asculana Jur., et Funct. Paroch.* 29. *Aug.* 1733. *dub.* 3.

50. In Dioecesi Cremonensi statuta

cordiae, vel statuta vigerent, quae praefatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in illis, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, sancimus, praecipimus, et jubemus."

(19) *Vide not.* 18. *praecedentem*.

fuerat a Vicario Generali anno 1704. taxa emolumentorum, quae Parochis deberentur in comitatu, et tumulatione cadaverum in Ecclesiis Regularium. Edita constitutione Benedictina (20), qua tribuitur quarta Parochis, quamvis ex alia Constitutione (21) optio data fuit Parochis percipiendi, vel quartam, vel id quod ex Statuto, vel consuetudine percipiebatur, nihilominus, utrumque emolumentum praetendentibus Parochis dictae civitatis S. C. rescripsit, ut praefigeretur ab Episcopo terminus duorum mensium Parochiis ad declarandum, an velint stare taxae, et consuetudini, vel facta collatione (emolumentorum scilicet, quae juxta taxam, et consuetudinem percipiebant) consequi quartam partem quorumcumque emolumentorum funeris: *Cremon. quar. funer.* 9. *Januar.* 1734. facta autem a Parochis obligatione conferendi emolumenta praedicta, exceptis tamen candelis, quas ipsi prae manibus gestant, quaeque cruci Parochiali affigi solent, exceptaque pecunia, quae pro eleemosyna Missae parochialis traditur, e contra collationem etiam praedictorum emolumentorum postulantibus Regularibus S. C. Regularium petitionem rejecit, confirmavitque optionem a Parochis factam. 3. *Decem.* 1735: *confir.* 7. *Julii* 1736.

51. Const. edita Benedictina super solutione quartae funeris, qua pinguior portio, sive etiam medietas, ubi consuetudo vigeret, Parochis praeservata fuit, orta est controversia inter Parochos, et Ecclesias Regulares Civitatis Velitrarum super consuetudine praedicta de qua quum constaret adversus Ecclesias seculares tantum in favorem Parochorum pro solutione medietatis quoad Ecclesias Regulares, S. C. postquam examen formale testium decreverat, rescripsit quartam praedictam deberi in sola quarta funeris parte, minime vero in medietate: *Veliterna quartae funer.* 3. *April.* 1734.

52. Post Benedictinam Constitutionem (22) Parochi una cum Archipresbytero Ecclesiae S. Michaelis oppidi Bagna Caballi canonicam portionem exigere coeperunt tum ex candelis, et intortitiis penes Ecclesiam tumulantem Regularium relictis, tum ex illis, quae in itinere delata defunctorum haeredibus restituebantur juxta Synodales sanctiones, et ex quibus omnibus nihil antea perceperant, reclamantibus vero Praesidibus Communitatis, S. C. decrevit, eisdem Archipresbytero et Parochis deberi tantum ex rata cerae, quae retinetur ab Ecclesiis Regularium. *Faventina quar. funer.* 18. *Junii* 1735. *dub.* 1.

53. Capitulum Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae S. Eustachii de Urbe exponens Marchionem Philippum de Maximis Romanum, et praefatae Parochiali jure subjectum, Pisauri, quo recreandi animi causa ierat, occubuisse, Cathedralis dictae Urbis, ubi illius cadaver tumulatum fuit, detrectare medietatem emolumentorum ratione quartae sibi persolvere, et controversiam exortam dirimere petiit; S. C. distulit decisionem, ut coadjuventur probationes, et signate super observantia: *Romana quar. funer.* 13. *April.* 1737.

(20) *Vide not.* 94. *tom.* 3. *pag.* 243.

(21) Ejusd. Pont. quae incipit *Pretiosus* 26. *Maii* 1727. (*Bull. Rom. tom.* 12. *pag.* 201.) in favorem Ordinis Praedicatorum, ubi §. 44. decernitur „ ut iidem Fratres Parocho relinquant optionem, vel eligendi quartam partem praedictam, vel standi consuetudini, statuto, concordiae, seu conventioni, eamque pacifice sequantur, ut suae ipsorum quieti religiosae juxta eamdem mentem nostram consulant; Parochi vero semel factam optionem immutare nullatenus possint, aut valeant. “

(22) *Vide not.* 194. *tom.* 3. *pag.* 243.

54. Parochis Urbis Sarzanae tradere tenentur Fratres Cappuccini quartam cerae partem accensae in comitatu cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et intortitiorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum Ecclesia expositum. Per Const. enim Benedicti XIII. Pont. Max. (23) veterem Sacrorum Canonum Sanctionem redintegrantem sublata fuere Regularibus hujusmodi Privilegia, ac praedicta constitutio etiam in Januensi ditione accepta fuerat: *Lunen. Sarzanen. Quart. Funer.* 18. *Maii* 1737.

55. Causa tumulationis defunctorum in Ecclesia, seu oratoriis societatum laicalium terrae Suriani an debeantur Parochis dictae terrae omnia intortitia, et cerae seu sola quarta funeris? dubium quum esset. S. C. mandat, ut solitum servaretur ad formam Const. Benedictinae (24): *Hortana Jur. Paroch.* 5. *Julii* 1738. *dub.* 4.

56. Parocho, sive Archipresbytero loci Maceratae Feltriae debetur quarta funeris tantum pro tumulatione cadaveris Annae Bartoli educationis causa in Monasterio S. Clarae degentis, ibique defunctae, minime vero caetera funeris emolumenta: *Feretrana Juris Sepelien.* 21. *April.* 1742. *dub.* 3. *confir.* 1. *Sept. ejusd. anni.*

57. Parochis civitatis Firmi occasione tumulationis cadaverum in Ecclesia patrum de observantia exigere licet cereum, seu intortitium ex duobus, quae ardent ad utrumque latus Arae maximae templi ratione quartae funeris tam in die funeris, quam in duobus sequentibus, quibus officia defuncto persolvuntur, quoad diem vero anniversarii rescriptum fuit, ut coadjuvarentur probationes: *Firmana Funer.* 18. *Julii* 1744.

58. Ecclesiae Cathedrali unicae Trani in Apulia Peucetia Parochiali, vel Archipresbytero quarta funeris causa humationis cadaverum in Ecclesia PP. Carmelitarum, de omnibus cereis ad Ecclesiam tumulantem pertinentibus, debentur: *Tranen. Juris Funer., et Process.* 21. *Novem.* 1750. *dub.* 8.

59. Quartam funeris cadaverum, qui absconduntur in Ecclesia PP. Reformatorum pendendam esse ad formam Constitutionis Benedictinae (25) sancitur: *Comen. Funer., et Funct. Convent.* 19. *Decemb.* 1750. *dub.* 7.

60. Plebano Cryptae Maritimae solvi debet quarta funeris a PP. Minoribus S. Francisci strictioris observantiae, quoties defunctorum cadavera in eorum Ecclesia sepeliuntur, etsi per sententiam latam ab AC. quae in Rem Judicatam transierat, quaeque observata fuerat centum annorum spatio, definitum fuisset, ipsos non teneri ad quidquam praestandum Plebano ratione quartae funeris: *Ripana Quar. Funer.* 28. *Aug.* 1751. *confir.* 18. *Decem. ejusd. anni.*

61. Quarta funeris, quando cadavera aliarum Ecclesiarum Parochialium in Cathedrali Ecclesia sepulcro conduntur, debetur quoque ex candelis, quae in altaribus occasione funerum accenduntur, non obstante contraria consuetudine: *Fanen. Quar. Funer.* 17. *Sept.* 1757.

62. Quum in monumento constructo a Sacerdote Andrea Arrighi pro se, suisque parentibus, ac haeredibus in Ecclesia B. M. V. in Coelum Assumtae, et SS. Andreae, et Aloysii Gonzagae ab ipso aedificata in terra Curtis illata fuissent quaedam extraneorum cadavera, quamvis eorum exhumationem interdixerit, S. C. restitu-

(23) *Vide not. ut supra.*
(24) *Vide not. ut supra.*

(25) *Vide not.* 194. *tom.* 3. *pag.* 243.

tionem tamen quartae funeris praecepit: *Alerien. Sepult.* 17. *Januar.* 1756. *dub.* 7.

63. Ab Ecclesia Cathedrali civitatis Faventiae quamvis sit Ecclesia Matrix, quartam funeris Parocho deberi pro suis fidelibus, etiamsi Canonicis in ea tumulandis haesitatum minime fuit: *Faventinae Praemin.. et Funer.* 7. *Junii* 1760. *dub.* 7. Causa reproducta dictum fuit ad D. Secretarium pro concessione compulsoriae, et remissoriae: 11. *April.* 1761.

64. Ecclesia Patriarchalis S. Francisci, aliaeque duae Franciscani ordinis Ecclesiae civitatis Assisii jus humationis habentes, de quarta funeris Parochis praestanda egerunt; et postularunt in quanam quantitate praestare illis deberent. Praeseferebant Franciscani Patres consuetudinem quamdam tradendi Parochis quartam funeris in meditate cereorum solummodo, qui circa Feretrum accenduntur in comitatu cadaverum et in celebratione exequiarum; integre reservatis Ecclesiae tumulanti candelis accensis, vel in Altaribus, vel circa cadaver ante et post exequias usque ad illius humationem. Proposita hinc fuit quaestio quae non facile potuit S. C. existimare, voluitque examinari formaliter testes: *Assisien. Quart. Funer.* 14. *Febr.* 1761. *d.* 1. *et* 2. Reproducta deinc una cùm testium relatione causa, rescriptum exiit, quartam funeris praestandam esse in medietate omnium cereorum, et candelarum juxta Constitutionem Benedictinam (26) subjectarum praestationi quartae: 22. *Januar.* 1763.

65. Parochis Latinis praeservata fuit quarta funeris in concessione jus sepeliendi, atque funerandi cadavera Graecorum etiam extra collegium in urbe decedentium, et sepulcrum eligentium in Ecclesia S. Athanasii Collegii Graecorum urbis facta in favorem Ecclesiae praedictae: *Romana Juris Funer.* 27. *Julii* 1761.

66. Quarta funeris debetur Archipresbytero Ecclesiae Parochialis S. Marci terrae Costacciari a PP. Minoribus Conven. S. Francisci pro cadaveribus in Ecclesia S. Francisci tumulandis, eosque teneri in quarta parte omnium cereorum ad formam Const. *Romanus Pontifex* (27) edixit S. C.: *Eugubina Jur. Paroch.* 22. *Maii* 1762. *dub.* 1.

67. Sodalitia, quae plurima sunt Viterbii pro funere sodalium, quos in suis Ecclesiis humant, propriis Parochis omnia funeris compendia impugnant. Hac de causa quaestione facta, S. C. decidit Parochis Viterbii non omnia emolumenta funerea illorum, qui electo sepulcro absconduntur in Ecclesiis societatum, sed portionem canonicam tantummodo deberi; licet Parochi autument non proprio nomine retinere sodales sepulcra in eorum Ecclesiis, quia filiales sunt, necnon consuetndinem eis favere: *Viterbien. Emolum. Funer.* 28. *Januar.* 1764.

68. Parocho Convictricium Sacrarum Familiarum urbis Setinae, in earum funeribus quarta canonica solvi debere ad formam transactionis diei 2. Aug. 1718. statuitur: *Setina* 18. *Maii* 1765. *dub.* 4.

69. Parocho S. Georgii Orioli praeservata fuit quarta funeris occasione, dum cadaver Sacerdotis Dominici Leoni depositum in dicta Ecclesia Parochiali exhumandum fuit; illud restituendum una cum funereiis emolumentis Ecclesiae S. Antonii PP. Reformatorum, ut tumularetur in sepulcro familiari, seu majorum ibidem constructo, non obstante, quod in Parochiali Ecclesia adesset sepulcrum pro Sacer-

(26) *Vide not. ut supra.*

(27) *Vide not. ut supra.*

dotibus; ipse tamen dum vixit nullum beneficium in dicta Ecclesia erectum possedit: *Viterbien. Juris Tumul.* 31. *Maii* 1766.

70. Capitulo Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Agricolae debetur quarta funeris Parochiae incolarum, quia in Ecclesia Metropolitana sepulcro mandantur: *Avenionen. Jur. Par.* 22. *Mart.* 1766. *dub.* 1.

71. Et eidem Capitulo convenit, quoquo quarta funerea Canonicorum, Beneficiatorum, aliorumque; qui Ecclesiae Metropolitanae servitio addicti sunt ac intra limites Ecclesiae praedictae Parochialis S. Agricolae moriuntur, quatenus in Ecclesia Metropolitana tumulentur: *Ibid. dub.* 2. *confir.* 21. *Novem.* 1778.

72. Minime patebat, an Capitulo Cathedralis Ecclesiae Urbis Andriae, quae unica totius civitatis est Parochialis, debeatur quarta funeris pro omnibus humationibus faciendis ab Ecclesia S. Nicolai Coadjutricis in administratione tantum Sacramentorum? Sed definitio ad aliud tempus S.C. duxit; et demandavit, ut audiretur Episcopus: *Andrien.* 24. *Januar.* 1767. *d.* 11. Ad novum examen revocata causa, et Episcopo sibi quartam funebrem ab Ecclesiis tumulantibus percipiendi jus tum ex immemorabili observantia, tum ex laudo, seu concordia inter Cathedralem, et Collegiatam S. Nicolai inita, tum etiam ex re judicata anno 1672. a S. C. Episcoporum, et Regularium, adserente, resolutio prodiit, quoad decedentes in districtu Cathedralis affirmative, quoad reliquos negative, et quoad Episcopum servetur praefatum Decretum Congregationis Episcop., et Regul. 8. April. 1672: 19. *Sept. ejusd. anni.*

73. Capitulum Ecclesiae S. Nicolai Caballos sedecim pro singulo cadavere tumulando in ipsa Ecclesia Capitulo Cathedralis juxta conventionem contribuere teneri statutum est: *Ibid. d.* 12. *confir. ibid.*

74. Confratres Oratorii *della Misericordia* oppidi Polimartii, et Archipresbyter contenderunt super funeris emolumenta cadaverum peregrinorum, quae in Oratorio sepulcro reddenda sunt. Archipresbyter tres funeris partes ad se pertinere tanquam Ecclesiae Matricis Parochum ex consuetudine autumabat. Confratres matricitatem, et usum impugnantes, non nisi quartam Parocho exsolvere intendebant, ceteris penes se relictis emolumentis. Causa ad S. C. delata, resoluta non fuit, quum probationes coadjuvari mandatum esset: *Balneoregien. Jur. Paroch.* 14. *Decem.* 1771.

75. Si Presbyteri, clerici cujuscumque ordinis, et conditionis Urbis Fulginei decedant electo sibi sepulcro in quacumque alia Ecclesia, Ecclesiae Cathedrali quarta funeris non debetur: *Fulginaten. Funer.* 27. *Novem.* 1773. *dub.* 4.

76. Exhibito dubio, an Parocho S. Jacobi de Pinna praeter quartam funeris debeatur alia portio cerae, quando cadavera subditorum Parochiae tumulantur in Ecclesia Sodalitii Tertii Ordinis S. Antonii Patavini? S. C. servari solitum praecipit: *Faventina Funct.* 14. *Martii* 1778. *dub.* 2.

77. Necnon servandum solitum censuit quoad dubium: an aliqua rata pars cerae debeatur Parocho in casu, quo jus habeat peragendi funerum functiones in Ecclesia Confratrum dicti Sodalitii, quando cadavera in ea humanda non sunt de illius Parochia? *Ibid. dub.* 3.

Quarta Funerum seu Portio Canonica *Vide Episcopus* §. *XVI.*

Quotidianae Distributiones *Vide Abbas* §. *VI. Archidiaconus* §. *III. Archipresbyter* §. *IV. Beneficiati* §. *I.*

Canonici §. III. Capitulum Ecclesiasticum §. IV. Dignitates Ecclesiasticae §. II. Mansionarius §. I. Oeconomus Curatus §. I. Presbyteri §. III. Vicarius Capitularis §. II.

Raptus *Vide Matrimonium §. XXI.*

Ratihabitio *Vide Professio Religiosa §. IV.*

Rationum Redditio *Vide Adminitrator. §. V. Redditio Rationum.*

Ratum, et non consumatum Matrimonium *Vide Matrimonium §. XXXI.*

Ratum, et consumatum Matrimonium quoad Dispensationem *Vide Dispensatio §. XII.*

Receptio *Vide Sodalitium §. IX.*

Receptio Puellarum *Vide Monasterium monialium §. V.*

Rector seu Administrator *Vide Administrator.*

Rector Beneficii Ecclesiastici *Vide Beneficiati.*

Rector Capellaniae *Vide Capellanus.*

Rector Hospitalis *Vide Hospitale §. V.*

§. I.

Rector quoad Onera.

1. Rector Ecclesiae S. Sebastiani sitae extra moeniae terrae Rendarum tenetur reddere rationem Episcopo omnium, et singulorum redituum, obligationum, et eleemosynarum Ecclesiae praedictae: *Consentina Capellae* 3. *Decem.* 1729. *dub.* 3.

2. Rector Ecclesiae ruralis SS. Felicis, et Adaucti Castri Massiniani, in qua duos retinet Capellanos, tenetur subministrare oleum pro lampade ante Sanctissimum Sacramentum ardente; quum nunquam non hoc onus habuisset: *Firmana* 8. *Aug.* 1772. *dub.* 3.

3. Idem inde ad examen obtulit, an teneatur exponere in dicta Ecclesia Sanctissimum Sacramentum singulis diebus Dominicis, et festis, et cum eo benedicere populo quoties habitatores expensas in id necessarias subeant? rescriptum ad aliud tempus tradit, ut coadjuventur probationes et scribatur Card. Archiepiscopo juxta instructionem: *Ibid. dub.* 6.

§. II.

Rector quoad Potestatem, et Jura.

S. C. nullam definitionem faciendam putavit ad prolatum dubium, an Rector Ecclesiae S. Sebastiani extra moenia terrae Rendarum positae praecedere debeat in functionibus in dicta Ecclesia exequendis, vel Capellanus sodalitii sub titulo S. Mariae Constantinopolis in eadem Ecclesia recepti? sed Ordinario, qui pro suo arbitrio, et prudentia provideat, commendavit: *Consentina Capellae* 3. *Decem.* 1729. *dub.* 6.

Rectores *Vide Episcopus §. XIII. Redditio Rationum.*

1. Declaravit S. C., eam exceptionem quae habetur in decreto *cap.* 9. *Sess.* 22. (1) ut Ordinarius non possit exigere rationem administrationis Locorum piorum, quoties in fundatione, vel institutione talium Locorum expresse excluditur Ordinarius, ita esse accipiendum, ut satis expresse exclusus intelligatur Ordinarius, quoties talis exclusio elicitur ex generalibus verbis institutionis, vel fundationis: *Lycien.* 12. *Aug.* 1604. *dub.* 2.

2. Potest Episcopus administrationis de qua agitur, petere rationem, quod si hac in parte Canonici, quorum interest, aliquid contra adferre voluerint, auditum iri: *Maurianen.* 14. *Febr.* 1625. *dub.* 3.

3. Censuit S. C. non obstante praetenso non usu licere Card. Archiepiscopo ad formam Constitutionis Gregorii XV. Pont. Max. (2) exigere ratio-

(1) *Vide not.* 96. *tom.* 1. *pag.* 80.

(2) *Inscrutabili* 5. *Febr.* 1622. §. 5. Prae-

nes administrationis bonorum Monialium Regularibus subjectarum: *Neapolitana Exact. Rat.* 2. *Martii* 1673. *dub.* 1.

4. Quo vero ad domos pias in aliquibus oppidis sub Regia protectione, ut dicitur existentes, alias pluries eadem S. C. censuit, decretum *cap.* 8. *Sess.* 22. *de reform.* (3) in verbis illis *non tamen, quae sub Regum immediata protectione sunt*, quae non acquiritur per simplicem receptionem in protectorem, et in eodem *cap.* non esse in aliquo derogatum aut detractum jurisdictioni Episcoporum, etiam in locis, quae sunt sub immediata Regum protectione, sed tantum illis fuisse attributam novam facultatem quoad hujusmodi loca, ideoque rationes administrationis ab eorum administratoribus exigere omnino debere statutum est: *Leyrien.* 13. *Sept.* 1636. *dub.* 2.

5. Rationes Administrationis Fabricae Ecclesiae Cathedralis reddendae sunt Episcopo. Quod si aliis ab immemorabili tempore referri consueverint, cum ipsis etiam Episcopus est adhibendus, aliterque factae liberationes administratoribus minime suffragantur: *Suessionen.* 16. *Sept.* 1662. *dub* 15.

6. Ad dubia, an Collegium Barnabitarum Maceratae teneantur rationem reddere Episcopo super administrationem haereditatis Berardae?

7. An possint illud inhibitionibus impedire? respondit S. C. teneri reddere rationem coram Episcopo per legitima documenta, non vero per simplicem summam rationum: *Maceraten. Visit. SS. LL.* 26. *April.* 1664. *dub.* 25.

8. Plures sunt societates Laicorum, quae non edunt computa Ordinario non quia exemptae ex fundatione, vel quod sint sub immediata Regum protectione, sed solum, quia nunquam ea reddidisse ajunt. Quaeritur, an hoc sit ferendum, vel cogendae sint tales Societates ad illa reddenda, non obstante etiam immemorabili consuetudine juxta decretum Sacr. Concilii *Sess.* 22. *cap.* 8. (4) et quid de Societatibus fundatis in Ecclesiis Regularium? respondit Societates etiam in Ecclesiis Regularium existentes esse compellendas ad praescriptum *cap.* 9. *Sess.* 22. *de reform.* (5): *Acheruntina, et Matheran. Visit. SS. LL.* 3. *Martii* 1668. *dub.* 5.

9. Dubio perpenso an Canonici Ecclesiae Cathedralis teneantur quolibet anno inferre Episcopo rationem administrationis omnium officiorum, quae ab ipsis exercentur? responsum datum est affirmativum: *Asten. Admin. et Particip.* 12. *Julii* 1687. *dub.* 1.

10. Et optata definitione an eamdem rationem teneantur reddere Capellanis Beneficiatis, qui participant de eadem Massa, et quatenus negative.

11. An saltem teneantur dictis Beneficiatis reddere rationem administrationis Officiorum Massae quotidianarum distributionum, et Praebendarum Beneficiatorum? respondit S. C. ad utrumque negative, sed Beneficiatos posse assistere redditioni rationis faciendae coram Episcopo, vel petere expositionem computorum: *Ibid. dub.* 2. *et* 3. (6)

cipitur „ Sed et administrantes bona ad ejusdem Monasteria Sanctimonialium, ut praeferetur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive regulares extiterint, sive seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, et compelli queant.“

(3) Ubi legitur „ Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicae delegati. . . . . habeant jus visitandi hospitalia, collegia quaecumque, ac Confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sine quocumque alio nomine vocant; non tamen, quae sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia.“

(4) *Vide not. praecedentem.*

(5) *Vide not.* 96. *tom.* 1. *pag.* 80.

(6) *Vide not.* 163. *tom.* 5. *pag.* 129.

12. Occassione confirmationis decreti 27. Junii 1699. Episcopi edicti quo praecipiebatur, ut Patres Reformati S. Francisci capsulam positam pro recipiendis eleemosynis Missarum in Ecclesia B. M. V. Assumptae Montis Varali amoveant, et illae per Syndicum Apostolicum recipiantur, qui teneatur singulis quadrimestribus rationem Episcopo referre, addidit S. C. ut redditio rationis coram Episcopo tamquam Apostolicae sedis Delegato fiat: *Novarien. Eleemos.* 20. *Martii* 1700.

13. Capitulum Ecclesiae Cathedralis tenetur reddere rationem Episcopo de haereditate, et bonis Archidiaconi Pejoan, qui bona in favorem ejus Ecclesiae fabricae reliquit: *Gerunden. Commut. Volunt.* 3. *Martii* 1703. *dub.* 3.

14. Nec non idem Capitulum tenetur edere rationem Episcopo de eleemosyna vestarii relicta ab Episcopo Guillelmi de Cabanelles pro distribuenda annuatim in favorem pauperum; et quoad aliorum piorum legatorum administrationes, ut provideretur in casibus particularibus censuit: *Ibid. dub.* 5. *confir. juxta modum* (7) 7. *Julii* 1731. *dub.* 3.

15. Contendente Visitatore Generali Episcopatus Giennensis nedum visitare Ecclesiam S. Jacobi oppidi de Castella patronatus Comitis S. Stephani Mendus de Benavides in rebus spiritualibus, ac Sacramentorum administratione, sed etiam poscere redditionem rationum redituum Fabricae valere. Ei favit S. C. respondens rationem administrationis redituum, et fabricae reddendam esse Episcopo una cum Visitatore deputato a patrono: *Giennen. Visit.* 30. *Aug.* 1704.

16. Reddere tenetur Capitulum Ecclesiae Cathedralis in actu Visitationis rationem administrationum, quae incumbunt eidem Capitulo Ecclesiae praedictae: *Urgellen. Visit.* 5. *Sept.* 1705. *dub.* 4.

17. Edictum emanavit ab Episcopo Civitatis Castellanae, ut coram eo Visitatore ratio administrationis, ac librorum exhibitio a Canonicis Camerariis Capituli Cathedralis fieret, quod sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda injunxit. Illi qui jussa facere oportebat, S. C. invocarunt, quae edictum praefatum ratum habuit praeterquam quoad poenam suspensionis: *Civitatis Castellanae Edicti* 31. *Julii* 1706.

18. Canonici Collegiatae Ecclesiae, et Matricis S. Georgii terrae Medicae onus habent, imo cogendi sunt ad rationem referendam Praeposito a die vacationis Praepositurae usque ad praesens de fructibus, reditibus, ac emolumentis Collegiatae necnon de summis subministratis a Parochiae incolis causa lites sustinendi cum Ordinario: *Syracusana Praepos.* 2. *Julii* 1707. *dub.* 5. *confir.* 14. *Januar.* 1708.

19. Quum modernus Antistes ad Syndicatum accersiri jussisset Josephum Marinum Sandalarium Thesaurarium Cathedralis Ecclesiae, jam Vicarium Capitularem in ea Dioecesi injuncto eidem praecepto de non discedendo a Dioecesi, necnon illum cogendo ad residendum, idem Joseph adiit S. C., quae sanxit illum non posse molestari ex causa Syndicatus, et praeceptum latum non esse validum, sed injunxit Episcopo, ut procedat ad formam Concilii (8) pro redditione rationis tantum: *Ostunen. Procur. et Resid.* 28. *Julii* 1708. *dub.* 18.

20. Ministri seu Officiales Societatis Sanctissimae Annuntiatae existentis in Ecclesia S. Jo. Baptistae extra moenia urbis Foggiae, positae, quae Religionis Hie-

(7) *Vide not.* 448. *tom.* 3. *pag.* 373.

(8) *Sess.* 22. *cap.* 9., quo praecipitur Administratores tam ecclesiastici quam laici singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis. *Vide not.* 96. *tom.* 1. *pag.* 8.

rosolymitanae jurisdictioni se esse subjectam autumabat, rationem administrationis ad formam Concilii (9) reddere sunt adstringendi. Erat enim jam a S. C. Episcopi jurisdictio vindicata: *Trojana Jurisd.* 24. *Aug.* 1709. *d.* 4.

21. Modestus de Vecchis animalium legatorum a pio testatore Marco de Vecchis, qui in favorem Capellae S. Nicolai terrae Morroni plura animalia disposuerat, ad redditionem extrajudicialem tantum rationis administrationis tenetur: *Larinen. Redd. Rat.* 10. *Maii* 1710. *dub.* 1.

22. Officiales Societatis Mortis Lanciani rationem reddere eorum administrationis redituum, et eleemosynarum ejusdem sodalitii Archiepiscopo Firmuno tenentur: *Lancianen. Confrat.* 20. *Sept.* 1710. *dub.* 9.

23. Et Archiepiscopus pro redditione rationis rerum ad Societatem praedictam spectantium uti syndicis, seu rationalibus electis a Sodalibus nequit sed alio quocumque sibi beneviso uti valet, et gratis: *Ibid. dub.* 10.

24. In quaestione inter Episcopum, et Abbatem Camaldulensem Monasterii de Urano super Eleemosynis, quae in Ecclesia S. Mariae de Lacu ad ipsos spectante et ab Episcopali jurisdictione donationis vi exempta, fiunt, vertente S. C. decrevit de dictis eleemosynis, ac oblationibus intra et extra praedictam Ecclesiam faciendis, in casu de quo agitur, reddendam non esse rationem Episcopo, sed sufficere illam superioribus Ordinis referre: *Brittonorien. Exempt. et Eleemos.* 12. *Decem.* 1711. *dub.* 5.

25. Nec non haud licere Episcopo sub ullis poenis cogere Collectores Eleemosynarum, quae fiunt in Ecclesia S. Mariae de Lacu, quae pertinet ad Monachos Camaldulenses a visitatione Episcopi exempta ad rationem reddendam celebrationis Missarum manualium, quae a fidelibus offeruntur pro dicta Ecclesiae S. C. edixit: *Ibid. dub.* 7.

26. Capitulum Ecclesiae Cathedralis rationem Presbyteris participantibus reddere haud teneri S. C. judicium tulit; sed Episcopo cum praesentia Deputatorum eligendorum a Presbyteris Communeriae communicatis computis quatenus ab ipsis petantur, reddendam esse praecipitur: *Squillacen. Miss. Conv. et Commun.* 24. *Sept.* 1712. *dub.* 3. *confir.* 11. *Martii* 1713. *dub.* 1.

27. Sodalitium Sanctissimi Rosarii in Conventu PP. Min. Conv. S. Francisci oppidi S. Elpidii erectum non exemptum ab Ordinarii jurisdictione, rationem de administratione Ordinario reddere tenetur: *Firmana Jurisd.* 4. *Aug.* 1714. *dub.* 3.

28. Episcopus seu ejus Vicarius Generalis potest expetere redditionem rationis bonorum Sodalitii Sanctissimi Rosarii, quod habet Altare in Ecclesia PP. Praedicatorum existens, privative quoad Priorem dicti Conventus: *Ripana confrater.* 30. *Martii* 1715. *dub.* 2.

29. Ac id agere valet invisendo libros administrationis in ipso Oratorio Societatis: *Ibid. dub.* 3.

30. Insuper Episcopus seu ejus Vicarius Generalis potest reposcere ab ipsa Societate rationem onerum Missarum, tam perpetuarum, quam manualium ad dictum Sodalitium spectantium: *Ibid. dub.* 3.

31. Officiales Societatis Disciplinatorum Roncilionis eorum administrationis rationem Episcopo edendi onus habent: *Sutrina Juris.* 7. *Decem.* 1715. *dub.* 5.

32. Atque dictae rationis redditio non tantum in Visitationis actu, sed quolibet anno est satisfacienda: *Ibid. dub.* 6.

(9) *Vide not. praecedentem.*

33. Episcopus Cajetae Deputatos, et Gubernatores Capellae S.Erasmi ad reddendam rationem pecuniae ad eos perventae ex reditibus, et legatis dictae Capellae assignatis per Consilium Civitatis compellere potest ad formam Concilii Tridentini *Sess. 22. cap. 9. de Reformat.* (10) *Cajetana 2. Julii* 1718. *dub.* 3.

34. Eisdemque Deputatis, exactionem et administrationem victigalis quartutii piscationis cum onere eum erogandi, et referendi Episcopo rationem ad normam Decreti S. C. Episcoporum, et Regularium *die* 23. *Aug.* 1643. editi committendam esse decernitur: *Ibid. dub.* 4.

35. Decretum Episcopi, seu illius Vicarii Generalis super redditione rationis fructuum, et redituum Ecclesiae S. Antonii Castri Pedemontis peragenda a Presbyteris ejusdem Ecclesiae sustinetur quoad reditus, quibus est aliquod onus annexum, non autem quoad proventus, qui libere dividi inter eosdem Presbyteros debent: *Aliphana Reddit. Rat.* 17. *Decem.* 1718. *dub.* 1. *confir.* 18. *Martii* 1719.

36 S. C. definiit non constare de sufficienti, ac legitima redditione rationis a Presbyteris Ecclesiae S. Antonii terrae Pedemontis, ac addidit, ut Episcopus cogat juris remediis ad redditionem rationis: *Aliphana* 10. *April.* 1723. *dub.* 2.

37. Et declarata censurarum latarum invaliditate, mandat, ut Episcopus ex integro adversus Presbyteros Ecclesiae S. Antonii terrae Pedemontis rationem reddere de Missarum satisfactione renuentes procederet: *Ibid. d.*3.

38. Postquam P. Marcus Antonius Albinus Congregationis PP. Doctrinae Christianae ac Sacerdos Paulus Farricellius administrationis Seminarii Clericorum Dioecesis Spoletanae rationes retulerint, latebat, an sustineretur redditio rationis ab eodem facta die 20. Novem. 1714. et 5. Octob. 1717., seu potius, in qua parte sustineretur sententia Episcopi Fulginae, qui illum in summa 998. debitorem declaraverat? respondit S. C. P. Albinum non esse molestandum: *Spoletana* 20. *Febr.* 1723. *dub.* 1.

39. Inde postulatum, num sustineretur redditio rationis facta a Farricellio sub die 24. Aug. 1719.; seu an, et in qua parte sustineretur sententia ejusdem Episcopi Fulginae, qui illum in summa 998. debitorem declaraverat? responsum pariter est, Sacerdotem praefatum non esse molestandum: *Ibid. d.* 2.

40. Officiales Societatis Sanctissimi Suffragii terrae Offidae tam in actu Visitationis, quam extra, et in loco ab Ordinario designando, in terra tamen praedicta, eorum administrationis rationem Ordinario reddere tenentur: *Asculana* 24. *Martii* 1725. *d.* 5.

41. Inter Episcopum, et Capitulum, Canonicosque Ecclesiae Cathedralis super Spoliis Episcopi praedecessoris exortis controversiis S. C. consulta an Canonicus Hieronymus Liberatori sit cogendus ad redditionem rationis, et quatenus affirmative, an, et in qua summa sit condemnandus? responsum est omnia ad Card. Praefectum cum facultatibus S. C. *Minerbien. Reddit. Rat.* 17. *Novem.* 1725. *dub.* 2.

42. Quoad haereditatem Josephi Salvii Roscioli, qui suorum bonorum reditus in favorem Altaris Majoris, seu Capellae Ecclesiae Cathedralis, et ejusdem ornatus erogandos Capitulo ipsi reliquit, S. C. voluit, ut Episcopus omnino petat redditionem rationum de fructibus legati, eorumque erogationibus, et S. C. certiorem reddat: *Ful-*

(10) *Vide not.* 96. *tom.* 1. *pag.* 80. *et not.* 8. *praecedentem.*

ginaten. 30. *April.* 1729. *dub.* 1.

43. Rector, seu Beneficiatus Ecclesiae S. Sebastiani sitae extra moenia terrae Rendarum tenentur ad redditionem rationis Episcopo omnium, et singulorum redituum, obligationum, et eleemosynarum Ecclesiae: *Consentina Capellae* 3. *Decem.* 1729. *dub.* 3.

44. Item Redditio rationis coram Ordinario facienda est a Societate sub titulo S. Mariae Constantinopolis introducta in Ecclesia praedicta S. Sebastiani super administratione oblationum, eleemosynarum, et supellectilium, quae eidem societati fuerunt donatae, et in futurum elargiendae sunt: *Ibid. dub.* 4.

45. Quum intra quadriennium a testatore constitutum incepta non fuerit Monasterii fabrica, haeres usufructuaria institit pro Capellaniarum erectione. S. C. pro Monasterii erectione pronunciavit. Inde mandavit, ut Episcopus liberos Exequutores, et lente agentes ad reddendam rationem ex bonis haereditariis dictae dispositionis, juris remediis adigeret, et transmitterentur computationes: *Cajetana Erect. Monast.* 23. *Julii* 1729. *dub.* 3.

46. Episcopum Cremonae in visitatione peragenda Collegiatae Ecclesiae S. Agathae Capitulum ad redditionis rationem compellere valere S. C. sententia fuit: *Cremonen. Synodi* 5. *April.* 1732. *dub. ult. Confir.* 29. *Aug.* 1733.

47. Jam S. C. ante negaverat electionem duorum Capellanorum coetus Presbyterorum a Caesare Armanni fundati in Ecclesia Parochiali oppidi Meldulae suspendi; ut reditus impendantur in restaurandum, ampliandumque Sacrarium, ac sacram supellectilem comparandam; inde ad Judices suos redditionem rationis de administratione per Oeconomos gesta remisit, qua redditione rationis peracta Ordinarius S. C. certiorem faciat: *Nullius Foro-Pompilii Capell.* 18. *April.* 1733. *d.* 1.

48. De oblationibus seu eleemosynis in publico Oratorio Sanctissimae Annuntiationis Villae Tini colligi solitis, quae ad Rectorem Oratorii spectant, Episcopo ratio reddenda est: *Asculana Jur. Paroch.* 29. *Aug.* 1733. *d.* 4.

49. Leonardus Justinianus in sacello aedificando in Castro Montis Rinaldi erectionem cujusdam Capellaniae mandavit. Sacellum extructum fuit, at filiae dicti testatoris facultatem a S. C. erectionem in Castro Podii Donadei Sabinensis Dioecesis, ubi sunt nuptae, transferendi petierunt, et assecutae sunt. Sed causa reproducta S. C. recedendo a decisis, ut haeredes cogantur juris remediis ad piam defuncti dispositionem explendam, necnon ad reddendam rationem de fructibus perceptis, mandavit. *Firmana Capell.* 18. *Julii* 1733. *confir.* 29. *Aug: ejusd. anni*.

50. Redditio rationis proventuum administratorum, eorumque erogatio facienda est a sodalibus, seu Officialibus Societatum, Locorumque piorum oppidi Terlitii Episcopo in Visitatione, seu extra ad arbitrium dicti Episcopi in loco tamen Terlitii: *Juvenacen. Administ.* 17. *Novem.* 1736. *d.* 2.

51. Episcopus deprehendit Deputatos Seminarii administrationis munere minus recte perfungi, quum comperti fuissent debitores in summa ducat. 1195. 1. 19. hinc eis ulteriorem ipsius Seminarii administrationem interdixit; proindeque a S. C. sententia exquiritur, an constaret de sufficienti redditione rationis administrationis exercitae per Deputatos Seminarii, eo quia reliquum pecuniae una cum capsa depositi penes ipsos existentis non restituerint? respondit, negative, et Episcopus procedat pro ut de jure contra debitores: *Tricarien. Adminis. Semin.* 24. *Martii* 1736. *dub.* 2.

52. Redditio rationum soli Episcopo a sodalibus societatis in Ecclesia S. Johannis Baptistae in Atrio erectae est referenda de bonis, ac reditibus administratis, necnon de oblationibus dictae Ecclesiae: *Comen. Administ., et Jur. Paroch.* 27. *Julii* 1737. *dub.* 2.

53. Capitulum Ecclesiae Cathedralis, cui adjudicata fuit administratio non libere, sed cum regimine Episcopi redituum Capellae S. Michaelis Archangeli in eadem Ecclesia existentis, quos sub administratione Capituli Horatius Fortunatus Episcopus reliquit, reddere rationem de his reditibus Episcopo pro-tempore tenetur: *Neritonen. Redd. Rat.* 1. *Martii* 1738.

54. Dignitates, et Canonici Ecclesiae Cathedralis non tenentur, nec saltem a decem annis citra reddere rationem de emolumentis funerum, quarta funeris, pecuniis expensis in litibus, ac acceptis a Procuratoribus, et similibus aequaliter inter ipsos, et Presbyteros participantes, et portionarios, seu Mansionarios dividendis; sed sunt adstricti tantum praestare patientiam, ut libri administrationis inspici possint a Mansionariis juxta votum Episcopi della Patta (11): *Bituntina* 26. *Sept.* 1739. *dub.* 5.

55. Episcopus Lanfreschi, sui antecessoris Pinaque spolia convertit aliter quam in beneficium Cathedralis Ecclesiae, mentem eam Episcopi Praedecessoris fuisse asserens, et Capitulares duos, quos Capitulum ad spolia in computum redigenda, et vendenda destinaverat, liberavit ab ulteriori redditionis ratione. Hinc postquam Lanfreschi Episcopi spoliorum destinatio infirmata fuit, quaesivit etiam Capitulum, num redditio illa rationis in manibus Episcopi successoris facta esset sustinenda, vel facienda Cathedralis ejusdem Capitulo? non esse sustinendam, et coram Episcopo esse cum interventu Capituli faciendam S. C. existimavit: *Cajetana Spolii* 19. *Novem.* 1740. *dub.* 4.

56. Patres Scholarum Piarum, quibus sub nonnullis conditionibus concessum fuerat Collegium Albanense, reddere rationem de proventibus, quos a Convictoribus percipiunt, immunes esse putabant; Sed S. C. rationem referendam, et libros Convictus Seminarii edendos judicavit: *Albanen. Semin.* 23. *Junii* 1741. *confir.* 1. *Sept. ejusd. anni*.

57. Episcopum Ticini a Monialibus Monasteriorum SS. Mariae, et Aureliani, et S. Mariae Theodotae rationum redditionis exquirere posse plana res fuit: *Papien.* 16. *Martii* 1743. *d.* 9.

58. Exorta lite inter Miletensem Episcopum, et Commendatarios Hierosolymitanae Religionis, quisnam in oppidis Melicucca, et Drusio nuncupatis, et in temporalibus Religioni praefatae subjectis manutenendus sit in jure exigendi rationes administrationis singulis annis a Procuratoribus Ecclesiarum, et Capellarum, aliisque administratoribus locorum piorum? responsum fuit, Episcopum, qui consuerat, esse manutenendum: *Mileten. Juris* 3. *Aug.* 1743. *dub.* 15. *confir.* 23. *Novem. ejusd. anni*.

59. De oblationibus, ac eleemosynis, quae fiunt in Oratorio publico existenti in Latifundio nobilis familiae Bevilaqua penes oppidum Nonantulae, Capellanus ejusdem Oratorii, cui adjudicata fuit administratio, rationem reddere Ordinario debet: *Nullius seu Nonantulana Jur. Paroch.* 27. *Junii* 1744. *dub.* 12.

60. Episcopus Arimini rationem exigere valet administrationis bonorum

(11) Qui ita de sua sententia ad S. C. retulit: *Lib.* 89. *Decr. fol.* 314.

Monialium S. Sebastiani, viventium instituto Canonicorum Regularium Lateranensium ad formam Bullae Gregorii XV. Pont. Max. *Inscrutabilis* (12), posito etiam praetenso id agendi non usu; et pro ratione administrationis hujusmodi obtinenda asportari debent libri administrationis, aliaeque scripturae pro rationum recognitione necessariae ad Palatium Episcopale, non vero ad cancellos Monasterii computationes invisendas esse, decernitur: *Ariminen.* 27. *Januar.* 1748. *dub.* 9.

61. In eadem redditione rationis perficienda intervenire potest Abbas ejusdem Monasterii, et quatenus idem Abbas opportune monitus non comparuerit sive per se, sive per alium Regularem recognitionem fieri posse a solo Episcopo statuitur: *Ibid. dub.* 10.

62. Societas Mortis, et Orationis *del Quarto* de eleemosynis precario collectis etiam extra Oratorium non tenetur Parocho S. Johannis rationem reddere: *Januen. Jur. Paroch.* 13. *Julii* 1748. *dub.* 3.

63. Episcopum Liparensem rationis redditionem poscere posse sancitur ab administratoribus Hospitalis S. Bartholomaei, quod aedificatum fuit sine Altare, sine Capella, sine aere tinnulo, sine beneficio immunitatis, et sine etiam auctoritate ipsius Ordinarii; quamvis a Fundatore Bartholomaeo Russio sit Antistitis administratio exclusa, sed dictis tantum data Commissariis, et Exequutoribus: *Liparen. Exempt. Hospit.* 6. *Junii* 1750. *dub.* 1. *confir.* 11. *Julii ejusd. anni*.

64. Placuit S. C. mandare erectionem Canonicatus, seu Capellaniae amovibilis in Ecclesia Collegiata terrae Otriculi, quam fundatrix Constantia Metelli quamvis arbitrio executoris commiserit, inde nova dispositione arbitrium illius coarctavit ad casum, quo assis haereditarius ad eamdem erectionem impar esset. S. C. autem confirmans decretum addidit, ut Episcopus redditioni rationis incumbat: *Narnien. Erect. Canon.* 27. *Martii* 1751.

65. Antonius Surchius, ad quem devenit haereditas pii testatoris Johannis Surchii, se aere ejus haereditatis implicavit, et contumax est in redditionem rationis referenda. Arguitur enim de diminutione pensionum praedii *La Crispa*. Ob id re ad S. C. relata praecipitur Card. Archiepiscopo; ut procedat pro ut de jure in redditione rationis firmo remanente sequestro. Etiamsi dictus Antonius responderit redditam fuisse rationem, et ex ea constare debitum Scut. 273. 44., quae satis sunt credito rependenda: *Ferrarien.* 13. *Febr.* 1751. *confir.* 27. *Martii ejusd. anni*.

66. Ratio administrationis Legatorum testatoris Augustini Capelli reddenda a PP. Carmelitis oppidi Vulturis quolibet anno Parocho SS. Nicolai, et Erasmi, et Guardianis S. Francisci Ordinis Cappuccinorum, et S. Mariae Angelorum Strictioris observantiae ejusdem loci est peragenda coram eisdem insimul congregatis cum librorum exhibitione apud Parochum: *Januen. Capell.* 26. *Febr.* 1752. *dub.* 4.

67. Episcopus Piscensis, qui erecta ad Episcopalem Sedem Civitate Pisciae in locum Praepositi successit, rationem de bonis, et reditibus Ecclesiae S. Nicolai, et S. Stephani, et Congregationis Presbyterorum, quam Capitulum vocant, et cui pius testator Praepositis Pisciae executoribus designatis bona reliquerat, reddendam, et a Capitulo praedicto referendam esse affirmatur: *Piscien.* 21. *Julii* 1753. *dub.* 1.

(12) *Vide not.* 2. *pag.* 189.

68. Et quaesitum quum esset, an aliquid exigi possit in causam, et pro labore dictae redditionis rationis, seu ejusdem recognitionis librorum? rescriptum est, ad S. C. Episcoporum, et Regularium (13): *Ibid. dub.* 2.

69. Quando S. C. Eremus, et ruralis Ecclesia cum suis adnexis sub titulo S. Mariae Gratiarum in districtu urbis Hadriae ab Eremita Carosino aedificato et Capitulo Ecclesiae Cathedralis commendata, adjudicavit eidem Capitulo, Episcopo contradicente, eidem tamen jus petendi a Capitulo redditionem rationis reservavit: *Hadrien.* 16. *Martii* 1754. *dub.* 1.

70. Redditioni rationis, seu computationum recognitione de trimestre in trimestre faciendae de reditibus Monasteriorum Monialium Monasteriis Regularibus subjectarum in civitate Ferrariae existentium Regulares Vicarios et his, vel impedimento detentis, vel absentibus, Confessarios eorumdem Monasteriorum intervenire posse, et debere declaratum fuit: *Ferrarien. Jurisd.* 28. *Sept.* 1754. *dub.* 3.

71. Card. Ferrariae Archiepiscopum, inconsulto Superiore Regulari a dictis Monasteriis rationum redditionem exigere, et recipere non posse, rescribitur: *Ibid. dub.* 5.

72. Johannes Preyk Collegium Warmiae fundavit aere proprio, et univit Collegio Norbertino Praemonstratentium Urbis. Juspatronatus dedit Consanguineis Warmiae degentibus, et administrationem eorum Patrum Rectori lege tamen reddendi rationem patronis singulis triennis. Vadimonium Patribus denuntiatum fuere a Rev. Fabrica ad reddendas rationes, et absoluti fuere inauditis patronis, et ab anno 1706. rationes amplius redditae non sunt. Nunc patronis contendentibus Patres Norbertinos damnandos esse in Scut. 2819., et interrogantibus his S. C., an constet de legitima redditione rationis? responsum ad aliud tempus protractum, et dictum ad mentem: *Romana seu Warmien. Reddit. Rat.* 28. *Sept.* 1754.

73. Dubii cognitio instituta est in S. C., an constet de sufficienti redditione rationis pretii agri *il Colle*, ac domus, necnon tabularum pictarum in eadem domo a Testatore Benedicto Antonio Fioretti Montis Carotti, relicta; quae bona absque Operis Pii damno Exequutores Testamentarii causa creditorum hasta posita auctionati fuere? remittitur pro redditione rationis ad Ordinarium: *Æsina* 18. *Decem.* 1762. *dub.* 2. *confir.* 25. *Junii* 17 3.

74 Nicolaus Bizzarius Vadensis Ecclesiae Archidiaconus pro reaedificatione Seminarii ab Episcopo deputatus post quinquennium rationem reddidit coram Episcopo, qui omnia investigavit mature approbavitque. Sed anno elapso folium redditionis suae rationis una cum administrationis Seminarii libris fortuito combustum est; ac bona fide alium fuit exaratum, quod mutata rerum facie exhibebatur. Et licet in Curia fuerit dictus Nicolaus accusatus, ut dolo malo id egerit, tamen constare de legitima redditione rationis, itaut idem Archidiaconus amplius non est molestandus judicium fuit: *Vaden. Reddit. Rat.* 28. *Sept.* 1765.

75. Ad expunctionem rationum Ecclesiae Kempensis omnes Vicarios cum D. Pastore, qui numerum 4. personarum conficiunt, item omnes de Magistratu, quorum numerus incertus, item Praetorem cum Actuario, et Decurionibus infra Parochiam habitantibus, quorum numerus etiam fixus non est, sed, sicut Magistratus ad sex,

(13) *Vide not.* 673. *tom.* 2. *pag.* 495.

aut septem, aut octo potest ascendere, item Vice-Satrapam, et forsan Receptorem Electoralem, qui soliti erant, intervenire posse firmatur: *Colonien*. 14. *Martii* 1767. *dub*. 15.

76. Adprobationem Ordinarii Coloniensis factam super redditione rationis Sodalitii Rosarii B. M. Virginis a Parocho initae, et expunctae sustineri debere declaratur: *Ibid. dub*. 16.

77. Vicarius Bajulivus S. Euphemiae potest exigere tantum rationes ab administratoribus, et procuratoribus quòad pia loca Ecclesiarum subjective unitarum: *Caputaquen*. 4. *April*. 1767. *dub*. 11.

78. Sebastianus Scasellinius annua legata descendentibus, haereditatem Sodalitio S. Gregorii civitatis Faventiae reliquit, declaravitque, ut descendentes omnes pro rata parte haereditatis, quam Testator pro eorum subventione, ac dotatione cedere voluit, arbitrio Deputatorum Sodalitii acquiescere prorsus deberent sub poena caducitatis. At Anna Vidua Antonii Scarsellini petiit rationis redditionem, et S. C. non esse referendam redditionem rationis a dicto Sodalitio salvo jure Episcopi edixit; nam a Sodalitio legatum pium in longe majori summa descendentibus praestatur: *Faventina* 30. *Maii* 1772. *dub*. 2.

79. Nobilis, piusque vir Marchio Paullus Spada pingui dato reditu non nulla opera pia exerceri mandavit. Administrationem commisit a Familia Spada descendentibus, et Congregationis Paullinae Vocalibus. Pauperes de non facta juxta pii fundatoris mentem eleemosyna querebantur. Episcopus, qui occasione visitationis libros administrationis exquisivit, rejectus sibi decerni curavit Vocales hos Paullinae Congregationis Episcopo Faventino rationem reddere teneri: *Faventina Reddit. Rat*. 19. *Sept*. 1772. *dub*. 1.

80. Declaratum vero fuit, Vocales eosdem ad Episcopum in civitate Faventiae libros, et scripturas dictam administrationem respicientes deferre, seu mittere non teneri: *Ibid. dub*. 2.

81. Neque pro hac vice tantum libros eosdem, easdemque scripturas ad eumdem deferre, seu mittere adstringendos esse Vocales, firmatum fuit: *Ibid. dub*. 3.

82. Datum autem Congregationis Paullinae, seu Vocalibus illius fuit, ut possint eligere, sive deputare Ratiocinatorem, qui eorum nomine praesentiam, et assessionem praestet redditioni rationis recipiendae sive ab Episcopo, sive a Revisore Synodali, aut ab alio per Episcopum deputando: *Ibid. dub*. 4.

83. Redditionem hanc rationem sive in terra Brixichellae, sive in civitate Faventiae, semper esse ab Episcopo gratis recipiendam: non vero Vocales praefatos Revisori synodali, sive alteri per Episcopum deputando, mercedem solvere teneri statuitur: *Ibid. dub*. 5.

84. Jacobus de Comitibus animam suam recitavit haeredem. Nonnulla inde reliquit Legata, Exequutoresque designavit praestantes, ac conspicuos viros; quibus tantum ad effectum adducendi suam voluntatem independenter etiam ab omni Judice, a Rev. Fabrica, a Delegato Apostolico, et a quovis alio Ecclesiastico superiore potestatem tribuit. Societatis Jesus Rector exequutor est renunciatus, et anno 1753. reddidit provinciae sibi commissae rationem. Nunc praetendit Episcopus, ut ceteri etiam licet exempti exequutores compellantur ad reddendam sibi rationem gestae administrationis, et ab anno 1753. Episcopo rationem esse reddendam S. C. resolvit: *Asculana Commut. Volunt*. 20. *Januar*. 1776. *dub*. 2.

85. Patres Ordinis Servorum B. M. Virginis Conventus Foro-Livii tenetur reddere rationem Episcopo de eleemosy-

nis sive ab eis collectis, sive oblatis in honorem, et cultum Divi Peregrini Latiosi, ejusque Altaris. Nam in eorum Ecclesia Corpus dicti Sancti asservatur: *Forolivien.* 11. *Sept.* 1784. *dub.* 12.

86. Item rationem reddendam esse Episcopo ab anno 1781. S. C. decernit ab Administratoribus Communitatis dictae Civitatis de bonis, sortibus, ac reditibus quomodolibet spectantibus ad Altare, et Capellam Divi Peregrini in supradicta Ecclesia PP. Servorum erectam: *Ibid. dub.* 13.

87. Ac dicti Administratores pro tempore, si praesertim ab Ordinario fuerint requisiti, tenentur singulis etiam annis rationem de praedictis bonis, ac creditibus referre: *Ibid. dub.* 19.

88. Censuit S. C. constare de administratione exercita per Archipresbyterum Philippum Dominici, ac Priorem Bernardinum Laurenti pro negotiis Societatum Sanctissimi Sacramenti, Conceptionis, et Rosarii Civitellae quoad piam haereditatem Paulli Spaziani dictis sodalitiis relictam, necnon esse locum redditioni rationis infra terminum ab Episcopo praefiniendum. Etiamsi illi negarent unquam bona haereditaria contrectasse: *Tudertina Reddit. Rat.* 21. *April.* 1787. *dub.* 1. *confir.* 28. *Julii ejusd. anni.*

89. Comitissa Marta Scotti instituit laicalem Capellaniam, cujus bona assignata administrationi commisit Comitum Mancinelli haeredum, necnon reliquit loca Montium parvo Xenodochio Castri S. Viti sub administratione Societatum SS. Sacramenti et Sanctissimi Rosarii dicti Castri. Hanc administrationem Sodales permiserunt ipsis Mancinelli, at deficientiam novit utensilium Delegatus Narniensis Episcopi, et licet Comes Petrus Mancinelli exhibuerit librum administrationis, et syngrapharum de recepto, tamen S. C. non constare de redditione rationis, ac reddendam esse Episcopo justo judicio ponderavit; nam de reali relinquatus solutione nequaquam liquebat: *Narnien.* 27. *Febr.* 1790. *dub.* 2.

90. Vicarius Apostolicus Setino occasione Visitationis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae in Coelum assumptae Sulmonis in latio decrevit librorum accepti et expensi exhibtionem sub poena supensionis, ut reddatur ratio syndicis synodalibus. De injustitia hujus Decreti conquesti sunt Capitulares, quia ex propriis Constitutionibus Capitularibus illos exhibere et rationem reddere tenentur Capitularibus revisoribus. Ideo supplicant saltem pro reformatione, et S. C. validum decretum juxta modum (14) esse firmavit: *Terracinen. et Setina* 18. *Junii* 1796. *dub.* 4.

91. Cuncta opera pia, quae testator Card. Petrus Paullus de Comitibus, ejus exequutor testamentarius P. Thomas germani frater, et substitutus Canonicus Valenti praescripserant, usque ad annum 1790. quo anno idem Canonicus administrationem dimisit, ad effectum adducta fuere, postea inexactis fructibus LL. MM. sacra, aliaque neglecta fuerunt. Quaesita S. C. quoad administrationem, decernit esse concedendam in favorem patronorum Parocciae S. Mariae *del Trivio* quae est una ex tribus Ecclesiis, in cujus favorem testator disposuit, reddita ratione tamen quotannis Archiepiscopo: *Camerinen.* 18. *Novem.* 1797. *dub.* 2.

Redintegratio.

1. Pater Johannes Martinus de Hondt Praepositi munere pluries functus, et nunc Primarius Assistens Congregationis Oratorii ex nomine Card. de Berulle Institutoris *Berulliani* nuncupati per

(14) *Vide not.* 80. *tom.* 4. *Lit. L.*

24. annos ab Antecessore Archiepiscopo, et per alios 12. sub hodierno confessiones excipiendi, et concionandi munera eorumdem expressa licentia exercuit, sed eam tanquam ad beneplacitum concessam hodiernus Archiepiscopus ipsi revocavit: idcirco quaerit ille, an ad praedicta munia sit redintegrandus? et S. C. protelando definitionem ad mentem respondit: *Meclinien. Redinteg.* 17. *April.* 1706.

2. Prolato dubio an Patres Ordinis Praedicatorum suspensi, qui noluerunt obtemperare praecepto Episcopo injuncto sub poena localis interdicti, quod S. C. haud firmum esse putavit; siut redintegrandi ad audiendas confessiones sacramentales? S. C. dixit ad mentem: *Andrien. Proces. et Interd.* 6. *Julii* 1709. *dub.* 7.

3. Quum tempore absentiae a Capitularibus Uratis laviensibus a consortio Canonicorum vigore decreti Capitularis exclusus fuerit Canonicus Jo. Ludovicus Baro de Kravars, donec condignam satisfactionem exhiberet de assertis calumniis contra Capitulares prolatis super defraudato stipendiorum errario. Eo instante S. C. decrevit ejus redintegrationem ad sessiones Capitulares praevia satisfactione ab Ordinario praescribenda: *Uratislavien. Jur. Canon.* 22. *Sept.* 1714. *dub.* 3.

4. Decanus et major pars Canonicorum Collegiatae Ecclesiae B. M. V. oppidi Huensis statuerunt extractionem nummorum bismille Imperialium ab aerario seu capsa Capitulari, ea conditione, ut in litis expensas erogarentur, et successive capsa una cum fructibus redintegraretur. Quatuor Canonicis opponentibus excussum est dubium, an sit locus redintegrationi capsae, seu listae Capitularis in mille imperialibus ab ea extractis? responsum S. C. procrastinavit, et ut dentur literae urgentiores pro cleri informatione juxta instructionem jussit: *Leodien. Redinteg. Capsae Capit.* 13. *Novem.* 1717. *dub.* 1.

5. Declarata a S. C. nullitate contractus emptionis, et venditionis domus et cauponae Beneficii cujusdam possessi a Carolo Martiano, idem est redintegrandus ad possessionem eorumdem bonorum ad formam sententiae Episcopi latae in exequutionem resolutionis S. C. quae mandaverat Episcopo, ut procederet ad revocationem alienationum, quae neglectis conditionibus appositis a S. C. Episcop. et Regul. factae fuerant: *Ruben. Null. Alien.* 28. *Aug.* 1723. *dub.* 2.

6. Quum Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae oppidi Pontis Coroni non teneretur ex decreto S. C. subministrare utensilia, nempe vinum, ceram, et hostias eis qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione beneficii, sive Capellaniae exceptis illis, cum quibus habet conventiones particulares et quoad Missas adventitias onus habet dictae praestationis; et quatenus permittat eos in sua Ecclesia celebrare, nec teneri has Missas adventitias admittere, nisi solutis utensilibus per celebrantes; modo censuit praedictum Archipresbyterum esse redintegrandum de expensis pro vino, cera, et hostiis suppeditatis ab anno 1716. usque ad diem 25. Martii 1722. juxta praedictum Decretum S. C. *Derthonen.* 6. *Julii* 1726. *dub.* 3. Deinde censuit ead. S. C. non esse molestandos quoad praeteritum illos, qui celebrarunt Missas adventitias, quatenus acquiescant resolutioni: 28. *Sept. ejusd. anni.*

7. Parochi Montis Philoptrani, qui totum pondus procurationis in retroactis Visitationibus sustinuerunt, proportione servata pro ultimis procurationibus sunt redintegrandi: *Auximana Procur.* 15. *Martii* 1727. *dub.* 2.

8. Commendator Conventus SS. Johannis, et Cordulae apud Coloniam Re-

ligionis Hierosolymitanae quemdam Novitium ad professionem inter Fratres Capellanos dicti Conventi admisit, eique literas contulit dimissoriales absque licentia Magistri Ordinis Alemaniae. Nuntius Apostolicus nomine S. C. illum ab ordinum exercitio suspendit, necnon a voce activa, et passiva arcuit. Expostulat nunc Commendator redintegrari, et ex gratia se esse redintegrandum rescripsit: *Colonien.* 17. *April.* 1728. *dub.* 4. *confir. additumque ad mentem* (15) 19. *Junii ejusd. anni*.

9. Concordiam initam inter Principem Pamphilium, ac Ecclesiam S. Agnetis super supplemento Capellaniarum dotium, quas fundavit Princeps Camillus, S. C. non adprobavit; hinc apertum non erat, in qua summa sit redintegranda Ecclesia S. Agnetis pro supplemento soluto Capellanis quibus dos congrua oneribus deficiebat? S. C. ead. remisit dubium ad Card. Praefectum pro nova concordia etiam ex officio juxta mentem: *Romana Supplem. Concordiae, et Redinteg.* 28. *Novem.* 1733. *dub.* 3.

10. Episcopus Fori Cornelii qui ab aliisReligiosis certior factus de nonnullorum religiosorum crimine adversus Bullam Innocentianam super celebratione Missarum, quae omittebantur, et mentito celebrantium charactere scribebantur, non solum non redarguit peccantes, sed etiam praetermissa onera jussit adnotari, ac Fr. Magistrum Thomam Boni Ministrum Provincialem Tertii Ordinis voce tam activa, quam passiva privavit necnon ad quaecumque Religiosa munera obtinenda inhabilem reddit. Insontem, nulliusque culpae reum se esse credens Fr. Boni petit ad vocem activam, et passivam pro quibusque sui Ordinis muneribus redintegrari, et fit ex gratia sui voti compos. *Imolen.* 17. *Decem.* 1740.

11. Nomine Capituli S. Mariae Ecclesiae Collegiatae civitatis Foggiae S. C. preces porrectae fuerunt, quibus indulgeri efflagitat, primum ut pro redintegratione summae ducat. 1600., quae impensa fuit in refectione aedium complurium e terrae motu concussarum ad illius Ecclesiae praebendas spectantium, concedantur induciae annorum octo, quas nullum ipsis inferre damnum Canonici ajunt. Secundum, ut iisdem Canonicis ad cautelam absolutio impertiatur a quibuscumque censuris, quas forsan incurrerint ob neglectam aerarii communis ex fructibus domorum redintegrationem. S. C. rescripsit praevia absolutione a censuris, et Dispensatione ab irregularitate imposita aliqua salutari poenitentia arbitrio Episcopi pro gratia juxta petita dummodo quolibet anno deponant ducat. 200. pro redintegratione communis aerarii, et de sequuto deposito doceant coram Episcopo: *Trojana* 21. *April.* 1742.

12. Dum explanatio optata est dubii, an in casu, qua debeatur portio immunis a litium sumptibus Episcopo ex massa communi Ecclesiae Cathedralis redintegrandus sit idem Episcopus de expensis litium usque adhuc detractis ab eadem massa? S. C. rescripsit, ut videatur in casibus particularibus: *Alexanen.* 1. *Sept.* 1742. *dub.* 5.

13. Franciscus Antonius Nuccius census aliquos Capellaniae a suis fundatae inutiliter etiam Episcopi auctoritate munitus distraxit, subrogavitque immobilia bona valoris scut. 1000., ac propterea ipsum, seu ipsius donatarium Robertum Sassatelli ad eorumdem censuum redintegrationem teneri S. C. determinavit: *Ariminen. Benef. seu Ca-*

(15) Mens fuit, ut Magnus Prior in admissione Novitiorum non denegaret consensum, nisi ex justa, et rationabili causa: *Regist. Lit. Lib.* 27. *die* 19. *Junii* 1728.

pell. super Redinteg. 18. *Novem.* 1747. *dub.* 2.

14. Quum Sacerdos Jo. Antonius Lucchinius qui obtinuit locum institutum a Johanne Nelli, ut addictum sit Ecclesiae Patrum Congregationis S. Philippi Nerii servitio, amotus ab iisdem Patribus fuisset, et hanc remotionem dum reprobavit S. C., locum esse redintegrationi mandavit: *Foroliuien.* 11. *Julii* 1750. *dub.* 2.

15. Bona, quae in dotem Capellaniae a Reparata Fondacci institutae fuerant assignata, sicut ab haeredibus alienata fuerunt, ita ab eisdem sunt redintegranda; etiamsi haeres Familia Liccia Episcopi testimonio maxima paupertate praesertim ob componentium numerum laborare doceret, et nullum remedium ad ejus indigentias sublevandas inveniri valeret: *Alerien. Legat.* 12. *Aug.* 1758. *dub.* 2. Causa reproducta resolutionem distulit S. C. ut scribatur Episcopo juxta mentem 24. *Novem.* 1759. Inde confirmatur decisio emanata: 8. *Martii* 1760. *et* 21. *Junii ejusd. anni* addendo ad formam testamentorum, et codicilli Reparatae.

16. Quaedam Mulieres, quae induunt habitum Tertii Ordinis Carmelitarum acesserunt ad excolendas puellas oppidi Arcis Priorum, et a summo Pontifice obtinuerunt ad conservatorium erigendum scut. 36. annua, et nonnulla dotalia subsidia, de quibus quatuor loca Montium cum dimidio emerunt; at jurisdictioni Episcopi subesse noluerunt; ideo urbem repetierunt postulantes omnium redintegrationem. S. C. dictam redintegrationem minime deberi decidit: *Tusculana* 30. *Januar.* 1768. *d.* 1.

17. Causa pestis Populum oppidi Genesii vexantis solemnis fieri consuevit supplicatio ususque invaluit praestandi ex reditibus Capellae B. M. V. Gratiarum a Communitate extructae in Ecclesia Collegiata certam eleemosynam Capitulo illius ad illam intervenienti. Verum anno 1726. quum nulli extarent reditus Capellae, Communitas tribuit ex ipsius extraordinariis reditibus usque ad annum 1762. Hoc anno auctis Capellae reditibus ex his illam eleemosynam dari ac tradita ab ea ab anno 1726. restitui statuit pubblicis comitiis Communitas. Ob id incertum fuit, an omnes, qui comitiis praefuerunt, in censuras incurrisse? necnon expetita est a S. C. pro coactione Communitatis ad Capellae redintegrationem; et S. C. in favorem Capellae redintegrationem praecepit: *Camerinen.* 11. *Julii* 1767. *dub.* 5.

18. Conceditur ad formam peritiae judicialis redintegratio Archihospitali Ecclesiae S. Jacobi Incurabilium ob grave damnum passum ex implemento onerum Coeciliae Merisi haereditatis, quam cum beneficio Legis, et inventarii adiit: *Romana Reduct. Legat.* 2. *Junii* 1774. *dub.* 1.

19. Super bonis a Vincentio Lucatelli Societati Suffragii in Ecclesia S. Spiritus erectae, quam sibi haeredem in testamento scripserat, ad hoc ut construeret novam Ecclesiam cum onere solvendi scut. 50. annua Capellano Sodalitii, nonnullasque Missas celebrandi, relictis, redintegratio petita fuit a Societate ipsa, eoquod aes suum impenderat pro satisfactione onerum ab eodem testatore praescriptorum: At quoniam in aedificatione facienda in expensis excesserat, preces ratae non fuerunt: *Pisauren. Redinteg. et Reduct. Miss.* 29. *Novem.* 1777. *dub.* 1.

20. Quum Capitulum Ecclesiae Cathedralis praevia suspensione onerum Missarum postulasset redintegrationem expensarum quae in causam piam fuerunt erogatae, licet ejusdem piae causae reditus non responderet, S. C. redintegrationem denegavit: *Placentina* 16. *Januar.* 1779. *confir.* 15. *April.* 1780.

21. Redintegrationem studuit assequi

Johannes Baptista Gerardengo expensarum, quas ipse, et ejus pater erogaverat pro restauratione domus relictae a Luca Cravenna, sed studuit incassum. Nam testator celebrationem Missarum mandaverat, quarum satisfactio neglecta erat, et orator compositionem a Rev. Fabrica S. Petri retulerat. *Derthonen.* 3. *Aug.* 1782. *dub.* 1.

22. Perspectis Resolutionibus Congregationis Particularis anni 1727. ac Chirographum Bened. XIII. Pont. Max. quo facultas est Communitati tributa vendendi Loca Montium ad dimittendum aes alienum contractum pro causa Canonizationis Divi Peregrini Latiosi S. C. post redditam rationem coram Episcopo Communitatem praedictam redintegrare se debet de expensis factis in dicta occasione, et docere de implemento coram eodem Episcopo: *Foro-Livien.* 11. *Sept.* 1784. *dub.* 14.

23. Item teneri extinguere Loca Montium, de quibus fit mentio in dicto Chirographo, et docere de implemento coram Episcopo statuitur: *Ibid. dub.* 15.

24. Redintegrationi esse locum censuit S. C. Sodalitii Sanctissimi Suffragii oppidi S. Elpidii ad mare subjective, ac perpetuo uniti alteri sodalitio Sanctissimi Sacramenti ejusdem oppidi, quando constat de nullitate unionis, facta tamen prius per Sodales Societatis suffragii oblatione in forma juris valida de subministrando quotannis Societati Sanctissimi Sacramenti aliquo subsidio a Card. Albani Protectore taxando: *Firmana* 10. *Decem.* 1785. *dub.* 2.

25. Postulatur quomodonam sit providendum quoad tempus praeteritum de redintegratione scilicet ejus, quod ex reditibus Fabricae Ecclesiae Cathedralis a Capitulo in alios usus conversum est? resolutio exstitit, ut ab Episcopo praefigeretur terminus Canonicis ad reddendam rationem coram eodem: *Asculana* 12. *Julii.* 1788. *dub.* 5. Ac causa iterum proposita demandatum fuit, ut proponeretur particulariter sub congruo dubio; an sit standum vel recedendum a decisis sub die 30. *Novem.* 1673. quoad expensas Castri Maltineani: 7. *Febr.* 1789.

26. Contracto permutationis, ac respective venditionis inito inter Conservatorium Oblatarum Sacrae Familiae Setiae, et Joachim Benedictum Pacifici de licentia Card. Protectoris invalido a S. C. declarato, eadem S. C. esse locum redintegrationi Conservatorii ad bona in permutationem tradita: *Terracinen. et Setina* 23. *Januar.* 1790. *dub.* 2.

Reliqua *Vide Archipresbyter* §. *X. Capellanus* §. *VII. Ecclesia Parochialis* §. *V. Parochus* §. *IX. Presbyteri* §. *VII. Sodalitium* §. *IX. Vicarius Capitularis* §. *IV.*

Reditus *Vide Abbas* §. *VI. Archidiaconus* §. *III. Archipresbyter* §. *IV. Beneficiati* §. *I. Canonici* §. *III. Capellanus* §. *II. Capitulum Ecclesiasticum* §. *IV. Census* §. *II. Dignitates Ecclesiasticae* §. *II. Hospitale* §. *II. Legatum Pium* §. *IX. Parochus* §. *VI. Praepositus* §. *II. Presbyteri* §. *III. Prior* §. *II. Seminarium* §. *II.*

Reductio *Vide Anniversariorum Reductio, Capellania* §. *VII. Legatum Pium* §. *XII. Missa* §. *XII. Pensio Ecclesiastica* §. *I. Subsidium dotale* §. *XI.*

Refectio *Vide Bona Ecclesiastica* §. *VII. Damna etc. Oratorium* §. *IV.*

Regressus *Vide Bona etc.*

Regulae *Vide Regulares* §. *VII.*

Regulae Cancellariae Apostolicae.

Dum controversum fuit an Prioratus Collegiatae S. Jacobi urbis Tolentinae sit Dignitas, cujus qualitatis, et ad quos effectus? S. C. respondit esse Dignitatem ex comprehensis sub Regula IV.

Cancellariae (16) ad effectus praeeminentiales juxta ipsius Collegiatae consuetudinem: *Tolentina Ser. Chori, et Missae Conven.* 26. *Maii* 1739. *dub.* 4.

Regulares quoad Coenobium *Vide Reuglarium Monasterium*.

§. I.

Regulares quoad Ejectionem (17) *Egressionem, et Transitum ad aliud Monasterium seu Religionem.*

1. Satis provisum est per decreta de Apostatis, et Ejectis sub die 21. Sept. 1624. (18) edita, et ideo omnine servanda sunt: Ita S. C. in *Limana* 10. *Martii* 1629. *dub.* 2.

2. S. C. audito Procuratore Religionis Carmelitarum Discalceatorum S. Theresiae ore, et scriptis, necnon Constitutionibus dictae Religionis, ac aliis deductis mature perpensis, censuit dimissiones, et ejectiones Professorum a Religione, quae ab eadem Religione fiunt ex capite illegitimitatis, vel ex alio defectu faciendas esse conjunctim

(16) *Vide not.* 200. *pag.* 144.

(17) *Const. Nuper.* 24. *Octob.* 1693., qua Innocentius XII. confirmat Decretnm S: C. Concilii *die* 4. *Sept.* 1693., quo conceditur Vicariis Generalibus Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redempt. Captiv. in Indiis facultas ejiciendi inquietos, et incorrigibiles. *Vide not. sequentem*.

(18) Jussu Urbani VIII. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 5. *pag.* 248.), quibus accessit decretum ejusdem S.C. Concilii Innocentii XII. jussu editum moderatorium, ac Incorrigibilium respective innovatorium emanatum die 24. Julii 1694. Ex quibus decretis colligitur quinque praerequiri ad expulsionem incorrigibilis. Primum est recidivatio expellendi in grave crimen. Secundum est monitio seu poena reiterata Reo incussa ad ejus correctionem. Tertium est processus institutus juxta Ordinum Constitutiones in ordine ad expulsionem. Quartum est formalis carceratio expellendi in jejunio, et poenitentia. Et quintum est incorrigibilitas in eodem. Recidivatio in ordine ad explusionem non requiritur quod fiat in idem crimen specie, sed sufficit quod fiat in alia delicta quamvis specie diversa; unde si quis primo punitus de fornicatione; secundo de percussione; tertio de furto; denuo delinquit alio crimine videlicet proprietate, Apostasiae, et hujusmodi, potest ab Ordine ejici non minus, ac si ter de eodem specie delicto fuisset punitus. Ita Canonistae.

Quoad Apostatas Regulares Bened. XIV. *Const. Pastoris Aeterni* 12. *Januar.* 1750. (*Bull. ejusd. tom.* 3. *pag.* 259.) ad suos ordines eos cum poenarum condonatione revocavit.

Quod attinet ad ejectionem e Monasterio, aut translationem Religiosorum, ac Monialium absque eorum, vel earum culpa, atque crimine habemus praeclaram Epistolam Pontificis Max. Pii VI. Ad Episcopum Matthiam Brunensium hisce verbis conceptam.

„ Ex literis quas 6. Nonas Maii, ac iterum 3. Nonas Aprilis ad Nos dedisti, gravem moeroris causam accepimus. Dolenda quidem res est, quae nonnullos Regularium Ordines huo illucque submovet, ac vivos Religiosos, sacrasque Virgines dejicit a Monasterio.

Sed nimis properasse te arbitramur ea Declaratione, quae Monachos Carthusianos, tua in Dioecesi, statim a propriis legibus, statutisque liberos solutosque renuntiat, ut conditionem, statumque Praesbyterorum secularium illico inire valeant. Generalis haec namque Declaratio, quae inscia prorsus Sede Apostolica, Tibi, Ven. Frater, oportuna malis visa est, Nobis cum intempestiva, tum periculi plena videtur.

Curandum in primis est, ut omnes in vocatione sua permaneant, ideoque in alia, vel proprii, vel alterius Instituti Monasteria se recipiant, ubi Vota solemnia, quibus vitam Deo consecrantur, rite recteque persolvant. Nulla rerum humanarum ratio, quam Te, in Monachorum causa, prae oculis habuisse scribis, sed una conscientiae et salutis cura habenda est.

Haec sane verbis nostris dicito iis ad quos pertinet, eosque confirma, si a proposito declinare cognoscas. Ac si forte cuipiam accidat, ut Receptorem sibi nequeat invenire, in hoc tantum infortunio sinimus eum tamdiu in Statu Presbyteri secularis permanere, quamdiu ita vivere sola necessiate cogetur.

Sed quisque debet versari in seculo, memor vocationis suae, ejusque tenax discipli-

coram Ordinario, et Superiore Regulari loci ad praescriptum Sacri Concilii *cap.* 19. *Sess.* 25. *de Regul.* (19), ideoque sententiam cum processu super dimissione, et ejectione Fratris Caroli Mariae a Jesu ab ipsis Regularibus latam validam non esse: *Neapolitana* 15. *Novem.* 1653.

3. Ad dubia examinata, an si quando comperiatur, novitium ex praescripto Constitutionis interrogatum adversus ipsam deliquisse impedimentum occultando, possit idem Novitius post emissam professionem per superiorem expelli?

4. An vero in hac facti quoque specie servanda sit forma Decreti *in cap.* 19. *Sess.* 25. *de Regul.* (20)? S. C. respondit posse ejici, sed servata forma praedicti Decreti Sacri Concilii: (21) *Eremitarum Camaldulensium* 23. *Januar.* 1666. *dub.* 1. *et* 2.

5. Dum agitur de quodam Cappuccino ejecto per sententiam Superioris Regularis ex causa mox insinuata, proponuntur haec dubia; an dictus Frater Leo fuerit a Religione legitime dimissus?

6. An eidem liceat uxorem ducere? et S. C. ad utrumque negativum praebuit responsum: *Consentina Nullit. Profes.* 2. *Junii* 1674.

7. Fr. Petrus Nolascus de Olivares Professus Sacerdos in Religione Min. Observantiae S. Francisci Tertii Ordinis Provinciae S. Michaelis Andalusiae post annos 32. ob varias vexationes discessit absque licentia, ac inde petiit transeundi ad aliam Religionem. Sub die 17. Aug. 1695. rescriptum habuit „ Oratorem gaudere posse indul- „ to pro Apostatis, et fugitivis, cujus „ tenore adamusim servato, ita tamen, „ ut intra tres Menses proximos tan- „ tum, vel ad propriam, vel ad aliam, „ Religionem transire teneatur, alias „ pro recidivo Apostata habeatur „ Vigore hujus rescripti permeavit praevio consensu Procuratoris Generalis ad Ordinem Canonicorum Regularium S. Antonii Abbatis Viennensis, ubi solemniter professus est. Inde oravit pro declaratione validitatis transitus, et S. C. nullum fuisse transitum resolvit, jubendo, ut Orator omnino redeat ad primaevam Religionem infra mensem sub poenis contentis in Indulto de Apostatis: *Cajetana Trans.* 24. *Martii* 1703.

8. P. Maximus a S. Thoma in seculo Jacobus Bartolus post emissam solemnem professionem in Religione Clericorum Regularium Pauperum Matris

nae et vitae Regularis, cui se pridiem adscripserit. Vota solemnia, quae semper firma, semperque immota permanebunt, custodiat, et servet. Sacrilegium profecto esset, si quid a purissima castitatis obligatione detraheretur. Studio enim paupertatis, quantum pro nova vivendi ratione fas est, omnes addicti sint, ut falaci terrestrium cupiditate immunem laetumque animum praeseferant. Obedientiam quoque praestent Episcopo et sub veste signum aliquod gerant Regularis Professionis, ne ex hac revera exiisse videantur.

Habes itaque Sententiam Nostram, ad quam omnia consilia componere debes. Hinc facile intelliges Nos minime iis assentiri, qui dispensationem a votis solemnibus postulant, ut carnales Nuptias contrahant, vel condere valeant testamenta.

Cave igitur ne dispensatio hujusmodi, qua decor, et pulcritudo domus Dei pollueretur, audiri contingat in Ecclesia. Neque tu potes jure ordinario concedere, ut recte cogitas, neque Nos tibi ejus tribuendae jus vel potestatem delegamus.

Itaque esto memor Sacerdotii tui, et macte animo, ut assiduis ad Deum precibus, validam Nobis opem impetrare coneris. Optima hac spe, Tibi, Ven. Frater, atque ovibus fidei tuae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Vindobonae pridie Idus Aprilis anno 1782.. Pontificatus Nostri 8. "

(19) *Vide not.* 239. *Lit. pag.* 167.
(20) *Vide not. ibid.*
(21) *Vide not. ibid.*

Dei Scholarum Piarum coepit ita irreligiose vivere, ut necesse fuit tanquam incorrigibilem carceribus mancipare cum jejunio, et poenitentia per annum. At hic non desuevit, idcirco praefixo termino pro tribus Canonicis monitionibus, ac diebus ad deducenda sua jura defensionis a Praeposito Generali sententia de ejectione a Religione emanavit, postmodum illo redintegrari postulante S. C. decernit fuisse legitime ejectum, uti incorrigibilem: *Romana Redinteg.* 1. *April.* 1702. *dub.* 1.

9. Nec esse locum regressui ad eamdem Religionem putavit: *Ibid. d.* 2.

10. Johanni Nicola de Laurentiis uti Sacerdoti ordinato ad titulum Religiosae paupertatis in Societate Jesu, et deinde ab ea ipso petente justas ob causas dimisso, congrua pars rata seu conservatio saltem annua quadraginta aureorum ab eadem Religione in praesenti casu non debetur: *Neapolitana Cong.* 8. *Aug.* 1705. *d.* 1.

11. Postquam diu in Camaldulensium Congregatione militavit Sacerdos Bartholomaeus Rondinius indultum a Sacra Poenitentiaria obtinuit ad aliam Religionem transeundi, et exceptus fuit ab Abbate Generali Monasterii S. Laurentii de Plebe Martyrum Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Ultiensis, qui quum nulla Canonicalis Praebenda vacans tunc esset, admisit uti supernumerarius cum patrimonio, ac solemniter professus est, ac pro suis bonis recuperandis extra Monasterium moratus est. Interea controversia orta super validitate transitus, tum perspecto asserto Capitulari decreto, quo prohibentur in dicta Congregatione excipi, qui in altera Religione nomen dederant, ac cavetur, ne ullus admittatur, nisi praebendam vacantem in ipso ingressu cooptare possit, tum quia idem transitus expletus non fuit ex brevis forma, S. C. tamen stetit pro validitate in casu de quo agitur addendo, ut redeat ad claustra infra sex menses (22): *Taurinen. Trans.* 6. *Aug.* 1712.

12. Quum Joseph Xaverius Petremand Canonicus Regularis Monasterii seu Abbatiae Montis Benedicti Ordinis S. Augustini non esset consecutus a S. C. restitutionem in integrum ad infringendam suam professionem, quam nullam asserebat ex vi, metuque a genitoribus illato, ab ead. S. C. postulavit, an sit locus translationi ad aliquem Ordinem Militarem, ubi vota emittuntur? quae annuit pro translatione ad Hospitalarium S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonii Viennensis (23): *Bisuntina Restit. in Integ.* 23. *Junii* 1714. *dub.* 2.

13. Adelesmus Antonius de Cardenas nomen dedit Religioni Carmelitarum Discalceatorum, sed antequam professionem emitteret, ab eadem recessit, et receptus fuit in Religionem Clericorum Ministrantium Infirmis, ubi professus est, ordinesque Sacros suscepit. Sed quia non patefecit antea fuisse receptum inter Carmelitas Discalceatos, professio vigore Ordinis Constitutionum nulla fuit adjudicata,

(22) „ Dixi quidem *in casu de quo agitur*, quia respectu Canonicorum Supranumerariorum, visa fuit difficultas canonizare dictam Canoniam claustralem; cum tantum Numerarii praebendarii in claustris degant, Supranumerarii vero extra claustra, ... , donec vacet praebenda, ne alatur a Monasterio. In casu autem praedicto fuit consideratum Oratorem de suo instituisse praebendam, donec vacaret ordinaria, ut possit ali in Claustro; ac fortius quia jam vacaverat praebenda, et sic permanentia extra Claustra fuit ratione muneris, pro Monasterii negotiis in urbe, cum licentia Superioris, quae non tollit qualitatem Claustralis " Card. Petra in dicta causa ait: *Comment. ad Const.* 3. *Calisti* 3. *num.* 21. *tom.* 5. *pag.* 48.

(23) *Vide not.* 243. *tom.* 2. *pag.* 177.

necnon cum declaratione incurrisse suspensionem, et irregularitatem ejectus fuit. Ut sua consilia ostendat, S. C. appellata est, an sit concedenda relaxatio suspensionis, necnon dispensatio ab irregularitate, vel quomodo sit providendum? respondit, dilata, et Adelesmus redeat ad Religionem, et ejectio fiat, quatenus fieri velit servatis servandis a Superiore una cum Ordinario: *Burgen.* 13. *April.* 1720.

14. Dubium agitatum est quoad Regulares ad triremes damnatos, quibus expleta poena a triremibus quomodo sit providendum? S. C. nullum consilium cepit rescribens, ut audiantur Procuratores Generales Ordinum: *Dubium Regular. ad Triremes Damnat. etc.* 24. *Martii* 1725.

15. Bonifacius Majocchi Religiosus Conversus in Monasterio S. Simpliciani Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis ad Sacros ordines promoveri cupiens titulo simplicis Beneficii, supplicavit, ut egredi ex Monasterio ei liceret ad hoc ut ad Sacros Ordines evehi valeret. Vicarius Generalis retulit, ut vetitum ab Ordinis Constitutionibus Religiosis Conversis esse literas ediscere; verum quum ab Abbate jam permissum fuisset Oratori per annos quatuor studiis operam dare, Religioni non displicere, si Orator ab ea egrediatur, sacrisque initietur Ordinibus, si idoneum habeat titulum. Attamen Oratoris voto S. C. minime favit: *Mediolanen.* 10. *Martii* 1742. Rediit ad judicium S. C. Majocchus, postulatque susceptam deponi sententiam. Addit ille, se jam ab Examinatoribus Synodalibus renunciatum esse, et minores, et ad Sacros suscipiendos ordines idoneum, subjunxitque obtinuisse Beneficium; ideo S. C. sententiam placuit permutare: 14. *Decem.* 1743.

16. Constitutionibus Ordinis Cappuccinorum adprobatis cautum est, ut qui morbo caduco, aut alia contagiosa, aut incurabili infirmitate afficitur, non recipiatur, et si quis talis receptus fuit, eo quod interrogatus talem infirmitatem manifestare noluerit, declaretur, Religionem ad eum retinendum minime esse obvinctam. Jo. Baptista Kremer hernia laborans ordini huic in Provincia Rhenana nomen dedit, morbum tacens. Detecto vitio ab uno ad alium locum morbi curandi causa transmissus fuit. Confecto ab Episcopo processu, latebat, num Kremeri, qui P. Nicephori nomen sumpsit dimissioni locus esset? S. C. rem non definiens, voluit, ut scriberet professionis defensor: *Treviren. Dimiss.* 1. *Aug.* 1750.

Regulares quoad Incapacitatem Legatorum Piorum *Vide Legatum Pium* §. *XV.*

§. II.

Regulares quoad Judicem Conservatorem.

1. Dubium; an in casu, quo Episcopus praecipiat decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus observari, et exequutioni demandari, Regulares quicumque, etiam societatis Jesu, sub praetextu, quod hujusmodi praecepta infringant sua privilegia, possint eligere Conservatores? S. C. aperuit ita, si Epicsopus praecipiat Regularibus, etiam societatis Jesu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini observent, ac exequantur in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni, et correctioni Episcopi; minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere: *Angelopolitana* 14. *Maii* 1648. *dub.* 1.

2. Et ad alterum, an quando Ordinarius procedit juris ordine servato

adversus Regulares praedictos in casibus, in quibus per Concilium Tridentinum, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? respondit ut ad proximum non posse: *Ibid. d.* 2.

3. Inde dum cadit in disquisitionem, an in casu, in quo Regulares quicumque etiam societatis Jesu exhibeant aliqua privilegia, et Ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere, Regulares praefati possint, et debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem vel potius possint hoc casu eligere Judices Conservatores? explicat si verba privilegiorum sint obscura, et ambigua non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec Conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum: *Ibid. dub.* 4.

4. Postmodum, utrum Constitutio Gregorii XV. Pont. Max. circa Conservatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus S. C. Concilii desuper editis (24) aeque afficiat, et comprehendat Religiosos societatis Jesu, ac reliquos Regulares, itaut omnia alia praedictae societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictae Constitutionis, et sic in posterum debeant ab iis eligi Conservatores juxta formam, et tenorem praedictae Constitutionis? S. C. voluit hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut praetenditur editis aeque afficere Religiosos societatis Jesu, atque aliorum Ordinum, et Conservatores ad illius praescriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quae omnia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis: *Ibid. d.* 5.

5. Clam est, an Regulares praedicti gravati aere alieno vel ad ratiocinia, vel testamentorum exequutores, possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario praescriptum? ita aperte redditur, Regulares in causis praefatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad praescriptum Constitutionis Gregorii XV. (25) Conservatores non elegerint, ipsumque electionis documentum intra praefinitum tempus in actis Curiae ipsius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint: *Ibid. dub.* 6.

6. Indiget interpretatione, an dicti Regulares Conservatores, sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis praestare cautionem coram Ordinario, sive alio Judice competen-

(24) Haec Constitutio, quae incipit *Sanctissimus*. 20. *Sept.* 1621. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 4. *pag.* 385.), revocat quarumcumque electionum Judicum Conservatorum hactenus factarum, et novam de eis, eorumque electionibus in posteris faciendis observandam praecipit; cui accessit declarationem S. C. Concilii cujusdam dubii super dicta Const. exorti, ac in ead. relatam. De hoc habetur in Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. *de reform.* quo statuitur, causas criminales, et mixtas ad locorum Ordinarios, et non ad Conservatores pertinere; civiles vero ab his posse cognosci, cum ii, quorum privilegia tuentur, rei sunt, non actores, prius ampliatum fuit a Clem. VIII. *Const. Sanctissimus* 19. *Martii* 1592. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 1. *pag.* 337.), ac postea majori declaratione, et extensione a Gregorio XV praedicta Constitutione.

(25) Quae iucipit *Sanctissimus* 20. *Sept.* 1621. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 4. *pag* 385.) et disponit §. 7. „ Ejusque electionis seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi penes acta Curiae Ordinariorum exhibere, et dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quam diu Conservatores secundum formam praesentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniatur. “

te, de judicio sisti, et judicatum solvendo, casu quo in lite, sive causa succubuerint? rescripsit S. C. non teneri: *Ibid. dub.* 7.

7. Perpensoque, an quando Episcopi jura, vel decimas Cathedralium adversus Regulares praedictos dote sua spoliantes Ecclesias coram Judice competente tuentur, librosque, memorialia, et allegationes producunt jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, et acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis adnumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores praetendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? rescripsit, si Episcopi pro tuendis juribus Cathedralium Ecclesiarum coram Judice competenti hujusmodi scripta producant, et Regularium immoderatas acquisitiones veraciter, et modeste referant, non licere Regularibus ob eam causam ad Conservatores recurrere: *Ibid. d.* 8.

8. Planum facit S. C., an Conservatores nominati, et electi a Regularibus praedictis ante exercitium suae jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub poena nullitatis actuum? Utique teneri rescribens: *Ibid. d.* 13.

9. Dubiis a Patribus Jesuitis propositis, an facultas eligendi Conservatores concessa Societati a Gregorio XII. (26) suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt Judices Synodales? decrevit S. C. ubi non adsunt Judices Synodales privilegium Gregorii XIII. non suffragari quoad hoc ut Societas non teneatur ex illis eligere Conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma Constit. Gregorii XV. hac de re editae (27): *Ead. Caus. d.* 7.

10. An Conservatores societatis Vicarios generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullae Gregorii XIII. incipiens *Equum reputantes* datum 25. Maii 1572. (28)? respondit posse a manifestis injuriis, et violentiis eos compescere, etiam censuris, et poenis Ecclesiasticis: *Ibid. dub.* 8.

11. Quaeritur, an Regulares habentes Conservatorem legitime electum debeant coram Conservatore in judicium adduci in causis civilibus requirentibus judicialem discussionem, et indaginem, quando sunt rei, an potius coram Ordinario? S C. censuit Regulares etiam reos debere in hujusmodi causis judicialem discussionem, et indaginem requirentibus coram Ordinario,

(26) Vigore *Const. Æquum reputantes* 25. *Maii* 1572. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 231.) qua tribuitur facultas PP. Societatis Jesu, eligendi Conservatores in ejus causis, ac Jurisdictio ipsorum Conservatorum ex Indulto Pii V. enunciatur.

(27) Quae incipit *Sanctissimus* 20. *Sept.* 1621. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 4. *pag.* 385.) et §. 5 decernit „ Ceterum, ut latius pateat Conservatorum hujusmodi deligendorum facultas Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Dioecesanis complures personas ex habentibus qualitates in praedicta Const. ejusd. Bonifacii (nempe *cap.* 11. *Statutum de rescript. num.* 6.) praedecessoris contentas, et alioquin ad id aptas designari procurent, et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut Dioecesanam Synodum. “

(28) (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 231.) quae §. 3. decernit, Conservatores jurisdictionem amplam habere in omnes „ Occupatores, seu detentores, praesumptores, et injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet, et rebelles, etiamsi alias, quam ut praefertur, qualificati existerent, quandocumque, et quotiescumque expedisset, auctoritate Apostolica per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. “

et non coram Conservatore in judicium vocari: *Dubium de Conservat.* 28. *April.* 1657.

12. Conservatores Regularium, qui sunt Presbyteri seculares in causis propriis tam civilibus quam criminalibus, et mixtis subjacent Ordinariis locorum: *Dubia Conservat.* 28. *Januar.* 1679. *dub.* 1.

13. Dictique Conservatores non possunt extollere tribunal, et habere suos particulares officiales, sed tantum possunt eligere Notarium: *Ibid. dub.* 2.

14. Regulares Papiae sub simulatione consuetudinis praetendunt in causis Judicialem discussionem, et indaginem requirentibus conveniri non pose, nisi coram Conservatore, non coram Ordinario. Hinc sancivit Conservatores privilegiorum dictae civitatis, et Dioecesis non posse se scienter intromittere in aliis, quam in manifestis injuriis, et violentiis: *Papien. Juris.* 30. *Martii* 1680. *dub.* 1.

15. Ac dictos Conservatores prohibitos esse cognoscere in Causis judicialem discussionem, et indaginem requirentibus, itaut dicti Regulares coram Ordinario sint conveniendi, et quoad assertam consuetudinem audiri partes resolvitur: *Ibid. dub.* 2.

16. Pluribus affecti gravaminibus a Clero Seculari Regulares quaesierunt, an ipsis liceat in conservatorem eligere Priorem aliquem conventualem? ad mentem (29) S. C. respondit: *Insularum Canariae jurisd.* 31. *Julii* 1694. *dub.* 1. Et causa reproposita quoad primam partem dubii primi censuit Regulares adire debere Sanctissimum: 13. *Novem. ejusd. anni*.

17. Electionem Episcopi Bitectensis in Judicem conservatorem privilegiorum Ordinis Minorum Observantium in Provincia Barensi pro valida S. C. non agnovit (30): *Nullius Altamurae Conser., et Exempt.* 3. *Aug.* 1715. *d.* 1. *confir.* 8. *Febr.* 1716.

18. Ac tenentur Patres Minores Observantes eligere conservatorem in civitate Altamurana, nec possunt in alia urbe viciniori alterius Dioecesis: *Ib. dub.* 2. *confir. ibid.*

19. Atque dubiorum definitionem, an Conservator praedictus possit cognoscere causas civiles contentiosas dictorum Religiosorum, et eorum Syndici, sive eorum cognitio spectet ad Ordinarium Altamurarum? et quatenus affimative quoad primam partem.

20. An dictus Conservator debeat uti Actutario Curiae Archiepiscopalis, et delegare cognitionem praedictarum causarum in ipsa urbe Altamurana? S.C. ad aliud tempus rejecit interim jubens, ut particulariter scribatur: *Ibid. dub.* 3. *et.* 4.

21. Insuper censuit in respicientibus correctionem morum syndicum dictorum Religiosorum non esse exemptum ab Ordinarii jurisdictione: *Ibi. dub.* 5.

22. Occasione controversiarum, quae inter Patres Societatis Jesu, et Patres Carmelitas Excalceatos urbis Januae factae fuerunt, Patres Jesuitae appellarunt ad Conservatorem suorum Privilegiorum sub umbra illatae ab Ordinario violentiae; re ad S. C. relata S. C. decidit Conservatorem Collegii Patrum societatis Jesu civitatis praedictae in casibus manifestae violentiae, et injuriae, et quando Patres sunt rei posse procedere, non autem extra ca-

(29) Mens fuit, ut darentur Literae Episcopo, qui curaret Patres componere. *Lib.* 44. *Decret. fol.* 522.

(30) „ Innituntur haec Sacrae Congregationis responsa citatae Constitutioni Gregorii XV., in qua decernitur, nullam a Conservatore jus exerceri posse, extra dioecesim, pro qua fuit deputatus " ait de hac causa loquens Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. Lib.* 4. *cap.* 6, *num.* 4. *tom.* 12. *pag.* 138.

sus manifestae violentiae, et quando Patres sunt actores: *Januen. Jurisd.* 20. *Febr.* 1725. *dub.* 1.

23. Ac pendente aliqua lite coram Ordinario Metropolitano semel introducta cum patribus societatis Jesu post eorum consensum in jurisdictionem non licere eisdem convolare ad Judicem conservatorem: *Ibid. dub.* 2.

24. Neque in supradicto casu litis jam introductae, ut supra, inhibitionem conservatoris, si quae fiat Ordinario, et Parti, illiusque successiva decreta quae acta ab Ordinario post dictam inhibitionem gesta infirmarunt, esse attendenda: *Ibid. dub.* 3.

25. Episcopus Fulginii laesam putans suam jurisdictionem, quia Judex conservator electus a Ministro Provinciali Ordinis Minorum Observantiae in Dioecesi Perusiae, processerit in sua Dioecesi, contendit quippe facultatem ei tributam in literis patentibus jus dicendi etiam per unius dietae spatium extra Perusinam Dioecesim irritam omnino esse, et subreptitie Breve Apostolicum ad hinc effectum extorsisse. Hanc controversiam S. C. dirimit decernens facultatem datam Canonico Goga tanquam Judici conservatori procedendi per unam dietam ultra confinia Dioecesis Perusiae non sustineri: *Fulginaten. Jurisd.* 1. *Julii* 1741. *dub.* 1.

26. Nec Breve confirmatorium deputationis comprehendere hujusmodi facultatem firmatur: *Ibid. dub.* 2.

§. III.

Regulares quoad eorum Jura, ac Privilegia.

1. Declaravit S. C. non licere Fratribus Ordinis Praedicatorum, et aliis ab Ordinario approbatis vigore praetensorum privilegiorum, et facultatum societatis Rosarii B. Virginis Sodales se confitentes ab omnibus casibus, quos Episcopus sibi expresse reservaverit, nulla ab eodem Episcopo habita licentia absolvere: *Neritonen. anni* 1574. *dub.* 1.

2. Insuper fas non esse eisdem Fratribus in eorum Ecclesiis Indulgentias societati concessas instar stationum urbis Romae publicare, sed per Ordinarium loci, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse ex decreto Concilii *Sess.* 21. *cap. ult.* (31) sancitur: *Ibid. d.* 2.

3. Discusso dubio, an Laicis, qui intra calustra Regularium habitant, et illis actu inserviunt, possint Regulares sacramenta Eucharistiae, et tempore Paschae, et extremae unctionis ministrare, nec non in eorum Ecclesiis eisdem laicis sepulcrum dare? posse rescribitur: *Mediolanen. Mense Junii* 1587. *dub.* 5.

4. Quum Regulares Poloniae Regni, per simulationem exemptionis obedientiam loci Ordinariis, etiam in his, quae legis Dioecessanae sunt, praestare recusent, S. C. invocatur, ut quae legis, et jurisdictionis Dioecesanae sunt, explicentur, et Abbates, et Monaci, quibus in rebus Ordinariis subsunt, doceantur, nec exemptione eorum ad pietatis praesidia concessa in tot populorum offensiones abutantur. S. C. respondit id liquere ex jure communi, et ex Doctoribus eam materiam suis in locis pertractantibus (32): *Gnesnen. Febr.* 1590. *dub.* 4.

5. S. C. petenti veritatem respon-

(31) *Vide not.* 3. *tom.* 4. *Lit. I.*

(32) Quum antiquitus Monachi, eorumque Ecclesiae, ac Monasteria plene, atque in omnibus subjecti Episcopis fuerint, nulla emersit distinctio inter legem Dioecesanam, et legem Jurisdictionis. Sed postquam a Sede Apostolica concessa illis fuerunt exemptionis nonnulla Privilegia, eam distinctionem Johannes Semeca auctor Glossae communis Decreto Gratiani appositae, excogitavit, iisque

dit privilegia, exemptionesque etiam in fundationis limine obtentas, non esse impedimento quominus Regulares ad observanda ea teneantur, quae in dictis Capitulis (33) continentur, propterea quod ejusmodi privilegiis, et exemptionibus etiam in fundationis limine concessis idem Concilium Trid. Decreto *cap.* 22. *Sess.* 25. (34) disertis verbis derogavit: *Reatina* 26. *April.* 1602.

6. Fratres Tertii Ordinis S. Francisci tamquam Mendicantes, nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Dioecesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quaerant, sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existunt, quaeritare voluerint, teneri suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere: *Ilerden.* 14. *Martii* 1620.

7. Regularibus non vetatur dies festos, et jejunia in suis Ecclesiis annunciare: *Bononien.* 20. *Junii* 1620.*d.*1.

8. Inhiberi nequit, quominus Missa in Ecclesiis Regularium celebretur ante Missam Parochialis Ecclesiae: *Ibid. dub.* 5.

9. Non possunt Regulares publicare Matrimonia: *Ibid. dub.* 6.

10. Integrum non est Regularibus hujusmodi supplicationes faciendi extra Ecclesias proprias, et ambitum illarum: *Ibid. dub.* 8.

11. Regularibus non prohibetur in eorum Ecclesiis Mulieres post partum ad purificationem admittere: *Ib. d.* 9.

12. Regulares extra claustrum decedentes possunt ad eorum Ecclesias deferri etiam Parochis inconsultis. *Ibid. dub.* 10.

13. Non licet Regularibus in suis Ecclesiis ad celebrandum admittere Presbyteros seculares contra prohibitionem Archiepiscopi: *Ibid. dub.* 12.

14. Consulta S. C. respondit hisce verbis: Partibus auditis praedictos Patres, tanquam Mendicantes nequaquam esse prohibendos eleemosynas corrogare, dum tamen, ubi extra Dioecesim Polignanensem quaeritare voluerint, suorum superiorum licentiam ostendant loci Ordinario, atque illius consensum obtineant. Ceterum nullibi esse permittendum, ut eleemosynas quaerant per alios, quam sui ordinis Fratres: *Polignanen.* 24. *Sept.* 1622. *dub.* 1.

15. Sententiam S. C. pronunciavit, non prohiberi superioribus Regularibus Decreta facere, dummodo Decretis Episcopi non adversentur, quae tali casu praevalere, et observari debent: *Veronen.* 29. *Julii* 1628.

16. S. C. rescripsit nequaquam in-

que simul collectis, in quibus Monachi subtracti fuerant a jure, seu potestate Episcopi, ea adscripsit Legi Dioecesanae, cetera vero, in quibus Monachi adhuc subjecti remanebant juri Episcopali, spectare ait ad legem jurisdictionis. Confer. Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. *seq. tom.* 12. *pag.* 17.

(33) Videlicet, Decretorum Concil. Trid. de reformatione Regularium, quae exequutioni demandantur *in cap.* 22. *Sess.* 25. *de Regul.* confirmato a Pio IV. *Const. In Princip*is 17. *Febr.* 1564. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 214) revocante quaecumque indulta Confessionalia, Mare Magnum aliaque privilegia quibuscumque Regularibus concessa, in iis, quae Concilio Trident. adversantur. Huic Decreto Trident. accessit Decretum Alexandri VII. quo sub *die* 18. *Martii* 1665. proscripsit hanc propositionem *la* 36. inter alias ab eodem damnatas „ Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum " *Bull. Rom. tom.* 6. *part.* 6. *pag.* 110.

(34) *De Regul. ibi* „ Non obstantibus eorum omnium, et singulorum privilegiis, sub quibuscunque formulis verborum conceptis, ac Mare Magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus, et regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, et praescriptionibus etiam immemorabilibus. "

terdictum est Regularibus Missas celebrare, et tintinnabula pulsare in suis Ecclesiis ante celebrationem Missae, ac pulsationem tintinnabuli in Ecclesia Parochiali. Ideoque minime hoc illis vetare Abbatem posse; sed tantum monere populum, ut accedat ad Ecclesiam Parochialem ad ejusdem Sacri Concilii praescriptum (35): *Nullius Provinciae Ravennaten.* 15. *Sept.* 1629.

17. Sententiam exquiritur, an Regulares liceat in propriis Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis extra tempus Adventus, et quadragesimae sermonem habere absque benedictione Ordinarii? respondit non licere: *Vercellen.* 12. *Martii* 1643. *dub.* 10.

18. Ac Regulares obloquentes de Ordinario in sermonibus, quos habent in Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis possunt ab eodem Ordinario puniri: *Ib. dub.* 11.

19. Non constat an Regularibus etiam societatis Jesu asserentibus se habere privilegia quominus obediant Episcopo in exequutione decretorum juris communis, Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? aperte indicavit S. C. Ordinarios teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione: *Angelopolitana* 14. *Maii* 1648. *dub.* 3.

20. Ad dubitationem, an privilegia, quae sunt contra jurisdictionem Ordinarii, et quibus gaudent, et gaudere praetendunt Regulares praedicti, debeant Episcopis notificari, sive insinuari? respondit, Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint: *Ibid. dub.* 14.

21. Requiritur, an praedia rustica, metallorum fodinae, sacchari opificinae a Regularibus societatis, vel aliis possessa, vel aliae Domus seculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, seu Conventuum? rescribitur non gaudere: *Ibid. dub.* 15.

22. Utrum Regulares praedicti apothecas quarumcumque mercium, macella, et similià, praesertim prope Collegia, sive Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne hujusmodi tractent? hoc dubium diluit, non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis, sed si in praemissis notorie delinquant extra claustra, ut populo offensione sint, servandum esse, quod dictum est, supra in responsione ad dub. 12. (36): *Ibid. dub.* 16.

23. Ponderato, utrum Regulares, etiam Patres Jesuitae in suis praediis, opificinis, aliisque suis domibus secularibus sitis intra limites Parochialium ad se non spectantium, possint administrare Sacramentum baptismatis, solemnis matrimonii, Extremae Unctionis, et Eucharistiae in festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus secularibus absque Ordinarii, vel Parochi licentia? non posse decretum est: *Ibid. d.* 17.

24. Denique ad dubium, utrum Patres societatis in civitate, et Dioecesi Angelorum possint consecrare vasa Sacra, Altaria, et similia, in quibus unctio requiritur? respondit itidem non posse: *Ibid. dub.* 18.

25. Ne in Ecclesiis Parochialibus ad Monasteria Regularium pertinentibus, Regulares ipsi ad curam animarum de-

(35) *Sess.* 22. *Decret. de Observ. in Celeb. Miss.* ubi legitur „ Moneat etiam eumdem „ Populum, ut frequenter ad suas Parochias „ saltem diebus Dominicis, et majoribus festis accedat. "

(36) *Vide Verb. Episcopus* §. IX. *num.* 9. *tom.* 3. *pag.* 294.

putati commorentur soli, tum Sacro Lateranensi Concilio, tum Apostolicis Constitutionibus (37) interdictum est: *Suessionen.* 16. *Sept.* 1662. *dub.* 18.

26. Incertum est, an Regularis in Monasterio commorans possit in Ecclesia Parochiali petita benedictione Episcopi licet non obtenta licentia praedicare? affirmative non contradicente Episcopo responsum est: *Narnien. Juris.* 13. *Julii* 1669. *dub.* 5.

27. Generales Regulares nequeunt sibi reservare casus in loco, et populo Parochiae Hospitaletti, in quo licet ab iisdem deputati sint Curati, seu Vicarii, tamen omnimoda jurisdictio spiritualis spectat ad Episcopum: *Lauden. Jurisd.* 1. *Decem.* 1691. *dub.* 7. *confir.* 20. *Sept.* 1692.

28. Quum sibi arrogarent Regulares in vim privilegiorum suorum posse alienationes, et concessiones facere in emphyteusim, S. C. id vetuit ab eis fieri posse absque ipsius S. C. Concilii expressa licentia, et hoc decretum confirmavit Pont. Max. Urbanus VIII. die 7. *Sept.* 1624. (38) Et iterum confirmatur: *Romana Declar.* 1. *Decem.* 1791.

29. Contendentibus Patribus Reformatis de Observantia S. Francisci adversari puritati eorum Regulae retentionem cujusdam capsulae positae ad recipiendas eleemosynas pro Missis in Ecclesia B. M. V. Assumptae Montis Varalli, Visitator Apostolicus demandavit eam in vestibulo extra Ecclesiam collocari, et non acquiescentibus illis, Episcopus censuit amovendam, et eleemosynas recipiendas per Syndicum Apostolicum. Nihilominus Patres rem retulerint ad S. C. quae sub die 27. Junii 1699. confirmavit edictum Episcopi, cui Syndicus tenetur singulis quadrimestribus reddere rationem: Modo ad novum examen producta causa, prodiit rescriptum confirmatorium, et quoad redditionem rationis fiat coram Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato: *Novarien. Eleemos.* 20. *Martii* 1700.

30. Justo libravit examine S. C. Patres Societatis Jesu induere posse constitutos in mortis articulo, eorum habitu religioso ad effectum tumulandi in ipsorum Ecclesia, ac percipiendi emolumenta funerum sine tamen praejudicio jurium parochialium: *Calaguritaria Funer.* 18. *Junii* 1701. *dub.* 2. *confir.* 27. *Maii* 1702.

31. Patribus Oblatis Congregationis S. Caroli, qui in Ecclesia S. Christinae, et contiguis domibus loci Burgi Manerii sine praejudicio jurium Parochialium recepti degunt, aliquod jus competere S. C. decernit in Ecclesia praedicto excepto exercitio jurium parochialium, quod ad Collegiatam Ecclesiam dicti oppidi spectat: *Novarien.* 12. *Decem.* 1705. *dub.* 5.

32. Idem Patres Oblati possunt retinere in Ecclesia, et Sacrario S. Christinae propria paramenta, ac alia sacra utensilia renuentibus Capitulo, Praepo-

(37) In Concilio enim Lateranense Generali celebrato sub Alexandro III. *can.* 3. statutum fuit, ut Monachi „ nec singuli per Villas, et oppida, per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori Conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant: nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, Salamone dicente, Vae soli, quia cum ceciderit, non est qui sublevet eum “. Uti habetur *in cap. Monachi de Stat. Monach.*, et concordat *cap. Exparte, et cap. Ad Audientiam de Capell. Monac.*

(38) *Lib.* 12. *Decret. fol.* 185., *et in Ferrarien.* 11. *Julii* 1626. legitur „ Decreta „ Sanctissimi D. N. de rebus Regularium „ non alienandis non derogarunt Const. Bo- „ nifacianae, nec Paulinae “. *Lib.* 13. *Decret. fol.* 59.

sito, et Canonicis Curatis Collegiatae praedictae: *Ibid. dub.* 7.

33. Ac ad eosdem Oblatos spectat receptio Populi, et aspersio aquae Sanctae occasione supplicationum, aliarumque functionum publicarum in eadem Ecclesia S. Christinae: *Ibid. dub.* 8.

34. Necnon dictos Oblatos jus habere permanendi in Collegio Clericorum S. Christinae resolvitur: *Ibid. d.*9.

35. Proposito dubio in S.C. ab Archiepiscopo Mexicano: an Provinciales Ordinis Praedicatorum S. Dominici habeant facultatem dispensandi in vim suorum praetensorum privilegiorum super impedimento Bigamiae verae, et realis, in favorem illorum, qui ingrediuntur in dictam Religionem, inibique Sacros Ordines suscipiunt? S. C. respondit, ut audiatur Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum: *Mexicana Visit. SS. LL.* 28. *Januar.* 1708. *dub.* 5.

36. Ægreferens Jo. Franciscus Stranius Praepositus, et Parochus loci Incisae quosdam praetensos abusus fuisse invectos a PP. Carmelitis ejusdem loci in praejudicium suorum jurium parochialium adiit S. C., quae decernit Patres Carmelitas loci Incisae in Rogationibus non posse accedere ad supplicationem sine cappis albis: *Aquen. Jur. Paroch.* 19. *Maii* 1708. *dub.* 1.

37. Nec accedere debent in solo numero duorum Religiosorum Cruce praecedente *Ibid. dub.* 2.

38. Et in publicis supplicationibus generalibus fieri consuetis monendi sunt a Praeposito, qui etiam est Parochus dicti loci sive per nuntium, sive per schedulam, ut ad supplicationem accedant: *Ibid. dub.* 3.

39. Possunt vero Patres iidem libere stipem cogere in diebus Hebdomadae sibi benevisis absque restrictione alicujus diei: *Ibid. dub.* 4.

40. Coactionem tamen praedictam facere non possunt pro Sodalitiis in eorum Ecclesia erectis: *Ibid. dub.* 5.

41. Et pro dictis Societatibus in eorum Ecclesia exponere nequeunt Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum occasione usus novendialis Sanctissimi Natalis, et quadraginta Horarum in diebus sibi benevisis sine licentia Ordinarii: *Ibid. dub.* 6.

42. Nec easdem expositiones facere possunt pro eorumdem Religiosorum devotione: *Ibid. dub.* 7.

43. Valent tamen sponsos benedicere cum venia Parochi: *Ibid. dub.* 8.

44. Iidem Patres audientes confessiones infirmorum tenentur ante vel post dictam confessionem illam Parocho notificare quoad Constitutionem Clem. X. Pont. Max. (39): *Ead. Caus.* 9. *Junii ejusd. anni dub.* 9.

45. Ac possunt in propria Ecclesia mulieres post partum benedicere, et ad purificationem admittere: *Ibid. dub.* 10. *confir.* 27. *April.* 1709.

46. Atque vocati possunt in casu de quo agitur se conferre ad benedicendam febrem cum reliquia S. Alberti: *Ibid. bub.* 11.

47. Et dum perspicuum non est, an vocati ad comitandum defunctorum ca-

(39) Edita 21. *Junii* 1670. (*Bull. Rom. tom.* 7. *pag.* 30. quae incipit *Superna, et* §. 4. praecipit ,, Quod coeteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, et admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Dioecesi Episcopi approbantis quovis anni tempore etiam paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones praecipi: sufficere tamen ,ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.,,

davera prius convenire debeant ad Ecclesiam Parochialem cum eorum Cruce, et deinde se conferre ad domum defuncti? S. C. aperuit, posse conveniri etiam in Ecclesia viciniori domui defuncti, et in humatione Cadaveris sub unica Cruce Ecclesiae tumulantis: *Ibid. dub.* 12. *confir. ibid.*

48. Item ad dubium, an ad eumdem effectum sub qua Cruce, et inquo loco dicti Patres expectare debeant Parochum et alios exequiis intervenientes? respondit ut ad proximum: *Ibid. dub.* 13. *confir. ibid.*

49. Iidem possunt dare signum, et celebrare Missam in diebus festivis eodem tempore, vel antequam detur signum et celebretur Missa Parochialis: *Ibid. dub.* 14.

50. Praepositus non habet jus interveniendi in redditionibus rationum faciendis a Societatibus Laicorum in Ecclesia dictorum Patrum erectis: *Ibid. dub.* 15. *confir. ibid.*

51. Nec eisdem Patribus Carmelitis jus est supplicationes facendi extra propria claustra, seu districtum, et intra limites Parochiae invito Parocho: *Ibid. dub.* 16.

52. Eisdemque Patribus decet vero extra propria claustra, seu districtum per loca consueta peragere supplicationem B. M. V. de Monte Carmelo occasione suae Festivitatis petita tamen licentia a Parocho, licet non obtenta: *Ibid. dub.* 17. *confir. ibid.*

53. Demique iidem Patres suspensi sunt redintegrandi ad audiendas confessiones Sacramentales: *Ibid. dub.* 18.

54. Declaravit S. C. Religiosos Minores Observantes Regulae S. Francisci non posse retinere Capsulas pro Missis celebrandis: *Causa Ordinis Minorum Observantium Caps.* 7. *Julii.* 1708.

55. Superior Monasterii et Ecclesiae S. Mariae de Miraculis Congregationis Cassinensis, seu Abbas permittere non debet affictionem ad valvas ejusdem Ecclesiae edictorum Episcopi respicientium exercitium jurisdictionis, respectu subditorum secularium, sed Regularium in iis, in quibus isti ei subduntur: *Andrien. Edict.* 29. *Novem.* 1710. *dub.* 3. *confir.* 24. *Januar.* 1711. *dub.* 1.

56. Sibi vindicante Capitulo Cathedralis Ecclesia jus celebrandi Missas, et exequias, necnon anniversaria recolendi praecipue, quae vulgo dicuntur *Terzi, Settimi et Trigesimi*, in quibusdam Ecclesiis Regularium, et Societatum ex piorum disponentium voluntate peragenda, Crucis vexillo erecto occasione funerum PP. Dominicani insurrexerunt, et occasionem praebuerunt, ut S. C. decrevisset dictos Patres licere in propria Ecclesia celebrare Missas exequias, et anniversaria vulgo *Terzi*, *Settimi*, *et Trigesimi* tam pro his, qui tumulati reperiuntur in dicta Ecclesia, quam extra, necnon alia, et quaecumque Anniversaria, et pro his eleemosynam recipere, non haec omnia privative spectare ad Capitulum Cathedralis in eadem Ecclesia Patrum: *Ruben. Juris Funer.* 29. *Julii* 1713. *dub.* 1.

57. Ac dictum Capitulum jus habere occasione comitatus, et humationis cadaverum in Ecclesia PP. Dominicanorum eam ingredi cum Cruce erecta, non autem justa funeri circa Cadaver ibidem solvere: *Ibid. dub.* 2.

58. Declaravit S. C. haud licitum esse PP. S. Dominici Ordinis Praedicatorum absque licentia Episcopi facere expositionem Sanctissimi Sacramenti in Altare Sanctissimi Rosarii, ubi adest Societas ejusdem tituli: *Ripana Confrat.* 30. *Martii* 1715. *dub.* 7.

59. Nec eisdem Patribus fas esse absque venia pariter Episcopi ducere per civitatem Ripanae supplicationes tam in prima Dominica Octobris, quam in aliis temporibus, exceptis supplicationibus Sanctissimi Corporis Christi, et

Rosarii in prima Dominica Octobris sancitur: *Ibid. dub.* 8.

60. At iidem Patres valent sine Episcopi venia precario conquirere eleemosynas per Ecclesiam tempore, quo recitatur Sanctissimum Rosarium, vel quo adest expositum expensis ejusdem sodalitii Sanctissimi Rosarii Sanctissimum Sacramentum pro 40. horis *Ibid. dub.* 9.

61. Relatum est; an Abbas, et Monachi Monasterii S. Marii de Sagittario Ordinis Cisterciensis potuerint conversari, ac Sacramenta conferre Dominico Antonio Laragione Oblato in quem Episcopus censuras relaxavit? et S. C. respondit non esse molestandos, quum jam censuras non sustineri declaraverat: *Anglonen.* 29. *Januar.* 1724. *dub.* 3.

62. Inter Societatem Tertii Ordinis S. Francisci in Capella Sanctissimi Crucifixi in Ecclesia Aracaeli de Urbe erectam, et P. Provincialem Provinciae Romanae Ordinis S. Francisci Min. Observantiae nonnullae de jurisdictione factae controversiae sunt, quarum cognitio instituta est in S. C., quae dubia 6. proposita non definiit, quum exhiberi constitutiones, statuta, et Regulas, et coadjuvari probationes jussisset: *Romana* 3. *Febr.* 1725.

63. P. Vicario Generali Provinciae Sveciae Ordinis S. Norberti minime competit facultas dispensandi in universum pro aliquo Monasterio in esu carnium certis anni temporibus per Constitutionem Julii II. Pont. Max. (40) prohibito: *Ordinis Praemonstratensis* 15. *Decem.* 1725. *dub.* 1.

64. Inter Patres Minores Conventuales Montis Ærei, et Archipresbyterum ejusdem oppidi controversia excitata, unanimes praesidio S.C nituntur, num eisdem Patribus quamvis non invitatis ad Officia, quae in Parochiali peragi solent, intervenire liceret? Sed nulla edita definitione rescriptum est, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem (41) et examinarentur testes formaliter: *Volaterrana* 30. *Januar.* 1723. *dub.* 5. Inde eosdem Patres minime posse intervenire officiis praefatis S. C. deliberavit: 16. *Martii* 1726. *dub.* 8.

65. Insuper praefiniit Patres eosdem posse invitare populum ad facienda officia in eorum Ecclesia pro animabus Purgatorii: *Ibid. dub.* 9.

66. Iisdem vero non licere ducere supplicationes extra claustra praeter quam in casibus comprehensis in transactione anni 1703., nisi de consensu Parochi, vel de venia Episcopi firmatur: *Ibid. dub.* 10.

67. Venerabile denique Eucharistiae Sacramentum exponere posse, et populo benedicere accedente consensu Ordinarii judicatur: *Ibid. dub.* 11.

68. Presbyteri Congregationis Missionis Clemente XI. Pont. Max. mandante in juribus, et oneribus successerunt Canonicorum Regularium, qui suo Conventui unitam antea Ecclesiam S. Michaelis *alle Romite* habuerunt. Controversiam hinc inter hos Presbyteros, et Parochum S. Quirici de Marignola, intra cujus Parochiae fines sita est Ecclesia illa, ortam, S. C. sopivit, decidens illos posse celebrare, et respective canere Missas, ac vesperas solemnes in Festo dedicationis S. Michaelis Archangeli in ejusdem nominis Ecclesia, contradicente quamvis, seu dissentiente Parocho: *Florentina* 30. *Martii* 1726. *dub.* 1.

69. Necnon praefatos Missionis Presbyteros itidem Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae administrare, et hoctrinam Christianam, dummodo in hora, qua fit in Parochia, non fiat, docere contradicente itidem Parocho, pos-

(40) *Vide not.* 22. *tom.* 1. *pag.* 16.

(41) *Vide not.* 231. *tom.* 1. *pag.* 174.

se, definitum pariter fuit: *Ibid. dub.* 2.

70. Prior, et Fratres Augustiniani Conventus S. Nicolai oppidi Vitellianae Congregationis Lombardiae supplicationem facere exoptabant per vicos, et plateas oppidi, et sic per alienas Parochias, supplicationem inquam *della centura*, et quae singulis annis in Dominica infra Octavam Festivitatis S. Augustini fieri consuevit, et facultatem a Parochis sic mandante Episcopo non impetrarunt. Attamen supplicationem duxerunt. Sed illico dissidium factum est, num dictam supplicationem peragere liceret? responsum prodiit licere petita venia a Parocho, vel ab Episcopo, et ad mentem: *Cremonen. Proces.* 12. *Januar.* 1726.

71. Relatum est dubium ad S. C. an fas esset Patribus Carmelitis Pontis Nurii consuetas Festivitates in eorum Ecclesia S. Mariae de Albiano celebrare absque consensu, et praesentia Parochi, in eaque exedras ad Confessiones excipiendas retinere contradicente Episcopo, qui illam Ecclesiam jure delegato visitavit? et dedit affirmativum responsum: *Placentina* 17. *Aug.* 1726. *dub.* 2. *confir.* 11. *Januar.* 1727.

72. S. C. sententia exquiritur; an Regulares Dioecesis Mazariensis habentes facultatem concedendi habitum suae Religionis Mulieribus non collegialiter viventibus, quae *Bizzoche* appellantur, possint dictum abitum tribuere? et S. C. respondit examen facultatum elargendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam; et examen conditionum quoad Mulieres vestiendas, et facultatem vestiendi ad Ordinarium pertinere: conditionesque vestiendarum esse expressas in decretis generalibus alias editis (42) et haec esse omnino decreta servanda: *Mazarien.* 10. *Maii* 1727. *d.* 4.

73. Patres Barnabitae ab Urbano VIII. Pont. Max. veniam vendendi domum Laviniae Pacchini sibi pro habitatione relictam acceperunt, ut alium in civitate Foro sempronii situm emerent ad novam Ecclesiam, novumque Collegium construendum. His inde constructis ad novum domicilium cum Episcopi interventu sese transtulerunt. At quoniam duo ibi sepulcrum unum pro Regularibus, pro secularibus ibi sepeliri volentibus alterum, extruxerunt, emersit data occasione, quaestio, num his Patribus tumulandi jus competeret? et affirmativum a S. C. emanavit responsum: *Foro Sempronien.* 19. *Junii* 1728.

74. Patres Reformati, in quorum Ecclesia defunctus elegit sepulcrum, non possunt ducere funus, et cadaver transferre sine consensu, et praesentia Archipresbyteri, vel Canonici Coadjutoris actualem curam exercentium, eorumque interventu: *Tusculana Funer.* 24. *Julii* 1734. *dub.* 1.

75. Denunciato tamen prius, et expectato per horam Archipresbytero, vel Canonico Coadjutore, possunt absque eorum interventu cadaver ad eorum Ecclesiam transferre: *Ibid. dub.* 2.

76. Et dubio discusso, an vero in comitatu praeter Archipresbyterum, sive ejus Coadjutorem tot invitandi sint Sacerdotes seculares ab haeredibus defuncti, quot Religiosi? S. C. rescripsit ad Card. Episcopum juxta mentem: *Ib. d.* 3.

(42) Decretum *S. C. Concilii* 20. *Decem.* 1616. disponit inter cetera „ Superioribus autem Regularibus sufficienti facultate ad id a Sede Apostolica suffultis Cappuccinis exceptis, licere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos, vestiendi eas Officium pertinere; non autem ad habitum admittendas, et recipiendas esse nisi probatae vitae, ac bonis moribus praeditas, atque in aetate, saltem quadraginta annorum constitutas, quae de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et cum non aliis viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu, sibi conjunctis cohabitent, et ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de praedictis praevio examine diligenti sibi constiterit. ‘‘

77. Conventionem Pomponius Jordanus cum Apostolico PP. Minorum S. Francisci urbis Maratheae Syndico inivit, ut hi Missam hebdomadalem celebrarent, festumque facerent B. M. V. de Monte Carmelo. Patres hos tanquam praestationis annuae incapaces accusant Pomponii haeredes. Instant modo praefati Patres, num sibi, suoque Syndico actio competat pro celebratione Missarum, ac pro earum eleemosyna; et ad relatum dubium S. C. servari mandavit Decreta generalia (43): *Cassanen.* 28. *April.* 1736. *dub.* 2. *confir.* 1. *Sept. ejusd. anni.*

78. Nec per praefatos Religiosos in Capella S. Mariae de Monte Carmelo, cujus jurepatronatus honorifico gaudent Pomponii haeredes, impediri valet dictis haeredibus celebratio festivitatis S. Mariae de Monte Carmelo, aliorumque festorum B. M. V.: *Ibid. dub.* 4. confir. juxta modum: 1. *Sept. ejusd. anni.*

79. Eosdemque Pomponii haeredes praefatis Religiosis ducatos quatuor pro celebrando eodem Festo solvere non teneri S. C. rescripsit, addendo ad mentem (44) *Ibid. dub.* 5. *confir. ibid.*

80. Praefatos Religiosos humationem Cadaveris Nicolai Rossi in Sepulcro sito prope dictam Capellam denegare non potuisse S. C. firmavit: *Ibid. dub.* 6. *confir. ibid.*

81. Non Protectores, seu Curatores Monasterii, et Monialium S. Radegundae civitatis Mediolani Ordinis S. Benedicti Ordinis Cassinensis intervenire valent, et praestare consensum in stipulatione cujuscumque contractus, sive instrumenti faciendi a dictis Monialibus cumulative cum Patre Abbate Monasterii S. Simpliciani illarum Superiore, sed ipse Pater Abbas, vel ipsius Delegati absque protectorum licentia privative intervenire stipulationi contractuum, consensumque tribuere valent: *Mediolanen.* 2. *Junii* 1736. *dub.* 1.

82. Priorem Provincialem Ordinis Praedicatorum in Lyciensi Civitate, et in Conventu S. Johannis de Aymo degentium Clausuram interiorem visitare septa Monasteriorum Monialium suae curae subjectarum ingrediendo absque ulla Episcopi licentia posse semel tantum in anno ad formam Constitutionis Alex. VII. (45) Pont. Max. concluditur: *Lycien. Clausurae* 22. *Sept.* 1742. *d.* 4.

83. Praedictum Praedicatorum Provincialem Priorem pro Visitatione clausurae interioris in Convisitatorem assumere Patrem Vicarium earumdem Monialium vel quemlibet alium Fratrem sui Ordinis maturae aetatis absque licentia, et monitu posse, servata forma praedictae Alexandrinae Constitutione (46) decernitur: *Ibid. dub.* 6.

84. Eumdemque Provincialem Prio-

(43) *Rel. in Const. Nuper* 23. *Decemb.* 1697. *Innocentii XII.*

(44) „ Mens autem fuit, ut detur aliqua „ eleemosyna arbitrio Ordinarii " *Regist. Lit. Lib.* 28. 28. *April.* 1736.

(45) *Vide not.* 334. *tom.* 4. *lit. M.*

(46) *Felici* 10. *Ottob.* 1664. (*Bull. Rom. tom.* 6. *part.* 6. *pag.* 34.) qua §. 3. mandatur „ Visitet autem Superior regularis interiorem clausuram per se ipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, et visitationem celeriter, et unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam sumant in Monasterio refectionem. Porro si visitet Generalis, possit secum habere duos socios sui Ordinis, si alius a Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem Socii assumantur exemplares, et maturae aetatis, et in actu visitationis a Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, et ab ipso aspici semper possint " *Vide not.* 335. *Lit. M. tom.* 4.

rem Visitationem personalem Monialium Monasteriorum exemptorum sui Ordinis ad cancellos tantum facere posse firmatur, neque esse ab Episcopo impediendum injungitur: *Ibid. dub.* 7.

85. Quum non procul dubio esset, an idem Prior Provincialis ab Episcopo impeditus, ne talem Visitationem ad cancellos faciat; eamdem facere possit ad exedram ad excipiendas Confessiones, vel ad fenestrellam Sanctissimae Communionis? responsum est ut provisum fuisse in proximo dub. 7. *Ibid. dub.* 8.

86. Hunc Priorem eamdem Visitationem alibi faicientem, veluti ad exedram ad recipiendas Confessiones, vel ad fenestrellam Sanctissimae Communionis in poenas Constitutionis Alexandri VII. Pont. Max. (47) incidere, S. C. fatetur: *Ibid. dub.* 9.

87. Praefatum Priorem Conventus S. Johannis de Aymo Ordinis Praedicatorum dictae urbis Lyciensis et Vicarium Ordinarium dictorum Monasteriorum absque facultate Episcopi cancellos ingredi, ibique cum suis Monialibus alloqui in casu tantum, quo ita postulat exacta administratio officii, constituitur: *Ibid. dub.* 11.

88. Praenominatum P. Vicarium Praedicatorum Ordinis absque Episcopi licentia ingredi cancellos posse ad visitandas transennas, ne Moniales absque debita licentia seculares, et Regulares clandestine loquantur, nulla exoritur ambiguitas: *Ibid. dub.* 12.

89. Tam praefatum Priorem Provincialem, quam ejus Patrem Vicarium dictorum Monasteriorum, aut alium quemcumque Religiosum absque venia Episcopi in exedra ad Confessiones excipiendas extraordinaria sedere, ibique Monialium Confessiones excipere, easque in eadem extraordinaria, et ordinaria exhortari, et audire non posse decernitur: *Ibid. dub.* 13. *et* 14.

90. Superiorem Regularem vestibus sacris indutum associando puellam habitu Ordinis initiandam absque licentia Episcopi in atrio Clausurae, quod omnibus patet, ingredi posse, et ibi puellae benedictionem dare, conceditur; at vero eumdem sistere in via publica ante januam clausurae exterioris, non fuit permissum: *Ibid. dub.* 15.

91. Idem Superior quaerens, an hoc idem agere possit in habitu Ordinis in ingressu, et egressu puellae tam educandae quam ancillae? responsum habuit se agere debere, prout in 15. dubio se debet gerere: *Ibid. dub.* 16.

92. Superior Regularis praedictus salvo jure Episcopi una simul cum Superiore Regulari invisendi rationes dictorum Monasteriorum, absque Episcopi licentia cancellis interesse potest tempore, quo a Factore (qui Procurator nuncupatur) coram Monialibus deputatis mensatim recitantur computa in libro majori reportanda: *Ibid. dub.* 17.

93. Quin etiam, Superior hic Regularis quibuscumque contractibus tam activis quam passivis per Notarium in cancellis rogandis (salvo jure Episcopi tribuendi licentiam pro rogatione eorundem) absque Episcopi venia valet interesse: *Ibid. dub.* 18.

94. Et demum, quod Vicarius dictorum Monasteriorum in absentia superioris Regularis remaneat Confessarius, concessum et indultum est: *Ibid. dub. ultim.*

95. Quum Sacerdotes, et Ministri Parochialem et Matrem Ecclesiam Culmensem ob bellicae vastationis damna desuissent, Episcopi, ut eam pristino splendori restituerent, Patribus Congregationis Missionis concesserunt, iisque ob cultus incrementum privativum jus

(47) *Vide not.* 335, *lit. M. tom.* 4.

canendi lamentabilem passionem diebus Dominicis Quadragesimae, quod ob miseram Matris Ecclesiae conditionem Patribus Dominicanae, et Franciscanae Familiae feria quarta permissum fuerat, restituerunt. Episcoporum decreto ea de re edito obstiterunt Dominicani. Causa nunc discutitur, et decisum reperitur non licere Patribus S. Dominici canere in diebus Dominicis Quadragesimae Passionem D. N. J. C.; sed id privative spectare ad Ecclesiam Parochialem Congregationis Missionis, et ad dictos Patres Dominicanos in feria quarta: *Culmen.* 19. *Novem* 1746. Postularunt audiri Dominicanae Familiae Patres, et inspectis peculiaribus facti circumstantiis suum judicium S. C. confirmavit: 25. *Febr.* 1747.

96. Dubium venit in cognitionem S. C. an Regulares Monasterii Divi Hieronymi Congregationis Olivetanae de Quarto possint Puerperas benedicere et ejusdem Monasterii Abbates extra Monasterium Pontificalia exercere, in supplicationibus Sodalitii Mortis, et Orationis, quod in eorum Ecclesia erectum fuit, extra monasterium mitram, et baculum pastoralem deferre, tintinnabula, sacram supellectilem, altaria etiam pro usu aliarum Ecclesiarum etiam secularium benedicere? ita enuncleatur, ut recurrant ad S. C. Rituum (48): *Januen. Jur. Paroch.* 13. *Julii* 1748. *d.* 4.

97. Patribus Trinitariis Avenionensibus fuit ab Innocentio VI. Pont. Max. concessa Capellae cura et administratio Sacramentorum in Archihospitali S. Marthae a Bernardo Rasca, ejusque uxore erectae. Quaerebant hinc Patres, num R. P. Ministro Sanctissimae Trinitatis in Archihospitali praedicto competeret titulus, et denominatio Curati ejusdem Archihospitalis, sed minime competere debere S. C. resolvit: *Avenionen.* 12. *Sept.* 1750. *dub.* 1.

98. Et resolutum exinde fuit, ut jus exercendi in coemeterio Archihospitalis quascumque functiones pro exequiis, et humationibus Cadaverum decedentium extra dictum Archihospitale, et sepulcrum in eis eligentium ad Rev. Capitulum Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae S. Petri non spectaret; sed ad RR. PP. Ministrum, et Religiosos Sanctiss. Trinitatis pertineret: *Ibid. dub.* 2.

99. Actum fuit, an Patribus Carmelitis urbis Trani liceat extra proprium claustrum, et districtum per loca consueta Civitatis facere solemnem supplicationem B. M. V. de Monte Carmelo cum ejusdem simulacro in die ejus festivitatis, petita licentia ab Archiepiscopo, aut Archipresytero Curato etiam non obtenta? S. C. respondit veniam esse petendam ab Archiepiscopo, cui scribatur juxta mentem (49): *Tranen. Juris Funer. et Proces.* 21. *Novem.* 1750. *dub.* 9.

100. Deinde ad dubium; an sit servandum edictum Archiepiscopi diei 10. Julii 1749. seu liceat dictis Patribus invitare ad eamdem supplicationem Societates laicales degentes extra septa Monasterii legitime institutas, necnon devotos seculares instar supplicationis incedentes cum cereis accensis sub Cruce eorumdem Patrum? S. C. quin aliquid decreverit rescripsit ad mentem (50), et scribatur Archiepiscopo juxta

(48) Inter Anthographos libros ejusdem S. C. Rituum haud reperitur sequentibus annis haec causa; sed pro definitione similium vid. not. 27. tom. 1. pag. 19.

(49) Nempe ,, ut Archiepiscopo innotestat eorum mentem esse quoad nonum dubium, ut licentiam explendi solitam Processionem B. M. V. de Carmelo per Patres Carmelitas ab eodem ad formam resolutionis petendam nunquam deneget ". *Regist. Lit. Lib.* 30. *die* 21. *Novem.* 1750.

(50) Nempe ,, quod in praefata processione ad ipsius majorem decorem intervenire possint nedum Confraternitates Laicales cum

instructionem (51): *Ibid. dub.* 10.

101. Superioribus Regularibus in spiritualibus, et temporalibus super Monasteriis SS. Catharinae Martyris, et Senensis, necnon SS. Monicae, et Rocchi, et signate in procuranda recta administratione bonorum, et redituum Monialium dictorum Monasteriorum sibi subjectorum jurisdictionem competere non denegatur; ac propterea in casibus particularibus consuetudinem minime servandam esse pariter additur: *Ferrarien. Jurisd.* 28. *Sept.* 1754. *d.* 1.

102. Vicarios praefatorum Monasteriorum instituti per Provincialem Lombardiae, et respective per Vicarium Generalem Congregationis S. Sabinae et his impeditis, seu absentibus, eorumdem Monasteriorum Confessarios, intervenire posse quibuscumque contractibus eorumdem Monasteriorum Monialium nomine ineundis, S. C. non haesitavit: *Ibid. dub.* 2.

103. Eosdemque Vicarios, et his vel impeditis, vel absentibus Confessarios redditioni rationum, seu computorum revisioni de trimestre in trimestre faciendae assistere posse, et debere firmavit: *Ibid. dub.* 3.

104. Provincialem utriusque Lombardiae, cui S. Catharinae Martyris, et S. Catharinae Senensis Monasteria subjecta sunt, et P. Vicarium Generalem S. Sabinae, cui alia duo nempe S. Rocchi, et S. Monicae, quae Ferrariae extant Monasteria subjecta sunt, posse, et debere visitare dicta Monasteria circa administrationem bonorum, et redituum, et sic pariter revidere codices accepti et exepensi ac rationum redditionem a Ministris Syndicis, aliisque eorumdem Monasteriorum Officialibus exigere quoque posse S. C. demonstravit: *Ibid. dub.* 4.

105. Integrum non est Regularibus Eucharistiam in propriis Ecclesiis exponere sine licentia Ordinarii, nec licet pariter Regularibus, et praesertim Benedictinis, et Cisterciensibus in propriis Ecclesiis insolitam Imaginem, aut sacram Reliquiam ob Ordinario approbatam exponere, et tandem in eisdem Ecclesiis praedicare non petita ab Ordinario benedictione, aut in aliis Ecclesiis sine Ordinarii facultate: *Olomucen. Jurisd.* 7. *Junii* 1755. *dub.* 16. *confir.* 2. *Aug. ejusd. anni.*

106. Patribus Minoribus Conventualibus urbis Arimini, intra quorum abitum aedificata a Fabris quibusdam Oratoria S. Mariae de Paradiso, et S. Josephi fuerunt, nec pessulum apponere retro januam majorem campi dicti Josephi, nec aliter sodalibus liberum accessum per dictam januam ad Oratoria impedire fas non est: *Ariminen.* 30. *Julii* 1757. *dub.* 3.

107. Nec Patribus iisdem dicti Sodalitii Libros visitandi, et invisendi, sive rationes ipsius redituum expungendi jus competere definitur: *Ibid. dub.* 4.

108. Auctoritate Episcopali erecta in Ecclesia Sanctissimi Crucifixi Urbini fuit Congregatio Presbyterorum S. Philippi Nerii reditibus omnibus ejusdem Ecclesiae addictis. Hanc erectionem summi Pontifices confirmarunt praevio privilegio exemptionis, uti Congregationis Urbis. At per Praepositum Ubaldinum aere alieno gravata Congregatione. Archiepiscopus Presbyterum secularem administrationi praeposuit, et deputationem probavit Pont. Max. Re vero omni in integro statu restituta,

earum proprio respective habitu, sed et alii Devoti quoque saeculares, dummodo incedant vestibus decentibus induti, et non utantur improprio habitu, ut dicitur, *de Camise*, ac hujusmodi. " *Regist. Lit. Lib.* 30. *die* 22. *Nov.* 1750.

(51) *Vide not.* 50. *praecedentem*.

unus qui supererat Presbyter Joachim Cialdinius, postulavit, num sibi alios Presbyteros in Congregationem juxta illius institutum admittere liceret, et sui compos voti factus est: *Urbinaten. 12. Aug. 1758. dub. 1.*

109. Regulares Ordinis Praedicatorum Conventus S. Mariae Pietatis oppidi Vigueriae habent sub eorum cura, protectione, ac dominio tam Ecclesiam, et Hospitale S. Rocchi dicti oppidi, quam Sodalitium in dicta Ecclesia erectam, ac Montem Frumentarium ibidem pariter existentem, necnon bona, ac reditus eorumdem ad formam tamen conventionis salvo jure Episcopi visitandi, rationesque invisendi: *Derthonen. Visit. 26. Januar. 1760. dub. 5.*

110. Superior Conventus Ordinis Carmelitarum in Hirschorn tenetur praesentare ad curam animarum in Pago Eppigen. in Ecclesia Parochiali ejusd. Loci Sacerdotem secularem, minime vero deputare potest Sacerdotem Regularem, quum de subjectiva unione Parochiae non constaret, sed de unione tantum temporali, ac de patronatu: *Spiren. Paroch. 18. Julii 1761. dub. 1.*

111. Patribus de Observantia Conventus Siroli eodem die, quo Festum SS. Crucis celebratur in Ecclesia SS. Crucifixi, in propria Ecclesia peragi non licere, S. C. definivit: *Anconitana Trans. Miss. 14. Martii 1789. dub. 2.*

112. Priori, seu Procuratori Conventus PP. Servorum B. M. V. non competit jus interveniendi Congregationibus haberi solitis super negotiis respicientibus Capellam, et Altare Divi Peregrini, quod extat in eorum Ecclesia, illiusque bona, et reditus, itaut Communitas non tenetur illos interpellare: *Foro Livien. 11. Sept. 1784. dub. 16.*

§. IV.

Regulares quoad Munera, Religionis Officia, et Suffragia.

1. In Constitutionibus Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Hispaniae statutum est „ Ordinamus, ut qui „ ratione alicujus aegretudinis non po- „ test assidue Choro interesse, vel a „ carnibus abstinere eo ipso maneat „ inhabilis ad Officium Generalis Prio- „ ris ect., et jam ob praedictas causas „ a suis officiis removeantur = Insu- „ per legitur = nemini Religiosorum „ appellatio, aut supplicatio a senten- „ tia, aut poena juxta nostras Con- „ stitutiones ei imposita a Definitorio, „ vel aliis superioribus admittatur, sed „ statim exequtioni demandetur „ Ex quibus verbis obscurum est, an in vim praefatarum Constitutionum possit Prior a superioritate amoveri ob non assiduum interventum in Choro, tam ex causa infirmitatis, quam ex alia causa, et praesertim voluntaria ?

2. An remotio ob non interventum ex alia causa, et praesertim voluntaria sit inappellabilis etiam quoad effectum suspensivum non secus ac remotio ex causa infirmitatis. His respondit S. C. negative: *Ordinis Carmelitarum Discelceatorum 3. April. 1700. dub. 1. et 2.*

3. Stephanus Decolin Presbyter Professus Congregationis Clericorum secularium Doctrinae Christinae in Gallia potest praevia relaxatione juramenti, et voti de perseverantia de licentia Generalis cum suo Definitorio Parochiam secularem S. Mariae Magdalenae civitatis Biterrae ei ressignatam suscipere: *Biterren. Paroch. 17. Junii 1702.*

4. In Constitutionibus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum cautum est ut „ si prima vice suffragia sint aequa- „ lia, novitii domi remaneant, usque „ ad secundae probationis tempus, si „ forte proficiant, si vero secunda, „ vel tertia vice suffragia aequalia sint, „ mox expellantur „ Quum in secunda propositione Josephi Flaissman no-

vitii facta in Capitulo Conventuali S. Mariae de Scala Urbis ex viginti, et uno vocalibus in calice albo reperta fuerint undecim suffragia alba, et totidem nigra, et in calice nigro decem alba, et decem nigra; jurgium impendit, si vota sint aequalia, vel inaequalia? S. C. ad alium diem protendit decisio, et interim tempus, et tempora non currere, voluit: *Romana Approbat. Novitii* 7. *Julii* 1703. Deinde decrevit vota esse aequalia: 28. *ejusd. Mensis, et anni*. Postmodum instante Definitorio Generali, ut S. C. consilium repudiat, dictum est; dilata, et exquiratur votum Capituli Generalis, et interim nihil innovetur: 15. *Sept. ejusd. anni*. Denique admittendum novitium ad tertium scrutinium ex gratia servata in dicto scrutinio nova forma praescripta per Capitulum Generale judicium tulit: 31. *Maii* 1704.

5. Ob preces porrectas a PP. Consultoribus, et Praeposito Domus S. Andreae de Valle Congregationis Clericorum Regularium ex una, et P. Generali ejusdem Congregationis ex altera examinato dubio: an P. Generalis habeat duplex votum in electionibus superiorum, ac alio quocumque negotio per suffragia explendo? visum fuit S. C. rescribere, ut exquiratur votum Capituli Generalis, et iterim P. Generalis manuteneatur in possessione duplicis suffragii: *Dubium Praest. Suffr.* 2. *Octobr.* 1706. Deinde dedit S. C. responsum affirmativum: 13. *Aug.* 1707.

6. Fr. Antonius de Rosara in locum Fr. Bernardini Guardiani Conventus Annunciatae Asculi officio suspensi ob conjectas in se criminationes, tanquam Praeses subrogatus, non tenetur reddere rationem de omnibus, et singulis eleemosynis Missarum oblatis tempore administrationis Guardiani sui Antecessoris: *Ordinis Minorum Observantium* 17. *Junii* 1713. *dub.* 1.

7. Tenetur tantum referre rationem de eleemosynis Missarum receptis tempore sui regiminis: *Ibid. dub.* 2.

8. Ac Decretum factum die 4. Martii 1712. contra dictum Fr. Antonium de Rosara a Capitulo supra poenis, in quas incurrit, contentis in Bulla Innocentiana super celebratione Missarum (52) non sustinetur, sed est revocandum: *Ibid. dub.* 3.

9. Requisita S. C. an Praeses suffectus loco Guardiani defuncti, sive privati, vel suspensi teneatur reddere rationem, et exhibere testimonium quotannis juxta praescriptum Bullae *Nuper* Innoc. XII. §. 25. (53) de omnibus, et singulis eleemosynis, et satisfactio-

(52) Quae incipit *Nuper* 23. *Decem.* 1697. et §. 21. praecipit „ Quod si praedicti, ad quos jura Tabellae Capsae, et librorum praefatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et superiores, tum Secularium, tum Regularium Ecclesiarum rationem praeditam non exigerint, seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam Tabellarum, et Librorum incumbunt suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus seculares poenam suspensionis incurrant; Regulares vero voce activa, et passiva, ac gradibus, et officiis, quae obtinent ipso facto, et absque alia declaratione privati sint, et intelligantur; necnon ad hujusmodi gradus, et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint, et intelligantur. “

(53) *Die* 23. *Dec.* 1697. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag.* 470.) ubi legitur §. 25. quoad „ teneantur omnes, et singuli superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam, et juratam, quod omnibus, et singulis, tum perpetuis, tum annualibus Missarum oneribus, seu oblationibus ad limites, et tenorem praesentium Decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione possit etiam hujusmodi residuali implemento Missa-

nibus nedum pro tempore suae administrationis, sed etiam de illis, quae pervenerunt tempore Guardiani defuncti, vel privati, vel suspensi?

10. An hujusmodi Praeses incurrat poenas in Bulla praefata praescriptas, si exhibeat dumtaxat testimonium, et rationem edat pro tempore suae administrationis?

11. An superior Provincialis tempore visitationis, sive ante celebrationem Congregationis, vel Capituli possit exigere a Praeside hujusmodi fidem totius anni? ad singula S. C. respondit, ut daretur resolutio in casibus particularibus: *Ordinis Minorum Observantium* 19. *Aug.* 1713. *d.* 1. 2. 3.

12. Syndicus Apostolicus Conventus Minorum Observantium oppidi Altamurae in respicientibus correctionem morum non est exemptus a jurisdictione Ordinarii: *Nullius Altamurae Conser., et Exemp.* 3. *Aug.* 1715. *d.* 5.

13. Quum Patres Regentes explevissent quinquennium, et Concionatores decennium ad formam Constitutionum Ordinis, seu decreti Capituli Generalis Ordinis S. Augustini anni 1685. ad effectum assequendi Magisterii Lauream, S. C. decernit non esse praeferendos, qui primo absolverint, sed admittendos esse promiscue Regentes, et Concionatores arbitrio Patris Generalis: *Ordinis S. Augustini Magisterii* 16. *Decem.* 1719. *dub.* 1.

14. Ac omnia illa loca, ad quae mittuntur Concionatores a P. Generali Ordinis, consideranda, connumerandaque non sunt inter principaliores civitates Italiae, de quibus loquitur dictum Decretum ad effectum ut supra, et addidit S. C. ad mentem: *Ibid. d.* 2.

§. V.

Regulares quoad Oblatos, et Novitios.

1. In Constitutionibus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum cautum est, ut „ si prima vice suffragia sint ae„ qualia, Novitii domi remaneant, „ usque ad secundae probationis tem„ pus, si forte proficiant, si vero se„ cunda, vel tertia vice suffragia ae„ qualia sint, mox expellantur „ Quum in secunda propositione Josephi Flaissman Novitii facta in Capitulo Conventuali S. Mariae de Scala Urbis ex 21. vocalibus in calice albo reperta fuerint 11. suffragia alba, et totidem nigra, et in calice nigro 10. alba, et 10. nigra; hoc causa fuit dissidii, si vota sint aequalia, vel inaequalia. S. C. distulit decisionem, et interim tempus, et tempora non currere voluit: *Romana Approb. Nov.* 7. *Julii* 1703. Deinde decrevit vota esse aequalia: 28. *ejusd. Mensis, et anni.* Postmodum Definitorius Generalis ut susceptum consilium deponat, elaboravit: et S. C. respondit dilata, et exquiratur votum Capituli Generalis, et interim nihil innovetur: 15. *Sept. ejusd. anni.* Denique admittendum novitium ad tertium scrutinium ex gratia, servata in dicto scrutinio nova forma praescripta per Capitulum Generale deliberavit: 31. *Maii* 1704.

2. Ob contentiones factas inter Promotorem Fiscalem, ac Monasterium, ac Monachos S. Mariae de Sagittario Ordinis Cisterciensis super oblatis Sacerdotibus Dominico Antonio Laragione, Archangelo Vinciguerra, et Francisco Ciarabono, qui oblationem de se, suis-

rum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, et omnino adimplendi conditione, quod ante praefatae attestationes exhibitionem quicumque superiores locales praedicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant."

que bonis dicuntur fecisse, S. C. sancivit non constare de legitima oblatione ad effectum de quo agitur, nempe ut oblati alicujus Religionis fruantur fori privilegio, et Immunitate a secularibus exactionibus, quia plures circumstantias concurrere debent: *Anglonen.* 29. *Januar.* 1724. *dub.* 1.

§. VI.

Regulares quoad Onera.

1. Censuit S.C. Regulares quamvis exemptos teneri accedere ad omnes, et quascumque supplicationes, et consuetas, vel indictas pro bono publico, vel honore: *Nullius Januar.* 1598. *d.* 1.

2. S. C. Parochis Bononiensibus interrogantibus; an Regulares pro associandis funeribus vocati convenire debeant ad Parochialem Ecclesiam, ubi Clerus congregatur? respondit debere ad Parochialem Ecclesiam accedere, ubi Clerus congregari consuevit: *Bononien.* 20. *Junii* 1620. *dub.* 4.

3. Prodiit rescriptum Regulares teneri patientiam praestare, ut in eorum Ecclesiis Sacerdotes seculares Missas relictas celebrent, eisdem tamen Regularibus contributionem pro cera, vino, hostiis, et usu paramentorum faciendam: *Romana* 15. *Januar.* 1639.

4. Episcopum accedente consuetudine praesertim immemorabili Regulares compellere posse etiam ultra medium milliare a civitate distantes, ut intersint supplicationibus, nec ab eis discedant nisi finitis, et in eis obediant Magistro Caeremoniarum; decidit S. C. *Stronglen.* 17. *Junii* 1645. *d.* 1.

5. Censuit S. C. Regulares ad Parochialem Ecclesiam occasione comitatus cadaverum, quae in eorum Ecclesiis tumulantur, accedere teneri, nisi adsit legitime praescripta consuetudo in alia conveniendi Ecclesia: *Ripana Funerum* 23. *Febr.* 1658.

6. Saepe censuit S. C. Regulares ad supplicationes Corporis Christi, Rogationum, quae vocantur Litaniae Majores, et ad eas, quae pro serenitate, aut pluvia impetranda facienda sunt, necnon ad alias quascumque pro bono publico, aut honore indictas teneri accedere, ubi vocati fuerint, dummodo eorum Monasterium a civitate ultra medium milliare non distet, aut nisi exhibeant privilegia Apostolica posteriora publicatione Sacr. Concilii Tridentini, et quatenus accedere noluerint adigendos per censuras, vel alias poenas Episcopo benevisas: *Mediolanen.* 3. *Aug.* 1658.

7. Fratres Conventuales S. Francisci Montis Milonis teneri ad onus Missae hebdomadalis, ac Conventualis, et vesperarum in die Festo S. Jacobi implere juxta conventionem initam de anno 1598. (54), non autem juxta reductionem anni 1640. (55): *Maceraten. Oner. Miss.* 15. *Novem.* 1687.

8. Dubium, an Regulares non vocati teneantur accedere ad processiones publicas Corporis Christi, et similium? teneri praecedente generali indictione explicavit: *Insularum Canariae Jurisd.* 31. *Julii* 1694. *dub.* 1.

9. Patres Oblati Congregationis S. Caroli, qui in Ecclesia S. Christinae loci Burgi Manerii sine praejudicio jurium parochialium recepti degunt, propria paramenta, et alia sacra utensilia Praeposito, sive Canonicis Curatis Ecclesiae Collegiatae dicti oppidi subministrare non tenentur: *Novarien.* 12. *Decem.* 1705. *dub.* 6.

10. Nicolaus Ferretti Canonicus Lateranensis Parochialem Ecclesiam secularem rite obtinuit in Dioecesi The-

(54) Quo Christophorus de Accursiis solutione floren. 52. reddidit perpetuum dictum onus: *Lib.* 37. *Decret. fol.* 635.

(55) Quo anno Capitulo celebrato reductum fuit onus Missarum ad quinque annuatim: *Lib.* 37. *Decret. fol.* 635.

atina, qua dimissa aliam Ecclesiam Parochialem S. Nicolai assequutus est in civitate Anconae. Sed quum is veste incederet Presbyteri secularis, postulatum fuit, an is pro Religionis, et Familiae decore teneatur deferre habitum Regularem Congregationis Lateranensis tam in functionibus Ecclesiasticis, quam extra Ecclesiam, et respective habere socium Regularem dictae Congregationis? et S. C. respondit, dilata, et interim Nicolaus accedat ad habitandum in domo Parochiali, et proponatur dubium super licito transitu ad secundam Parochiam: *Anconitana* 5. *Julii* 1727.

11. Regulares occasione funerum, et officiorum tenentur accendere omnes candelas, quas recipiunt ab haeredibus defuncti in Altaribus Ecclesiae S. C. judicavit occasione controversiarum, quae inter Parochos, et Regulares Civitatis Mediolani exortae fuerunt: *Mediolanen. Quart. Funer.* 9. *Sept.* 1730. *dub.* 7. *confir.* 2. *Junii* 1731.

12. Pro-Vicarii, seu Cooperatores Regulares, qui ad curam animarum exponuntur in Ecclesiis Monasterio Alderspachii unitis, seu ab eo dependentibus, vel in quibus habet juspatronatus, praesentati Episcopo ab Abbate obtinere debent ab eodem Episcopo approbationem ad curam animarum: *Passavien. Paroch.* 28. *Julii* 1731. *d.* 2.

13. Monachi Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis ad Sacros Ordines promovendi praeter literas obedientiales non tenentur exhibere Ordinario Brixinensi fidem sui Baptismatis ad docendum de legitima aetate, dummodo in literis obedientialibus aetas exprimatur: *Brixinen.* 12. *Decem.* 1733. *dub.* 2.

14. Religiosos Reformatos S. Francisci Conventus S. Mariae de Monte Carmelo oppidi Collis Torti singulis annis in perpetuum praesentare Archipresbytero Parochialis praefati oppidi manipulum Florum in Festo Nativitatis S. Jo. Baptistae, vel eadem die Orationem panegyricam in honorem dicti Sancti recitare juxta conventionem teneri fuit decisum: *Larinen.* 14. *Maii* 1746. *dub.* 6. *confir.* 9. *Julii ejusd. anni*.

15. Patres Ordinis Praedicatorum, et Patres Cappuccini Terrae Tabiae tenentur praevia monitione facienda nomine Episcopi intervenire ad supplicationem fieri solitam occasione primi ingressus Episcopi, sive visitationis. Etiamsi Patres allegant favorabilem consuetudinem, loci distantiam, ac eorum onus interveniendi supplicationibus nisi publicis, ac in honorem Dei: *Albiganen. Proces., et Nullit. Inter.* 11. *Julii* 1750. *dub.* 1.

16. Patres Ordinis Praedicatorum Conventus S. Mariae oppidi Viqueriae non habent onus in casu de quo agitur manutenendi sodales Sanctissimi Nominis Jesu in Ecclesia Hospitali, quae Monasterio unita est, eisque ubilibet favendi, necnon eosdem defendendi a quibuscumque etiam ab Episcopo Derthonae, praesertim respectu ad litem nunc vigentem super nullitate visitationis ab eodem Episcopo peractae anno 1754.: *Derthonen. Visit.* 26. *Januar.* 1760. *dub.* 7.

17. Ac dicti Patres pondus non habent tradendi Sodalibus reditus dicti Hospitalis, vel saltem aliquam eorum partem, donec vires Sodalitii sufficiant: *Ibid. dub.* 10.

18. Capitulum SS. Petronii, et Prosperi Terrae Lugi habet jus in die S. Francisci de Paulla se conferre ad Ecclesiam dicti Sancti Patribus Scholarum Piarum concessam ad Missam decantandam, et occurrente festo in Feriis Majoris hebdomadae differre accessum ad eamdem. Modo deciditur praedictos Patres sacra paramenta, aliaque necessaria pro celebratione Mis-

sae denegare, nec posse tintinnabulorum impedire pulsationem: *Imolen. Jur. Paroch.* 20. *Decem.* 1760. *dub.* 2.

19. Religiosus degens in rurali domo de Valdepenas, quam extra Muros Civitatis habent una cum Oratorio privato Monachi Montis Sion Ordinis S. Bernardi, non tenetur exhibere Card. Archiepiscopo licentiam sui superioris Regularis permanendi extra claustra: *Toletana Visit. Orat.* 29. *Aug.* 1761. *d.* 5. Inde S. C. recessit a decisis, et responsum affirmativum in actu visitationis tantum praebuit: 8. *Maii* 1762.

20. Card. Balthaxar Cincius Archiepiscopus Firmanus fundavit domum in ea urbe Presbyterorum, qui dicuntur Missionis; et universa Congregatio Missionariorum obligavit sese recipere omnes convictores ad majorem ordines praesertim promovendos, ita tamen ut quilibet solvere congruam pensionem pro eorum convictu teneatur. Haec obligatio fuit impleta accipiendo ab illis ob. 20. in singulos dies pro brevi Exercitiorum spiritualium convictu, et pro longiori Ordinandorum scut. 5. menstrua. Modo autem ob nimis aucta rerum pretia postulatur, ut praestatio augeatur, et S. C. respondit praestandam esse summam menstruam a convictoribus promovendis pro nunc in scut. 6. cum dimidio praeter ob. 15. pro Arenis, et praeter Linteamina, ac lecti tegumenta: *Firmana Convictus* 18. *Martii* 1797. *dub.* 1.

Regulares quoad Professionem *Vide Professio Religiosa*.

§. VII.

Regulares, quoad Regulas, Vota, ac bonorum renunciationem.

1. Quaeritur, si novitius in aetate legitima constitutus, qui sperabat lapso tempore tyrocinii, se habilem ad professionem emittendam fore, donationem, vel renunciationem fecerit infra duos menses ante finem anni probationis et temporis tyrocinii, si contingat professionem expressam a superioribus forsan etiam malitiose per tres vel quatuor menses post annum probationis diferri, ita ut donatio, vel abdicatio non reperiatur facta infra duos menses ante professionem expresse emissam, censenda sit donatio valida vel nulla, itaut bona nulliter donata, vel jura renunciata acquirantur Monasterio, non autem donatario, vel cessionario? S. C. censuit validam esse renunciationem, nisi aliud obstet, sicut alias Sanctissimus D. N., audita Sententia S. C. Concilii declaravit, verba decreti Concilii *Cap.* 16. *Sess.* 25. *de Regul.* (56) *intra duos Menses proximos ante professionem*, verificari etiam si ultra plures menses anni probationis professio fiat: *Cremonen. anni* 1578. *dub.* 2.

2. Insuper censuit, non requiri, ut renuncians tempore abdicationis compleverit 16. annum, et renunciationem esse validam, dummodo sit facta cum licentia Episcopi, seu Vicarii juxta decretum Concilii *Cap.* 16. (57) intra duos menses proximos ante professionem: *Ibid. dub.* 4.

3. Demum declaravit Decretum Concilii *Cap.* 16. *Sess.* 25. *de Regul.* (58) non habere locum in testamento, et aliis ultimis voluntatibus: *Ibid. d.* 5.

4. Decretum Concilii Tridentini *Ses.* 24. *Cap.* 16. (59) non comprendere renunciationes, et obligationes factas etiam religionis intuitu ante habitus susceptionem: *Januen.* 2. *Decem.* 1604. *dub.* 3.

(56) *Vide not.* 210. *tom.* 3. *pag,* 260.
(57) *Vide notam praecedentem.*
(58) *Vide notam praecedentem.*
(59) *Vide notam praecedentem.*

5. In controversiam adductum est, an quidem Regularis professus incapax bonorum ad Episcopatum assumptus recuperet jus succedendi quoad haereditates post assumptum Episcopatum sibi delatas?

6. An eidem obstet cessio, ac renunciatio ejusmodi haereditatum facta ad favorem Fratris ad praescriptum S. C. Tridentini *Cap.* 10. *Sess.* 25. *de Regul.* (60)? S. C. ad primum respondit recuperare jus succedendi ad haereditates post consecutum Episcopatum ad utilitatem suae Ecclesiae sibi delatas quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usufructum. Ad secundum eidem non obstare supradictam cessionem, et renunciationem quoad haereditates, quae non sint alteri ante adeptum Episcopatum acquisitae: (61) *Neapolitana* 3. *Decem.* 1639. *dub.* 1. *et* 2.

7. Quidam Professus in Ordine Jesuatorum ante Religionis ingressum Monasterium haeredem instituerat; sequuta porro ejusdem ordinis suppressione ex Const. Clem. IX. *incip. Romanus* (62) facultatem revocandi petit; quod praesertim suadere videbatur mutatio status Religionis, et Monasterii abesse Regularis ad secularem, et quod ex praesumpta voluntate ipsius instituisse scilicet haeredem Monasterium, in quo ipse usque ad mortem erat permansurus. Attamen agitatis dubiis, an in casu, de quo agitur, testamentum censeatur resolutum? et quatenus negative

8. An Orator revocandi facultas, et aliud de novo condendi sit concedenda? respondit S. C. negative ad utrumque (63): *Bononien. Testam.* 25. *Febr.* 1679. *dub.* 1. 2. *confir.* 23. *Aug.* 1692.

9. Dum est discussum, an Monachi Laici, qui tria solemnia vota emiserunt, castitatis, scilicet, paupertatis, et obedientiae in Religione Congregationis S. Georgii in Alga a Clem. IX. Pont. Max. suppressa, possint uxores ducere, itaut per suppressionem dictae Religionis sint dispensati a voto solemni castitatis?

10. An supradicti Monachi testari possint?

11. An praedicti succedere possint fideicommissis, et haereditatibus, et acquirere valeant, acsi nunquam professi fuissent, et in Seculo permansissent? S. C. respondit negative in omnibus: *Dubia Votorum* 13. *Maii* 1679. *dub.* 1. 2. *et* 3.

12. S. C. indulsit Fatri Camillo Lando Ordinis S. Augustini, ut accedente consensu Fratrum sui Conventus renunciare posset juribus sibi competentibus super quadam domo, in favorem sui Fratris germani: *Florentina* 13. *Julii* 1686.

13. Duae institute fuerunt Januae Congregationes. Una quae vocatur S. Vincentii de Paullis, Missiones peragere debebat in Dioecesi, altera quae S. Caroli Borromaei nuncupatur, erat secularium Sacerdotum, qui in suis quisque degens aedibus Parochis opem ferre

(60) *Vide not.* 210. *tom.* 3. *pag.* 260.

(61) *Vide not.* 211. *ibid.*

(62) *Die* 6. *Decem.* 1668.

(63) „ Motivum resolutionis secundi dubii videtur fuisse, non solum quia per concessionem facultatis revocandi testamentum praejudicabatur juri jam alteri quaesito; sed etiam quia Papa; Religionem supprimendo, non solverat Jesuatos ab observantia votorum, ac eis consulnerat permittendo transitum ad quamcumque aliam Religionem, nisi in seculo cum habitu clericali permanere liberet, quo casu eis congruam annuam praestationem ex reditibus Monasterii assignavit, ut habetur *in cit. Const.* 30. §. 3. Unde non intrabat illa aequitas, quae forsan locum habere poterat, si professis non fuisset provisum de necessaria sustentatione ex bonis ipsius Monasterii suppressis “ Card. Petra de dicta Causa ita loquitur in *Comment. ad Const. V. Bened. XII. sect.* 1. *num.* 28. *tom.* 4. *pag.* 84.

teneretur. Inde Card. Fliscus Archiepiscopus duodecim Sacerdotes elegit, qui extra civitatem Missiones haberent. Certas hi sibi Regulas constituerunt Ordinarii auctoritate probatas. Has nunc a Sum. Pont. confirmari supplicant. Sed Card. Spinula Archiepiscopus de sua sententia rogatus quasdam conditiones adjecit; ut nempe Missiones, ac sacras functiones in ipsa civitate, sed extra illam in Villis, et Pagis expleant. Displicuerunt Missionariis hasce conditiones, hinc ambiguum fecerunt, an praefatae Regulae sint approbandae? Affirmativum responsum dedit juxta votum, et conditiones appositas a Card. Spinula, addita secunda conditione, ut non exerceant Missiones in duabus Vallibus Poncevere, et Bisagnii: *Janden.* 14. *Martii* 1744.

§. VIII.

Regulares quoad Votum Perseverantiae.

Quum simplici perseverantiae proposito, certisque regulis, et constitutionibus instituta fuit in urbe secularis Congregatio Clericorum Doctrinae Christianae, juxta quas liberum, et arbitrarium est profitentibus perseverantiae votum emittere, ac liber, et arbitrarius est recessus professorum. Novem ex 56. Patribus in unum congregati ediderunt Decretum votum perseverantiae debere esse Sum. Pont. reservatum, ac id confirmavit alia Congregatio 14. Patrum ex 68. de familia, necnon obtinuerunt hi Breve Gregorii XV. Pont. Max. confirmatorium, quo nempe prohibitum fuit in posterum exitus a Congregatione nisi praevia Appostolica dispensatione. Verum Breve praedictum demandatum nunquam exequutioni fuit ac libere egressi fuerunt nulla obtenta dispensatione. Tunc superiores aliis Patribus inauditis reportarunt Breve Sum. Pont. Urbani VIII. anno 1627., quo Papa demandavit, ut reputentur egressos fugitivos, et consignandos superioribus, ac puniendos esse. Ac desuper anno 1699. die 13. Aug. Decretum prodiit S. C. Visitationis, *non licere amplius egredi a Congregatione post emissum Votum Perseverantiae nisi in casibus expressis in Breve Sum. Pont.* Hoc Decretum reliqui Patres fuisse subreptitium conquesti sunt. Quapropter S. C. die 12 Decem. 1699. sancivit Breve Gregorii XV. Pont. Max. non esse exequendum, et audito Capitulo seu Congregatione Generali providebitur. Hinc Patres capitulariter congregati convenerunt egressos non esse molestandos, Professos non adstringendos ad perpetuam permanentiam, ac ingressuros imponere legem perpetuae permanentiae abrogando contrariam observantiam. Deinde S. C. consulta firmavit quoad jam egressos non esse molestandos, et consulant conscientiis suis, quoad commorantes de praesenti, qui votum emiserunt indigere dispensatione; quo vero ad noviter ingressuros serventur Constitutiones anni 1604 circa propositum perpetuae perseverantiae: *Romana Voti Persev.* 29. *Januar.* 1701. At nonnullis Patribus nunquam acquiescentibus quod utile sit votum perseverantiae. Postularunt hi, ut tandem constabiliatur, si utile erit, votum perseverantiae ad conservandam Congregationem, S. C. respondit, ut exquiratur votum Capituli Generalis: 4. *Aug.* 1714. Et coacto Capitulo instantia approbata fuit 23. Suffragiis unico tantum contrario, et S. C. affirmativum juxta modum (64) dedit responsum: 7. *Decem.* 1715.

Regularis Canonicus *Vide Canonicus §. VII.*

(64) S. C. respondit affirmative pro ingressuris tantum, proindeque censuit, si Sanctissimo D. N. placuerit dispensationem super d. voto Perseverantiae Sanctitati suae, ac Sum.

§. I.

Regularium Monasterium quoad Clausuram (65).

1. Monasterio PP. Minor. Conventualium Urbaniae haeret Ecclesia, cui duplex janua est altera in via publica altera in atrio. Quatuor sunt hujus atrii januae, quae in illud praestant ingressum. Prima est in via publica, altera quam diximus Ecclesiae tertia est Capellae Oratorii, sive Coemeterii mortuorum, quarta est Monasterii, et juxta hanc stat janitor, qui Religiosae domus custodiam servat, et ab ea incepit ex immemorabili consuetudine Monasterii clausura. Episcopi omnes Urbaniae siluerunt, ut per hoc atrium ducerentur Pompae, quas viri, foeminaeque sequuntur, neque unquam alicui visum est hoc atrium partem esse clausurae. Hodiernus vero Episcopus vetuit, ne foeminis in posterum hujus atrii pateret ingressus. Patres ad S. C. confugerunt, quae respondit atrium hoc non esse extra clausuram Conventus S. Francisci, itaut servanda minime sit praetensa consuetudo super illius libertate: *Urbanien. Claus.* 18. *April.* 1750.

2. Clausuram PP. Conventualium Ferentini comprehendere declaratur hortum, quem vocant *frigidum*, intra septa Coenobii existentem non obstante consuetudine super illius libertate servata: *Ferentina Visit. Sacr. Liminum* 5. *April.* 1794. *confir.* 20. *Feb.* 1796.

§. II.

Regularium Monasterium quoad Erectionem.

1. Maria de Aquilera erigi jussit Conventum Ordinis S. Francisci Fratrum Recollectorum Provinciae Granatensis vel Monasterium Monialium Minimarum, in cujus erectionis defectu vocavit Hospitale, et Eremitoria oppidi de Areonilla. Haec voluntas non fuit per quinquennium expleta, ideo Aloysius Diaz de Aquilera Frater, et haeres Mariae pro faciliori exequutione auctricis voluntatis ordinavit constructionem Conventus praedicti, quo non peracto per sexennium erigi voluit Monasterium Monialium S. Clarae, aliter tot Capellaniae, vel alia pia opera fundarentur. Denegato regio, ac Oppidanorum assensu pro petita constructione Conventus Regularium, coepta fuit fabrica Monasterii S. Clarae, reservata quadam summa Eremitis dicti loci. Sed post plures annos Vicarius Generalis condemnavit administratorem coeptae Fabricae dicti Monasterii S. Clarae ad restitutionem fructuum omnium in favorem dictorum Eremitarum. Sed homines dicti loci supplicarunt pro commutatione voluntatis Testatorum, ut loco Monasterii S. Clarae fundetur Conventus pro Fratribus S. Francisci Min. Observ. S. C. negativum dedit responsum et servari dispositiones utriusque Testatoris mandavit: *Giennen. Commut. Volunt.* 12. *Januar.* 1704. *dub.* 1.

2. Hoc affert dubitationem nempe, an cum haereditate, seu multiplico Canonici Matthioli erigi debeat Congregatio Oratorii S. Philippi Nerii in terra Mevaniae? planum fecit responso affirmativo ad formam Testamenti, et ut scribatur Episcopo, qui instet multiplico, et administrationi bonorum: 10. *Januar.*

Rom. Pontifici dumtaxat, per suas literas Apostolicas in forma Brevis reservari posse, et cum clausula, quod quatenus egrediantur sine dispensatione ab exercitio SS. Ordinum suspensi remanere debeant. *Lib. Decret.* 65. *fol.* 483.

(65) *Const. Regularis* 3. *Januar.* 1742. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag.* 46.) Bened. XIV. renovat sanctiones praedecessorum tam ante quam post Concilii Trid. decreta super Clausura Monasteriorum quorumcumque religiosorum virorum editas sublata quibuslibet dispensandi facultate.

1699. Inde perpenditur, an sit exequendum editum rescriptum pro dicta erectione? rescripsit Episcopo, qui firmet statum juxta modum; nam exponebatur redituum exiguitas: *Spoletana Erect. Congreg. Orat.* 17. *Martii* 1714.

3. Mandaverat S. C. antea donationem, seu cessionem aedificii et terreni in summitate Montis Cavi per Emundum de Buisson in favorem Conventus S. Caroli ad quatuor Fontes factam sustineri, inde non sine dubio fuit, an liceat dicto Conventui S. Caroli manutenere in perpetuum, et de continuo in eadem Eremo Montis Cavi duos saltem Religiosos Sacerdotes ex eorum ordine, et Congregatione Hispaniarum cum obligationibus praescriptis in instrumento dictae donationis? S.C. mandavit exhiberi Constitutiones: *Tusculana* 3. *Febr.* 1725. Deinde pro nunc duos, vel tres Religiosos retinendi pro Fabrica perficienda jus esse sancivt: 3. *Martii ejusd. anni*.

4. Julius Fiaschetti Canonicus Collegiatae Ecclesiae oppidi Morali omnia sua bona cessit Patribus Congregationis Romanae sub titulo S. Michaelis Archangeli Ordinis Excalceatorum S. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, ut Religiosum erigerent Conventum sub obligatione sustinendi Religiosos cum onere celebrandi sacra, aut si hoc impleri non posset, erigerentur tria Beneficia. Episcopus in suo Decreto mutavit voluntatem illius; hinc Familiae vocatae ad beneficia reclamarunt, et dubitatione ad trutinam subjecta, an et quomodo sit locus erectioni Conventus ad formam donationis de qua agitur, seu erectioni Beneficiorum? respondit S. C. dilata, et praefigatur terminus unius anni Fratribus Redemptionis Captivorum ad implendum omnes conditiones praescriptas in instrumento donationis, quo elapso habebitur ratio: *Anagnina* 15. *April*. 1780. *dub.* 2. Deinde elargita est facultas aperiendi Conventum cum obligatione manutenendi quinque Fratres, servatis tamen reliquis Constitutionibus Apostolicis, facto verbo cum Sanctissimo, et praefigatur terminus unius anni ad implendas omnes conditiones praescriptas in instrumento donationis: 28. *Julii* 1781. *dub.* 1.

§. III.

Regularium Monasterium quoad Exemptionem Ordinariorum.

1. S.C. consulta auditis partibus respondit, Monachos S. Hieronymi exemptos, ut proponitur, ab Ordinario vocatos teneri, ac potuisse compelli etiam poenis, et censuris Ecclesiasticis ad Rogationum Divi Marci, aliasque publicas supplicationes accedere: *Albanen.* 23. *Sept.* 1617.

2. Censuit S. C. Episcopum procedere posse ad exequutionem Decreti ejusdem S. Concilii *cap.* 13. *Sess.* 25. *de Regul.* (66) et Declarationis S. C. (67) inhibitionibus AC. non obstantibus: *Spoletana* 23. *Junii* 1629.

3. Declaravit S. C. in illis casibus, in quibus Episcopis commissa est exequutio dispositionis Regulares comprehendentis, posse eosdem Regulares, si inobedientes extiterint, etiam per censuras ad illius observantiam impellere: *Limana* 16. *April* 1633.

4. Monasterium Monachorum Congregationis Montis Virginis, quod dicitur S. Honuphrii de Massa diruta situm in Territorio Parochiali *di Abatina* a S. C. fuit declaratum esse nullius Dioecesis. Nam in ejusdem Ecclesia adest fons baptismalis, admittuntur non tantum Monachi ipsi ad excipiendas Sacramentales Confessiones,

(66) *Vide not.* 521. *tom.* 2. *pag.* 409.

(67) *Vide not. praecedentem.*

sed Sacerdotes quicumque ab Episcopo non approbati cum sola venia P. Abbatis, qui exhibet suae jurisdictionis quasi Episcopalis privilegium, una cum antiqua observantia: *Caputaquen. Jurisd.* 11. *Decem.* 1756. *dub.* 1. *confir.* 30. *Julii* 1757. *ac* 13. *Martii* 1762.

§. IV.

Regularium Monasterium quoad Suppressionem.

1. Anno 1699. dum Episcopus Negrellus in relatione status Ecclesiae preces obtulerat S.C. Concilii pro suppressione Conventus seu Oratorii sub regula D. Francisci de Paulla a quadam pia Muliere erecti, ubi tres fratres tantum adesse retulit, obtinuit, ut facultate sibi concessa ex decretis Innoc. X. Pont. Max. occasione suppressionis parvorum Conventuum editis uteretur. Res deinde siluit usque ad praesens, quo Episcopus modernus Decretum edidit, suppressionis reservato implemento Missarum, aliorumque onerum per Sacerdotes seculares explendorum, a quo provocante Religione Minimorum S. C. praefatum decretum haud sustineri jussit : *S. Severini Suppress. Conven.* 19. *Junii* 1706.

2. Episcopus Ugentinus ad relationes Promotoris Fiscalis, quod parvus Conventus Carmelitarum oppidi Murciani obnoxius sit dispositionibus Constitutionis Innoc. X. Pont. Max. *Instaurandae* (68) quum adessent tres, vel quatuor Regulares cum tribus laicis, qui populi offensione vivunt, praeviis terminis praefixis devenit ad suppressionem Conventus praedicti. Sed hanc ratam non esse S. C. existimavit. Nam aderat contestata denunciatio ab ipsis praesentata praeventive in manibus Vicarii Generalis, qua exposuerant illi Patres Conventum habitasse octo, vel ultra Religiosos, modo duodecim Regulares: *Ugentina Jurisd. et Censur.* 16. *Martii* 1715. *dub.* 1.

3. Optabatur supprimere Domum Congregationis Presbyterorum Fratrensium Coloniae degentium pro erectione Seminarii, oblata Presbyteris Fratrensibus commoditate habitandi in eadem domo cum victus praestatione usquequo vel a se vel ab aliis iidem obtineant Ecclesiasticum beneficium sufficiens pro sua congrua manutentione, ac Seminarium Episcopale in eadem erigere. Nam aliomodo erigi minime adhuc potuit ex deficientia simplicium beneficiorum liberae collationis, sed S. C. haud id concessit, addendo ad mentem: *Colonien. Erect. Semin.* 19. *Aug.* 1724. *dub.* 1.

Reintegratio *Vide Redintegratio*.

Reiteratio *Vide Baptismi Sacramentum § II.*

Religio Militaris Ordinis Christi.

Militari Ordini Christi, in quem adlecti sunt Equites, et Clerici Capellani, adscribuntur etiam famuli. Hi nullam antiquitus emittebant professionem, et quum vellent, Ordinem relinquebant, ducebantque uxorem. Verum Conventus Rectores a Card. Duratio Ulyssiponensi Nuntio Apostolico obtinuerunt ut laici ii, qui actu Ordini adscripti erant, professionem pronunciarent. Verum jusserat ille Nuntius, ut deinceps Sedem Apostolicam adiretur. At his spretis semper solemnis ab omnibus facta est professio. Hos inter fuit Fr. Cajetanus, qui prius Antonius de Torres nuncupabatur, cognita post plures annos nullitate suae professionis consilio usus Theologi, clam Monasterio discessit, Romam profecturus ad assequen-

(68) 15. *Octob.* 1652. (*Bull. Rom. tom.* 6. *part.* 3. *pag.* 233.) emanatae super extinctione, et suppressione parvorum Conventuum; quam sequutum est Decretum ejusd. Pontificis *Ut in parvis*, quo statuit numerum Regularium in quolibet domo praefigendum ; *Vide not.* 467. *Lit. C.*

dam declarationem. Sed in Hispania carceribus dejectus, modo postulat declarari, an de illius nullitate constaret, seu esset ad cautelam absolvendum, sibique concedendum Indultum permanendi in seculum ad effectum se itidem promovendum ad Sacerdotium? demandatur primum, ut fierent diligentiae juxta mentem *Lisbonen.* 18. *Sept.* 1745. Deinde negativum prodiit in omnibus responsum: 17. *Sept.* 1746.

§. I.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani quoad Bajulivos.

1. Quoad Bajulivum sine Episcopi confirmatione jurisdictionem exercentem remissa ad S. C. super controversiis jurisdictionalibus (69) decisio fuit: *Liparen.* 10. *Maii* 1631. *dub.* 5.

2. Bajulivus S. Euphemiae Ordinis Hierosolymitani non habet in locis Rhodi, et S. Mauri sibi subjectis ordinariam in Clerum, et Populum jurisdictionem; sed illa ad Episcopum Caputaquensem una cum delegata in Ecclesiis subjective unitis, rejecta *nullius* a Bajulivo praetensa praerogativa, spectat: *Caputaquen.* 2. *Aug.* 1760. *dub.* 1. *confir.* 17. *Januar.* 1761.

3. Et Vicarii Curati Ecclesiarum Parochialium dictorum locorum a Bajulivo praesentati examinandi, et adprobandi sunt ab Episcopo: *Ibid. dub.* 2.

4. Œconomi vero provisionales in Ecclesiis praedictis ab Episcopo sunt deputandi: *Ibid. dub.* 3.

5. Bajulivus Vicarius nequit licentias confessiones in dictis Ecclesiis audiendi Sacerdotibus quibuscumque etiam ab Ordinario non adprobatis impertiri: *Ibid. dub.* 4.

6. Collatio autem Sacramenti Confirmationis ad Episcopum privative quoad Bajulivum pertinet: *Ibid. dub.* 5.

7. Bajulivus idem S. Euphemiae incompatibile non esse ordinariam jurisdictionem Episcopo Caputaquensi, et a Praelato inferiori particulares jurisdictionis simul exerceri contendens, alia proponi, et definiri curavit dubia; nempe an, et ad quos effectus, et pro quibus causis, et personis Bajulivus S. Euphemiae in praefatis Rhodii, et S. Mauri locis possit habere Vicarium, et Tribunal cum familia armata, et carcere? et responsum tulit affirmativum ad formam tamen Constitutionum Apostolicarum et signate Gregorii XIII. et Benedicti XIV. (70): *Caputaquen.* 4. *April.* 1767. *dub.* 1.

8. Inde propositum est, an, et in quibus Ecclesiis is possit erigere Beneficia Ecclesiastica, jurapatronatus re-

(69) Ad quam examen hoc spectat.

(70) Sed primum Alexander IV. Pont. Max. *Const. Ipsa nos* 20. *Febr.* 1256. (*Bull. Rom. tom.* 3. *pag.* 369.) declaravit, quod ex Concessionibus per Apostolicam Sedem cuicumque factis, vel faciendis, nullum praejudicium Ordini Hierosolymitano inferatur, nisi specifica ejus mentio fiat in Literis Apostolicis. Privilegia autem, et exemptiones ejusdem Ordinis confirmavit, ampliavit Pius IV. *Const. Circumspecta Romani* 1. *Julii* 1560. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 20.). Exemptionem vero Ordinis praedicti a Decimarum solutione, aliorumque onerum renovavit S. Pius V. *Const. Etsi cuncta* 29. *Novem.* 1568. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 49.) praeservata jurisdictione Ordinariorum quoad personas curam Animarum exercentes. Quoad Beneficia insuper Gregorius XIII, *Const. Quo magis* 23. *Martii* 1580. (*Bull. Rom. ibid. pag.* 430.) privilegia ejusdem Ordinis confirmavit. Et iterum confirmantur a Gregorio XIV. *Const. Quanta Christianae* 30. *April.* 1591. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 1. *pag.* 260.). Nec non generalis approbatio dictae Militiae privilegiorum edidit Urbanus VIII. *Const. Universalis Militiae* 29. *Martii* 1624. (*Bull. Rom. tom.* 5 *part.* 5 *pag.* 205.) confirmata ab Innocentio X. *Const. Universalis* 18. *Julii* 1648. (*Bull. Rom. tom.* 6. *part.* 3. *pag.* 162.) Et a Bened. XIV. *Const. Inter Illustria* 12. *Martii* 1753 (*Bull. Ejusd. tom.* 4. *pag.* 33.).

servare, vel eorumdem translationem adprobare, et Indulgentias publicare? et resolutum contra fuit, et quoad erectionem Beneficiorum in Ecclesiis subjective unitis videatur particulariter: *Ibid. dub.* 2.

9. Resolutum etiam fuit, eumdem Bajulivum pro nullis facultatem concionandi, et benedictionem concionatoribus impertiendi concedere posse: *Ibid. dub.* 3.

10. In nullis quoque Ecclesiis licentiam exponendi Sanctissimum Sacramentum concedere eumdem posse statutum fuit: *Ibid. dub.* 4.

11. Eumdem vero visitare posse Ecclesias subjective unitas firmatum fuit: *Ibid. dub.* 5.

12. Apostolicas autem literas nullas exequutioni demandare posse decisum fuit: *Ibid. dub.* 6.

13. Vicarium eamdem licentiam pro discessu concedere valere personis tantum addictis servitio Ecclesiarum subjective unitarum, dummodo curam animarum non habeant, stabilitum est: *Ibid. dub.* 7.

14. Pro nullis vero personis Vicarium saepe laudatum facultatem celebrandi Matrimonia donare posse judicium est: *Ibid. dub.* 8.

15. Et quod pro nullis etiam personis possit examinare requisita Ordinariorum, recipere probationes, relaxare Edicta, ac etiam testes verificare super comprobatione tituli, vel patrimonii resolutum fuit: *Ibid. dub.* 9.

16. Nullas etiam personas absolvere eumdem Vicarium posse a juramento ad effectum sive agendi sive excipiendi in judicio responsio prodiit: *Ibid. dub.* 10.

17. Et statutum denique fuit eumdem posse exigere tantum rationes ab Administratoribus, et Procuratoribus quoad Loca pia Ecclesiarum subjective unitarum: *Ibid. dub.* 11.

§. II.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani quoad Beneficia, et Pensiones.

1. Jo. Joseph Comes ab Herbestein Magnus Hungariae Prior munifice erexit Sacellum S. Joseph in Fortalitio Carolostadiensi in Croatia, ac Sacrae Hierosolymitanae Religioni cum suis omnibus bonis donavit; sed pro administratione nominavit oeconomum Comitem Jo. Ferdinandum ab Herbestin, nepotem ejus Ordinis Miletensis Equitum, qui suo in eodem Sacello Bajulivatum erigere sub invocatione S. Josephi Carolostadiensis cupit. Ad id perficiendum paratus est augere dotes, ac onera implendi. S. C. vero fundationem approbavit, necnon respective assensum Apostolicum concessit: *Melevitana, seu Zagrabien. Fundat. Bajulio.* 17. *Martii* 1714.

2. Vacante Praeceptoria Ordinis Militaris S. Johannis Hierosolymitani nominatus fuit Aloysius de Vectoris Eques non professus Hierosolymitanus sub spe futurae dispensationis, quam nisi consecutus esset, praesentatus fuit loco secundo Commendatarius Fr. Bindus Paullus Peruzzi Eques pariter Melitensis. Hac de causa S. C. consulta primo concessit dispensationem, ac eidem Praeceptoriam adjudicavit: *Florentina Dispens.* 22. *Sept.* 1714. *dub.* 1. *et* 2.

3. Quum nobilis Adolescens D. Sixtus Sforza Caesarinus, qui uti Clericus Beneficia Ecclesiastica possidebat, habitum clericalem dimisisset occasione expeditionis Melitensis, S. C. tollit omnem dubitationem super legitima eorumdem Beneficiorum retentione, cum cingulo Militare, et delatione aureae Crucis Hierosolymitanae, quibus ille insignitus est, hoc responso nempe Milites Professos Ordinis Hiero-

solymitani ex dispensatione Apostolica possidentes pensiones, et beneficia Ecclesiastica secularia, posse illa retinere, etiamsi non incedant in habitu, et tonsura, dummodo gestent insignia proprii Ordinis: *Melevitana* 26. *Febr.* 1763. *dub.* 1.

§. III.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani quoad Capellanos, et Vicarios.

1. S. C. agente de Ecclesiis, quae sunt annexae Commendis Hierosolymitanis resolutum fuit, examen, et approbationem hujusmodi Vicariorum ad Episcopum pertinere: *Augustana* 14. *Decem.* 1630. *dub.* 2.

2. Ac Episcopum debere Vicarios dictae Religionis, si simpliciter idonei reperti fuerit, simpliciter approbare censuit: *Ibid. dub.* 3.

3. Ac Fratres S. Johannis Hierosolymitani sive praedictos eorum Vicarios non teneri, neque compelli posse ad contributionem Seminarii, nec ad solutionem Cathedratici, seu Synodatici, vel Charitativi Subsidii deciditur: *Ibid. dub.* 4.

4. Episcopumque posse quandocumque etiam extra Visitationem in respicientibus curam animarum, et Sacramentorum administrationem eosdem Vicarios punire, firmatur: *Ibid. d.* 5.

5. Causa controversiarum Episcopi cum Ordine Militari S. Jo. Hierosolymitani disputatum fuit dubium, an Vicarius seu Capellanus amovibilis Sacerdos secularis administrans curam animarum annexam Commendae Hierosolymitanae habitans in Domo ejusdem Parochialis tam in his, quae tangunt curam animarum, et Sacramentorum administrationem, quam in quocumque delicto subjaceat jurisdictioni Ordinarii ex decreto Sacr. Concilii *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* (71), et Const. Gregorii *XIII.* 67. §. *idcirco* (72)? S. C. rescripsit Vicarium, seu Capellanum subesse Card. Episcopo etiam extra Visitationem in iis, quae respiciunt curam animarum, et in delictis mali exempli turpitudinem habentibus, et quo ad reliqua delicta dictum Capellanum in casu, de quo agitur etiam subesse Card. Episcopo stante defectu tertiis requisiti per Bullam Gregorii XIII. la 67. videlicet (73) non servatae obedientiae: *Faventina Jurisd.* 17. *Sept.* 1667. *dub.* 1.

6. Super jurisdictionali controversia vertente inter Magnum Priorem Bohemiae Hierosolymitanae Religionis, et Archiepiscopum Pragensem S. C. plura decrevit. Pro exemptione a jurisdictione Ordinaria Archiepiscopi non sufficit sola nominatio, seu deputatio Presbyteris secularibus facta a superiore D. Johannis Hierosolymitani in Ecclesiis dicti Ordinis pro cura animarum, quamvis ex causa non admitteretur ab Archiepiscopo, sed requiritur admissio, approbatio, et licentia Archiepiscopi, sive ejus Consistorii ad curam animarum, et administrationem Sacramentorum: *Pragen. Jurisd.* 14. *Januar.* 1708. *dub.* 1. *Confir.* 9. *Junii ejusd. anni dub.* 1.

7. Et prefati nominati, seu deputati ad dicta beneficia curata tenentur subire examen, et professionem fidei emittere ad formam Concilii (74) coram Archiepiscopo, sive ejus Consistorio antequam animarum curam exerceant: *Ibid. dub.* 2. *confir. ibid.*

8. Idemque coram dicto Archiepiscopo, sive ejus Consistorio onus habent praestandi juramentum ad curam animarum debite obeundam: *Ibid. d.* 3. *Confir. ibid.*

9. Et dicti nominati, seu deputati

(71) *Vide not.* 233. *tom.* 3. *pag.* 273.
(72) *Vide not.* 233. *tom.* 3. *pag.* 273.
(73) *Vide not. praecedentem.*
(74) *Vide not.* 297. *tom.* 3. *pag.* 309.

in dictis Ecclesiis postquam reportaverint ab Archiepiscopo facultatem pro exercenda cura animarum, tenentur se conformare Constitutionibus Synodalibus et Ordinationibus Consistorialibus quoad omnia in ordine ad Sacramentorum administrationem, et curam animarum: *Ibid. d.* 5. *confirm. ibid.*

10. Nec dictis Presbyteris secularibus, ut supra nominatis, seu deputatis in praefatis Ecclesis, et ab Archiepiscopo examinatis devinctus est idem Archiepiscopus concedere licentiam ad curam animarum exercenda: *Ib. d* 6.

11. Et in hujusmodi licentiis Archiepiscopus valet sibi reservare facultatem eam revocandi ad sui beneplacitum, sed debet eam pure, et simpliciter tribuere: *Ibid. dub.* 7.

12. Ac Archiepiscopus debet exprimere se procedere auctoritate delegata, dum procedit contra dictos Presbyteros exercentes curam animarum; itaut hoc non expresso non tenentur illi ei obedire etiam in respicientibus animarum curam: *Ibid. dub.* 8. *confir. ibid.*

13. Et ad dubium, an Archiepiscopus praedictos Presbyteros exercentes curam animarum in casu quo ejus mandata non exhauriant, possit plectere poena revocationis licentiae exercendi animarum curam? S. C. respondit, ut recurrat in casibus particularibus: *Ibid. dub.* 9.

14. Et praefati Presbyteri pro servitio dictarum Ecclesiarum valent assumere Capellanos pro celebratione Missarum in eisdem Ecclesiis sine facultate Archiepiscopi: *Ibid. dub.* 10.

15. Inde sancivit dictum Archiepiscopum sive ejus Consistorium pro praedictis exigendis procedere nequit jure Ordinario, sed delegato: *Ibid.* 9. *Junii* 1708. *dub.* 2.

16. In Civitate Baruli adest Ecclesia S. Sepulcri spectans ad Religionem Hierosolymitanam sita in Dioecesi Tranensi, et in eadem urbe suam sedem, ac jurisdictionem quoque retinet. Saepius contingit, quod Clerici unius Ecclesiae ad aliam diversae jurisdictionis transeant, sed Magnus Prior Baruli praetendit, ut Clerici adscripti servitio Ecclesiae S. Sepulcri ad aliam Archiepiscopo Nazareno subjectam transire non valeant absque licentia Vicarii ejusdem Ecclesiae S. Sepulcri. Proposita hac definienda controversia, declaratum fuit Clericos, et Presbyteros, qui adscripti servitio Ecclesiae S. Sepulcri ad servitium Ecclesiae Nazarenae transeunt, haud ulla Vicarii illius indigere licentia: *Tranen. Jurisd.* 2. *Decem.* 1730.

17. Vicarius Bajulivatus S. Euphemiae Ordinis Hierosolymitani facultates confessiones audiendi in Ecclesiis Parochialibus locorum Rhodii, et S. Mauri quibuscumque Sacerdotibus etiam non adprobatis ab Ordinario dare non potest: *Caputaquen.* 2. *Aug.* 1760. *dub.* 4. *confir.* 17. *Januar.* 1761.

18. Definiverat jam antea S. C. Ecclesiam S. Johannis Commendae Villingensis Ordinis Hierosolymitani intra circuitum muris septum, ubi nonnullae continentur aedes pro Commendatoris, ejusque familiarium, et Ministrorum usu destinatae, existentem non esse veram Parochialem. Definit nunc ejus Capellano jus administrandi Sacramenta Domesticis, ac Familiaribus iisdem competere ad formam Bullae Gregorii XIII. Pont. Max. (75); competere ei autem negavit omnia jura parochialia exercendi independenter a Parocho Capituli ruralis Civitatis Villingae: *Constantien. Jur. Paroch. et Exempt.* 18. *Decem.* 1762. *dub.* 2.

(75) *Vide not.* 233. *tom.* 3. *pag.* 273.

§. IV.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani, quoad Commendatores, et Equites.

1. Quadam dubitatio habetur an Card. de Alteriis Eques Commendator Commendae S. Magni Religionis Hierosolymitanae possit erigere Tribunal? et quatenus affirmative.

2. An Ministri Affictuarii, subaffictuarii, et Coloni ejusdem Commendatoris in causis tam civilibus, quam criminalibus sint exempti a jurisdictione Ordinariorum in Causis Ecclesiasticis, seu mixti fori, et a jurisdictione Judicum Laicorum in causis mere Laicalibus?

3. An, et quas literas patentes concedere valeat idem Card. Commendator eisdem Ministris, Affictuariis, subaffictuariis, et Colonis? S. C. rescripsit, ut instet coram Auditore Sanctissimi: *Montis Falisci Jurisd.* 9. *Junii* 1708. *dub.* 1. 2. *et* 3.

4. Commendator Religionis Hierosolomytanae non valet se ingerere in electione Officialium Societatis Sanctissimae Annuntiatae erectae in Ecclesia S. Jo. Baptistae extra moenia Civitatis Foggiae sita; quum dicta Ecclesia se esse subjectam Religioni Hierosolymitanae jurisdictioni autumaret, quae jurisdictio in favorem Episcopi fuit vindicata: *Trojana Jurisd.* 24. *Aug.* 1709. *dub.* 4.

5. Commendator, et Fratres Capellani Praeceptoriae ad SS. Johannem, et Cordulam apud Coloniam Religionis Hierosolymitanae non possunt recipere novitios, illosque admittere ad professionem absque licentia Magistri Ordinis, seu Magni Prioris per Alemanniam: *Colonien.* 17. *April.* 1728. *dub.* 1. *confirm.* et additum ad mentem (76): 19. *Junii ejusd. anni.*

6. Ac dictus Commendator suspensus ab officio, qui absque facultate Magistri Ordinis contulit literas dimissoriales Johanni Henrico Vvilms, quarum vigore a Nuntio Coloniensi promotus fuit ad sacrum subdiaconatus ordinem tanquam professus, et sic ad titulum Mensae, sive Domus Prioralis Camerae memorati Conventus, ex gratia est redintegrandus, et summa recepta pro dote in admissione Vvilms est ejus haeredibus restituenda demptis alimentis ipsi praestitis: *Ibid. d.* 4. *confir. ibid.*

7. Ad Religionem Hierosolymitanam spectabat Commenda, quae Ecclesiam dictam D. Ægidio, ac Hospitale adjunctum habebat. Sed Ecclesia diruit, et traditum fuit Altare in Ecclesia Parochiali S. Jacopi Majoris, ubi Commendae onera impleri possent. Quamquam huic arae fuerit insculptum Stemma, ac inscripta Epigraphe, tamen Commendator sibi vindicare nequit illius Capellae dominium, et pertinentiam, quum deesset acquisitionis instrumentum: *Placentina Jurisd.* 4. *Decem.* 1745. *dub.* 1.

8. Et Commendatori praedicto Equiti Cevolo non competit independenter a Parocho praefatae Ecclesiae jurisdictio, sed copia celebrare faciendi in eadem Capella Missas, ac peragendi in ea omnes alias ecclesiasticas functiones Commendae incumbentes, dummodo non impediantur functiones parochiales: *Ibid. dub.* 2.

9. Imo nec Parochus praeferri debet in celebratione dictarum Missarum, et functionum: *Ibid. dub.* 3.

10. Quum annuam pensionem scut. 100. ex reditibus Archiepiscopalis Mensae Florentinae obtinuisset nobilis adolescens Ferdinandus Carolus Capponius

(76) *Vide not.* 15. *pag.* 201.

Eques Hierosolymitanus hac conditione, ut non deberetur pensio, nisi postquam Clericus factus esset, postulavit inde ab Archiepiscopo Tonsuram, sed hic conferre abnuit, nisi Clericali veste indueretur: ob id quaestio agitata est in S. C., an Eques Hierosolymitanus non Professus initiandus sit ad primam Tonsuram sine habitu Clericali?

11. An sint solvendae eidem pensiones elapsae, ac decurrendae, sive potius obstet Breve? S. C. dilata, et ad mentem respondit: *Florentina* 2. *Sept.* 1747. *d.* 1. *et* 2.

12. Praepositus Commendator Monasterii Miechoviensis Ordinis Hierosolymitani tenetur contribuere pro aedificatione Ecclesiae, et Conventus Commendati incendio consumpti, necnon pro supellectilibus, et aliis ad usum ejusdem Ecclesiae pro tertia parte redituum Commendae. Nam litis occasionem praebuit incendium anni 1745. Monasterii praefati Domus Probationis, Ecclesiae una cum vasis sacris, sacris supellectilibus, ornamentis, aliisque hujusmodi: *Cracovien. Contrib.* 26. *April.* 1749. *confir.* 22. *Novem. ejusd. anni*, *dub.* 1. *et.* 28. *Febr.* 1750.

13. Ac tertia pars assignanda est in quota bonorum juxta modum (77): *Ibid. d.* 2. *confir. ibid.*

14. Et ad dubium, an, et pro qua rata expensarum fieri debeat per Commendatorem contributio, ac Ecclesiae reaedificatio? S. C. respondit, dilata, et ad mentem (78): *Ibid. dub.* 3. *et* 4. Inde jussit, ut scribatur Nuntio Apostolico juxta instructionem: *Ibid.*

15. Commendator Ecclesiae S. Johannis cum adjuncto Hospitalis extra urbem Posnaniae existentis tenetur ad manutentionem dicti Hospitalis. *Posnanien.* 19. *Januar.* 1754. *dub.* 2.

16. Et quum Commendator Eques Ignatius Bartholomoeus Sthechi, quae vel in Regum, et Episcoporum donationibus praescripta fuerant, vel a praecedentibus Commendatoribus fuerant constituta, negligere coepit praeposito fructus, et quaedam bona denegavit, Fabricam Ecclesiae, et Hospitalis haud reparavit, Vicarium non retinuit, actum est in S. C.; an sufficienter hucusque ejusdem Hospitalis, et pauperum manutentioni satisfactum fuerit? quae respondit, dilata, et scribatur Nuntio Apostolico juxta instructionem: *Ibid. dub.* 3.

17. Ac idem Commendator tenetur petere possessionem in Choro Ecclesiae Cathedralis a Capitulo Posnaniensi, eique solvere solita emolumenta pro eadem possessione ad formam judicati: *Ibid. dub.* 4. Confir. ad formam hujusmodi possessionum a Commendatoribus antecessoribus captarum: 22. *Novem.* 1765.

18. Necnon Commendatorem eumdem teneri praesentare Episcopo Vicarium, qui ejus nomine Ecclesiae Cathedrali deserviat in divinis, eique opportunum emolumentum subministrare ad formam judicati Nuntii Apostolici Poloniarum, fuit resolutum: *Ibid. d.* 5. quo reproducto, dilata, et coadjuventur probationes audito Vicario Curato, rescripsit: *ibid.*

19. De Commendatore pro tempore Commendae seu Granciae S. Angeli in Palatio terrae Aquavivae Guardiensis Dioecesis, quae Commenda cessa fuit ab Abba-

(77) Modus est, ut assignetur possessio Miechoviensis per decennium: *Ibid.* 22. *Novem.* 1749.

(78) Nempe ut praevia diligenti inquisitione, recognitione librorum, aliorumque documentorum, ac adhibito etiam peritorum judicio, S. C. certiorem reddat de vero valore antiquae Ecclesiae in eo statu, in quo erat ante incendium: *Regist. Lib.* 30. *die* 28. *Febr.* 1750.

te, et Monachis Monasterii S. Angeli sacro Ordini Hierosolymitano cum onere retinendi idoneas personas ad divina officia in Ecclesia celebranda, ac suffragia porrigenda pro animabus illorum, qui Monasterium fundarunt ac dotarunt postulatum fuit; an idem teneatur ex reditibus Commendae manutenere sex Capellanos, qui inserviant Choro, Divinis Officiis, et Parocho Ecclesiae Parochialis S. Mariae Ester Terrae praedictae? S. C. rescripsit, ut servaretur conventio anni 1752. in omnibus: *Guardien. Capellan.* 25. *Januar.* 1755. *d.* 1.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani quoad Exemptionem Ordinarii *Vide Episcopus* §§. *VII. VIII. et XXV.*

§. V.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani quoad Judicem Conservatorem, Ministros, ac Inservientes.

1. Ministri, servientes adscripti, procuratores, et familiares, qui habitant in Civitate extra domum Commendae subjacent jurisdictioni Ordinarii tam in civilibus, quam in criminalibus, et mixtis vigore Concilii *Sess.* 24. *cap.* 11. *de reform.* (79) et Constitutionis Gregorii XIII. Pont. Max. (80): *Faventina Jurisd.* 17. *Sept.* 1667. *d.* 2.

2. Coloni, et alii habitantes in domibus ruralibus ipsius Commendae delinquendo possunt ab Ordinario puniri in iis, quae spectat ad forum Ecclesiasticum vigore dicti Sacri Concilii, et Constitutionis: *Ibid. dub.* 3.

3. Et Conservator, qui sit Presbyter secularis Dioecesanus habitans in domo propria in causis propriis tam civilibus, quam criminalibus, seu mixtis subjacet Ordinario ex dicto Concilio, et Constitutione: *Ibid. dub.* 4.

4. Idem Conservator non valet tribunal erigere, nec assumere proprios ministros, sed uti debet Officialibus Curiae Episcopalis ex Sacr. Concilio Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. *de reform.* (81) et Constit. *Gregorii XV. edita* 20 *Sept.* 1621. (82) excepto Notario: *Ibid. d.* 5.

§. VI.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani quoad Magnum Magistrum, et Magnos Priores.

1. Audito Episcopo, et Procuratoribus S. Joannis Hierosolymitani de utriusque partium consensu S. C. probavit, annuitque, ut Magnus Magister, et Conventus in eorum Ecclesiis dumtaxat possit, absque Episcopi licentia, sub sigillo tamen Prioris publicare Indulgentias tantum sibi, et eorum Hospitali concessas; alias vero Indulgentias, etiam concessas visitantibus Ecclesias Militum non possint, sed ab Episcopo extra Militum Ecclesias publicari debeant: *Melevitana* 24. *Aug.* 1619.

2. Magistro Ordinis, seu Magno Priori Religionis Hierosolymitanae per Alemaniam competit jus visitandi juxta Bullam Rhodianam, Conventum, seu Praeceptoriam SS. Joannis, et Cordulae Coloniae, non autem constat de causis exemptionis: *Colonien.* 17. *April.* 1728. *dub.* 2. *confir. addendo ad mentem* (83): 19. *Junii cjusd. anni.*

(79) *Vide not.* 233. *tom.* 3. *pag.* 273.

(80) *Vide not. praecedentem.*

(81) Quo statuitur, causas criminales, et mixtas ad Locorum Ordinarios, et non ad Conservatores pertinere; civiles vero ab his posse cognosci, cum ii, quorum privilegia tuentur, rei sunt, non actores; prius ampliatum est hoc decretum a Clem. VIII. *Const.* *Sanctissimus* 19. *Martii* 1592., ac postea majori declaratione, et extensione a Gregorio XV. ejusdem Clementis vestigiis inhaerente, ut ex ipsius *Const. Sanctissimus* 20. *Sept.* 1621. patet.

(82) *Vide notam praecedentem.*

(83) *Vide not.* 15. *pag.* 201.

3. Magistro, seu Magno Prioris Ordinis Hierosolymitani jus visitandi Conventum, et Praeceptoriam S. Johannis, quod ei Commendatarius Coloniensis ejusdem Praeceptoriae controvertebatur, additum a S. C. juxta Bullam Rhodianam fuit. Ob id Commissarius Magni Prioris Visitationem explevit. Sed quum eam persequi vellet cum personali accessu ad villas, et agros ad eamdem Commendam spectantes, Commendatarius, et Conventuales sese opposuerunt. S. C. quaesita primum suspendit decisionem, et ad D. Secretarium dixit: *Colonien. Juris. Visit.* 16. *Junii* 1731. Verum reassumpto folio, Villas, et bona campestria ad dictam Praeceptoriam attinentes visitare illum posse in casu tantum praecisae necessitatis: 18. *Aug. ejusd. anni.*

§. VII.

Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani quoad Professionem.

Carolus Glandeves ex Comitibus de Nioselle audiri haud obtinuit adversus negativam resolutionem sub die 5. *Aug.* 1705: editam, qui licet a nativitate mutus, et surdus; iterum gratiam dispensationis efflagitabat, ut ad profitendum in Religione Hierosolymitana admitti valeat; quum S. C. dictam resolutionem confirmasset: *Melevitana Habitus* 27. *Martii* 1706. At postmodum recessit a decisis, et Breve facultativum indulsit: 8. *Maii ejusd. anni.*

Religio Militaris Ordinum S. Jacobi de Spata, Calatravae, et Alcantarae.

1. Ad formam Indulti dismembrandi, ac disponendi de nonnullis bonis Praeceptoriarum Ordinum Militarium S. Jacobi de Spata, Calatravae, et Alcantarae concessi Carolo V. Romanorum Imperatori, ac Regi Hispaniarum a Clem. VIII. Pont. Max. dismembrata fuerunt oppida Status Estepensis. Marchiones dicti Status deputarunt Vicarium ad nutum amovibilem pro exercitio jurisdictionis Ecclesiasticae, sed quum constaret de excessibus Vicarii Laurentii de Anduxar Ferrer, ideo S. C., ad quam Marchio hodiernus recursum habuit, decrevit Vicarium deputatum in districtu Estepensi pro exercitio Ecclesiasticae jurisdictionis non posse literas Dimissoriales concedere subditis dicti Status, ut ad Clericalem tonsuram, et ordines Majores a quocumque Antistite possint promoveri: *Nullius Provinciae Hispalen. Excess.* 11. *Sept.* 1706. *dub.* 1.

2. Item Vicarium praedictum pro suscipiendis rationibus Fabricae, Patronatuum, aliorumque legatorum piorum in Villa Estepensi, in qua facit residentiam non posse quidquam ratione procurationis percipere: *Ibid. d.* 2.

3. Ac salarium, et quidquid excessive percepit, teneri restituere resolvitur: *Ibid. dub.* 3.

4. Atque pro visitatione fabricarum Ecclesiarum, aliorumque locorum dicti Status, praeter victualia, quae subministrabant Curati, non potest Vicarius exigere Salaria in pecunia ex reditibus Fabricae, ac ex societatibus, et tenetur quidquid excessive percepit occasione visitationis anni 1704. restituere. *Ibid. dub.* 4.

5. Et victualia sunt Vicario suppeditanda frugaliter pro medietate juxta antiquam consuetudinem, et nequit idem Vicarius in quolibet oppido praeter exigentiam visitationis permanere, et victualia suscipere: *Ibid. dub.* 5.

6. Insuper ead. S. C. sancivit pro juribus spectantibus ad Vicarium circumscribendam esse taxam factam a a Vicario occasione Visitationis anni 1704., et quoad taxam Visitatoris Apostolici anno 1706. factam dilata, ut examinari possit, dixit: *Ead. Caus.*

20. *Novem. ejusd. anni dub.* 1.

7. Vicarium praedictum non posse quidquam percipere ex eleemosynis Missarum, et persolvere eleemosynam diminutam, et residuum sibi retinere S. C. censuit: *Ibid. dub.* 2.

8. Ac ex Legatis annuis Missarum, patronatibus, Capellaniis cum onere Missarum non posse Vicarium a Capellanis, aliisque personis certam summam pro qualibet Missa percipere, existimatur: *Ibid. dub.* 3.

9. Et pro juribus Parochialibus locorum, et oppidorum Status Estepensis, in quibus cura per Vicarium exercetur, non posse Vicarium Estepensem summas ab ipso praescriptas anno 1704 exigere, S.C. putat: *Ib. d.* 4.

10. Postmodum ead. S. C. resolvit dictum Vicarium haud posse voluntates defunctorum commutare: *Ead. Caus.* 18. *Decem. ejusd. anni dub.* 1.

11. Declaravitque teneri restituere bona, annuos reditus, et pecunias, quas ex patronatibus, aliisque Legatis piis suscepit: *Ibid. dub.* 2.

12. Pariter firmavit teneri reddere pecunias susceptas pro celebratione Missarum, et non celebratas: *Ibid. dub.* 3.

13. Ac arbitrata est, implere onera Capellaniarum, et Legatorum piorum, quae possidet, teneri: *Ib. d.* 10.

14. Et res sunt dubiae; an sufficiat declaratio emissa a Johanne de Carbayal, et Zepada?

15. An Vicarius teneatur persolvere sodalitio Scholae Christi Villae Estepensis annuum Legatum ducat. 40. impositum super domo, quam habitavit, et habitat dictus Vicarius toto tempore, quo illud non persolvit?

16. An Vicarius teneatur restituere bona relicta ab Andrea de Valderama Sodalitio Animarum Purgatorii una cum fructibus elapsis? respondit, ad Judicem visitatorem deputandum, et cum Sanctissimo pro deputatione visitatoris in persona Archiepiscopi Hispalensis: *Ibid. dub.* 4. 5. *et* 6. Deinde quoad dub. 4. recessit a decisis, et ad visitatorem dixit deputatum, qui recognoscat praetensam celebrationem Missarum, et extrahat partitas juxta instructionem (84), et transmittat: 15. *Januar.* 1707.

Religiosa Professio *Vide Professio Religiosa*.

Religiosus Religiosi *Vide Regulares*.

Remissio *Vide Legatum Pium* §. *VI. Missa* §. *XIV. Subsidium Dotale* §. *VIII.*

Remissioriae *Vide Literae S. Congr. Concilii etc.*

Remotio *Vide Administrator* §. *VI. Capellanus* §. *VII. Capellanus Curatus* §. *V. Oeconomus Curatus* §. *IV. Presbyteri* §. *VII. Prior.* §. *I. Sequestrum etc. Vicarius Capitularis* §. *IV. Vicarius Curatus* §. *IV.*

Renovatio Consensus *Vide Matrimonium* §. *III.*

Renunciatio *Vide Bona Ecclesiastica* §. *II. Legatum Pium* §. *I. Moniales* §. *III. Regulares* §. *VII.*

Reparatio *Vide Bona Ecclesiastica* §. *VII. Ecclesia in Genere* §. *I. Ecclesia Cathedralis* §. *I. Ecclesia Collegiata* §. *I. Ecclesia Parochialis* §. *I. Oratorium* §. *IV.*

Repetitio Indebiti.

Ad possessorem Capellaniae fundatae a Sacerdote Johanne Femi cum onere Missarum, adjuvandi Parochum,

(84) Censuerunt quidem injungendum esse, quatenus recognoscat primam celebrationem Missarum factam per praedictum de Carbayal, et an potuerant applicari, quatenus fuerant celebratae in aliud onus Vicarii, quoad Missas manuales receptas, aut alias obligationes, et ulterius extrahat quascumque partitas librorum ad hunc effectum necessarias, easque ad S. C. trasmittat: *Regist. Lit. Lib.* 24. *die* 15. *Januar.* 1707.

ac pueros erudiendi Communitas Castri Fematris suam locationis pascuorum ratam partem *del Castelluccio* in augmentum redituum Capellaniae cessit. At ad dimittendum debitum collectarum Cameralium impositione gravati fuerunt possidentes *del Castelluccio*. Atque Capellanus Buccetti suam partem solvit, animo tamen repetendi, ac inde exoravit S. C. pro restitutione indebiti; eoque defuncto instantiam illius haeredes, ac hodiernus Capellanus prosequuti sunt; et S. C. locum esse indebiti repetitione resolvit: *Spoletana* 27. *Febr.* 1790. *d.* 2.

Reportatio *Vide Beneficia Ecclesiastica* §. *XIII*.

Reprobatio *Vide Consuetudo* §. *IV*.

Rescissio *Vide Donatio* §. *II*. *Transactio* §. *II*.

Rescriptum *Vide Decretum, Rescriptum*.

Res Ecclesiasticae *Vide Bona Ecclesiastica*.

Reservatio *Vide Juspatronatus* §. *II*. *Pensio Ecclesiastica* §. *III*.

Reservationes Apostolicae *Vide Juspatronatus* §. *IV*.

Residentia Vide Abbas §. *IX*. *Archidiaconus* §. *V*. *Archipresbyter* §. *XI*. *Beneficiati* §. *VI*. *Canonici* §. *VIII*. *Capellanus* §. *VIII*. *Clerici* §. *IV*. *Episcopus* §. *XXI*. *Parochus* §. *X*. *Praepositus* §. *VI*. *Presbyteri* §. *VIII*. *VicariusCuratus* §. *V*.

Residentia quoad Indultum *Vide Dispensatio* §. *II*.

Resignatio *Vide Beneficia Ecclesiatica* §. *X*. *Parochus* §. *IX*.

Resolutiones S. Congr. Concilii *Vide Decreta*.

Resolutiones Capitulares *Vide Capitulum Ecclesiasticum* §. *XI*.

Resolutiones Sodalitii *Vide Sodalitium* §. *III*.

Reparatio *Vide Bona Ecclesiastica* §. *VII*. *Ecclesia in Genere* §. *I*. *Ecclesia Cathedralis* §. *I*. *Ecclesia Collegiata* §. *I*. *Ecclesia Parochialis* §. *I*.

Restitutio.

1. Quum S. C. minime sustineri declarasset applicationem peractam ab Epsicopo Gerundae, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Fabricae ipsius Ecclesiae redituum, quorum summa debeat erogari in distributione Vestium in favorem pauperum juxta testatoris voluntatem, praecepit inde faciendam esse redintegrationem seu restitutionem pro summa respic'ente vestiarium pauperum liquidanda, addendo ad mentem (85): *Gerunden*. *Commut*. *Volunt*. 25. *Sept*. 1700. *dub*. 3. *confir*. 3. *Martii* 1703. *dub*. 1.

2. Ac redintegrationem, seu restitutionem faciendam esse ex fructibus haereditatis Archidiaconi Pejoan, qui reliquit Fabricae Ecclesiae Cathedralis, et in subsidium teneri Capitulum infra terminum 20. annorum distributa rata parte pro quolibet anno: *Ibid*. *dub*. 2. Inde praefata dubia confirmat juxta modum (86): 7. *Julii* 1731. *dub*. 3. et iterum confirmat juxta modum (87): 19. *Julii* 1732. Postmodum reclamante Archidiacono Vadella, qui patrocinium pii Operis Vestiarii strenue suscepit,

(85) Mens est, ut scribatur Episcopo, ut imposterum curet adimplementum Legati: *Ead. Caus*. 25. *Sept*. 1700.

(86) Videlicet ,, solutis nunc per Capitulum libris decies mille, investiendis cum cura, et superintendentia Episcopi et ad beneficium vestiarii, necnon dummodo in futurum solvantur ad eodem Capitulo annuae librae mille per annos quindecim, eroganda in perfectionem Frontispitii Ecclesiae Cathedralis simul cum alia pecunia ad depositum spectante; quoad reliquum debitum pro gratia absolutionis, facto de omnibus verbo cum Sanctissimo '' *Ead. Caus*. 22. *Novem*. 1732. §. *Itaque*.

(87) *Vide notam* 448. *tom*. 2. *pag*. 373.

allegante laesionem piae voluntatis, ad egenorum detrimentum. Et S. C. *sub die 6. Decem. ejusd. anni* rescripsit praevio recessu a decisis, solvendas esse a Capitulo intra sex menses libras septemdecim mille investiendas cum cura, et regimine Episcopimet pro Vestiario pauperum. Deinde vèro solvendas esse ab eodem Capitulo singulis annis libras mille, et quingentas in eamdem causam Vestiarii usque ad solutionem totius debiti juxta liquidationem pro ut de jure faciendam. Demum confirmatae fuerunt praefatae resolutiones reducta tamen annua solutione a libris 1500. ad libras 1000. dummodo Capitulum intra terminum sex mensium solvat 17000. libras; liquidationem autem totius debiti faciendam esse intra annum; quorum administrationem redituum Majoricense Capitulum Sancti Felicis pro nunc administret nomine Capituli Gerundae: 7. *Febr.* 1733.

3. Inolevit abusus in Ecclesia Collegiata terrae Martinae, locandi nempe Capitularibus, et Participantibus, qui vigore Decreti Archiepiscopi facultatem habebant tantum ad triennium possessiones ejusdem Capituli retinendi pro annua rata parte duc. 45. pro quolibet, alioquin restituere tenerentur eadem bona ad eorum vitam absque solemnitatibus, ac beneplacito Apostolico. Hinc S. C. consulta nullas illas locationes judicavit, decrevitque Capitulares restituere totum id, quod praeter ratam partem praebendae singulorum perceperunt, teneri: *Tarentina Censur.* 9. *April.* 1701. *dub.* 2.

4. Maria de Aquilera erigi jussit Conventum Ordinis S. Francisci Fratrum Recolletorum Provinciae Granatensis, vel Monasterium Monialium Minimarum in cujus erectionis defectu vocavit Hospitale, et Eremitoria oppidi de Areonilla. Haec voluntas non fuit per quinquennium impleta, hinc Aloysius Diaz de Aquilera frater, et haeres Mariae pro faciliori exequutione auctricis voluntatis ordinavit constructionem Conventus praedicti, quo non peracto per sexennium erigi voluit Monasterium Monialium, S. Clarae, aliter tot Capellaniae, vel alia pia opera erigerentur. Denegatum fuit enim regius, ac Oppidanorum assensus pro constructione Conventus cujuscumque generis, excepto Monialium Monasterio S. Clarae, cujus vix aedificium inceptum est, Vicarius Generalis condemnavit Administratorem ad restitutionem omnium bonorum, ac fructuum in favorem Eremitarum, adversus quam reclamatum fuit, an sit facienda? S. C. respondit affirmative videlicet, haereditatem Mariae, una cum fructibus restituendam esse tertio loco vocatis ad formam testamenti, et Codicilli, haereditatem vero Ludovici applicandam esse Monialibus, et injungendum censuit Episcopo, quatenus cogat Administratores ad reddendam rationem de fructibus tam perceptis, quam percipiendis: *Giennen. Commut. Volunt.* 12. *Januar.* 1704. *dub.* 2.

5. Improbata a S. C. erectione sex Canonicatuum peracta ab Episcopo Ribero in Ecclesia Cathedrali cum applicatione sortis scut. 800. ex fructibus Seminario debitis, jussum fuit dictam sortem Seminario eidem restituendam: *Nicoteren. Erect. Canon.* 10. *Julii* 1706. *dub.* 2.

6. Juspatronatus una cum Decimis Ecclesiae Parochialis de Bergh existebat penes Monasterium Monialium Ordinis Praedicatorum loci Pertendorff modo Harlesbergh. Haeres labe coinquinata tota ditione Neoburgica, Monasterio funditus deleto, Monialibusque pulsis Regentes ditionis juspatronatus pretio floren. 18000. vendiderunt Magistratui urbis Neoforensis. Postea instaurata fide Orthodoxa in Palatina-

tu superiori, Elector Palatinus, et Dux Neoburgicus in solutionem certae pecuniarum summae, quam debere dicebatur, cessit, seu restituit anno 1655. Monasterio Caesarensi Ordinis Cisterciensis Augustanae Dioecesis inter alia Monasterium Monialium de Pertendorff cum omnibus pertinentiis. At questio constituitur de validitate restitutionis, S. C. nihil decidit, ut expectetur melior informatio alias expetita: *Eystetten. Jurispatr. et Decim.* 21. *Aug.* 1706.

7. Occasione funeris Alvari de luna Regii Gubernatoris urbis Cortonae ab intestato migrati, de Capitulo Ecclesiae Cathedralis inter cetera accidit dubitatio, an retineri possit serica culcitra; cum qua transfertur cadaver, seu sit locus restitutioni? et tulit responsum affirmativum ad primam, negativum ad secundam partem, salva tamen consuetudine legitime probanda: *Cortonen. Jur. Funer.* 3. *Sept.* 1707. *dub.* 5. (88).

8. Quum Episcopus exegerit indebite a singulis Sacerdotibus terrae Belvederii carolenos sex, videlicet tres in Festivitatibus Natalitiis, et reliquos tres in solemnitatibus Paschatis Resurrectionis ratione praetensi Cathedratici, S. C. primum declaravit exacta esse reddenda prout de jure; *Sancti Marci Procur.* 7. *Julii* 1708. *dub.* 8. Deinde non esse restituenda censuit: 13. *April.* 1709.

9. Cibaria, equitatus, aliaque donaria percepta a Vicario Capitulari praeter procurationes occasione Visitationis sunt restituenda ad formam Concilii (89), et quibus de jure: *Ostunen. Procur. ac Resid.* 28. *Julii* 1708. *dub.* 7.

10. Jacobus Antonius Gerenzanus competitor praesentato Praeposito Mombellio ad Beneficium simplex Sanctissimae Conceptionis in Ecclesia Parochiali S. Martini loci Sicomarii erectum, a Vicario Generali instituto, et in possessione manenti, sequestrum, et inhibitionem non incidendi arbores, nec quicquam attentandi expedivit. Quasdam tamen cum praefati Vicarii venia populeas arbores incidit Mombellius, inque utiles Beneficii usus convertit. Reclamavit Joseph Camia patronus, hanc incisarum arborum licentiam aegre ferens, et postquam veniam illam minime sustinere a S. C. retulerat, rescriptum etiam habuit, ut Mombellius incisarum arborum pretium restitueret, illudque in bonis stabilibus pro beneficio rependeretur: *Papien. Incis. Arbor.* 15. *Martii* 1710. *dub.* 2.

11. Episcopum, qui bona Monasterii Camaldulensium Scardavillae exemptionis causa detrectantium solvere procurationem post peractam Visitationem Ecclesiae Parochialis S. Johannis Baptistae Monasterio praedicto unitae posita judiciali hasta vendi jus sibi fecit, ad ea reddenda S. C. coegit: *Bricti-norien. Procur.* 27. *Aug.* 1712. *d.* 2.

12. Quum Episcopo deberetur procuratio ab omnibus locis piis oppidi Campaneani, idcirco sancivit S. C. Cancellarium Episcopi praedicti non teneri exactas pro mandatis expeditis pecunias restituere: *Nepesina Procur.* 27. *Maii* 1713. *dub.* 2.

13. Patres Congregationis Somaschae quorum curae commissi sunt Seminarii ab Episcopo Mauritio Petra erecti, et ab Episcopo Sormanno adaucti alumni, tenentur restituere pro toto eo tempore, quo idem Seminarium clausum remansit, proventus pro eorum manutentionem intra mensem faciendam...

(88) *Vide not.* 8. *tom.* 2. *pag.* 7.

(89) *Sess.* 24 *cap.* 3. *de reform.* Ubi legitur „ Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere praesumpserit; is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis juxta Const. Concil. Gen. Lugdunensis, quae incipit, *Exigit*; necnon aliis poenis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe veniae, multetur „.

tentione, et salario assignatos: *Viglevanen. Semin.* 27. *Januar.* 1714. *d.* 11.

14. Clerum S. Marci pro restitutione sortium a debitoribus facienda Episcopi exquirere debere, sed gratis demandatur. *Sancti Marci Plur.* 16. *Januar.* 1723. *dub.* 10.

15. Et Episcopum S. Marci ea, quae indebite perceperit, in recipienda redditione rationis administrationis locorum piorum reddere prout de jure debere deciditur: *Ibid. dub.* 14.

16. Quum declarata fuisset valida sponsalia inita inter Salvatorem Calce, et Beatricem Fortunatam, ac facta fuerit facultas mulieri resilire a dictis sponsalibus locus hic habet dubitationis, an sponsus Salvator restituere teneatur duc. 700. in dotis computum recepta? S. C. ad Judices suos definitionem remisit: *Salernitana Spon.* 13. *Julii* 1723. *dub.* 3.

17. Instantibus haeredibus pro ornatu publico Oratorii S. Josephi volito a Benedicto de Berardis, quem periti obnoxium judicarunt, erecta fuit quaedam Capellania, quae postea a S. C. approbata praevia sanatione fuit. Sed quum iidem haeredes non docuerint de Apostolico beneplacito, Episcopus coegit eos, ut summa scut. 160. deponerent, quam modo restituendam esse S. C. sancivit addendo ad mentem: *Callien. Capell.* 15. *Decem.* 1731. *dub.* 2.

18. In controversia versatur, an cuicumque Ecclesiastico Dioeceseos Larinensis esset restituenda pecunia, quam aliquis metu poenarum sub quibus demandata fuit emptio Codicis Constitutionum Synodalium, soluto pretio Carolenorum quinque, aliorumque Decretorum Synodalium occasione exequutionis solverit? rescriptum fuit ad mentem: *Larinen. Decret. Synod.* 9. *Febr.* 1732. *dub.* 14. Iterum causa producta dixit ad mentem 30. *Aug. ejusd. anni.*

19. Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Agricolae, qui administratores fuerunt pro tempore ab anno 1720. usque ad annum 1727. restituere minime tenentur Capitulari Massae residua frumenti vulgo Ravennat. Bon.: *Avenionen.* 19. *Sept.* 1733. *dub.* 8.

20. Quum constaret de nullitate testamenti Nuncii Baccari Episcopi Bojanensis, licet disposuerit in suae animae suffragium relictis bonis Canonicis, et Mansionariis Ecclesiae Cathedralis, cogendos esse dictos Canonicos et Mansionarios restituere bona omnia haereditaria dicti Episcopi, ut eorum valor in compendium Cathedralis expendatur, statuit S. C. *Bojanen. Spolii* 10. *Martii* 1742. *dub.* 2.

21. Judicavit S. C. validitatem Sponsalium quae inierunt Raynaldus Egidius, et Anna Bettazzi, ac inde ea rescindi censuit, modo voluit, ut locus sit restitutioni scut. 1000., quae fuerunt soluta in computum dotis dicto Raynaldo qui ad amores inhonestos conversus, ita pecuniis hisce abusus est, ut Episcopus coactus fuit a Civitate expellere: *Assisien. Spons.* 14. *Junii* 1749. *dub.* 3.

22. Episcopus Cassani in casu de quo agitur non tenetur restituere ducatos 30. exactos ob praetensam non confectam *Plateam* sive Inventarium de redditibus Ecclesiae a Presbyteris Ecclesiae Receptitiae S. Nicolai terrae Castellucci, sub qua poena Episcopus eosdem Presbyteros adstrinxit: *Cassanen. Visitat.* 14. *Junii* 1749. *dub.* 6. *confir.* 6. *Decem. ejusd. anni.*

23. Sponsalia inita inter Anastasiam Archangeli, et Josephum Ferri valida a S. C. fuerunt judicata. Inde quum mulier amorem Professioni religiosae dum in Monasterio S. Spiritus Engubii degebat, ostendisset, ad aliud monasterium, ut suam voluntatem exploretur, fuit translata; ac decisum posse professionem emittere; modo est quae-

stio, an sit locus restitutioni munerum? S. C. primum protelavit definitionem, et dixit ad mentem (90): *Fanen. seu Senogallien. Spons.* 20. *Decem.* 1749. *d.* 2. Postmodum affirmativum praebuit responsum addendo post emissam professionem, et quoad expensas itineris tantum teneri Josephum Ferri juxta liquidationem faciendam coram D. Secretario: 18. *April.* 1750.

24. Marcus Antonius de Florentiis Archihospitali S. Spiritus in Saxia Urbis donavit 15. Loca Montium cum onere Missarum, et distributione dotium. Suscepit Hospitale cum facultate vendendi loca Montium, et erogare pretium in emptionem rei immobilis; et revera vendita fuerunt, pretiumque cum incremento in scut. 2437. 50. impensum fuit in emptionem domus. Modo dictum Hospitale rescindere praetendit transactionem, ac restituere summam praedictam scut. 2437. 50. At S.C. minime restituendam esse sortem praefatam ab Archihospitale arbitrata est: *Romana Subs. Dot.* 2. *Decem.* 1752. *d.* 2.

25. Quum Episcopus Nebbiensis gravissima suspensionis poena affecisset aliaque pecuniaria multasset Archidiaconum Antonium Gentili Ecclesiae Cathedralis, qui propria jura tuebatur, quique febri, et adversa valetudine detentus praecepto imposito statim ad residentiam redeundi obtemperare non valuit. Idem Episcopus tenetur ad restitutionem expensarum in scut. 100. *Nebbien.* 17. *Novem.* 1753. *d.* 4. Inde eamdem restitutionem remisit ad D. Secretarium juxta mentem: 9. *Febr.* 1754.

26. Capitulum Cathedralis Ecclesiae restituere tenere S. C. definivit Capitulo Collegiatae SS. Petronii, et Prosperi terrae Lugi medias Annatas perceptas a die erectionis utriusque Collegiatae in praedicta unitae. Nam ead. S. C. jam ante decreverat ad eamdem Collegiatam mediam annatam a provisis de Beneficiis utriusque Collegiatae pertinere: *Imolen. Mediae Annatae* 14. *Januar.* 1758. *dub.* 2. Ac causa reproducta dictum fuit, in decisis juxta modum (91). Nam provisi nonnulli de Beneficiis cautiores annis 1752. 1753. deposuerant pecuniam sub expressa contestata denunciatione ut Capitulo Collegiatae solvi deberet: 18. *Febr. ejusd. anni.*

27. Quaedam mulieres, quae induunt habitum Ordinis Carmelitarum accesserunt ad excolendas puellas oppidi Arcis Priorum, et annua scut. 36., ac nonnulla subsidia dotalia a Pontifice reportarunt, ut Conservatorium puellarum erigerent: At subesse Episcopi jurisdictioni abnuentes urbem repetierunt, et quaesierunt, num eisdem restituenda essent asserta bona stabilia, et mobilia, necnon assertae expensae factae in fabrica Conservatorii? responsum est negativum, exceptis vero scut. 50. jam depositis, et mobilibus juxta liquidationem faciendam D. Secretario: *Tusculana* 30. *Januar.* 1768. *dub.* 2. *confir.* 23. *April. ejusd. anni.*

28. Restitutio emolumentorum occasione in carcerem detrusionis Erculis Ferrari Sodalis Societatis Sanctissimi Sacramenti oppidi Bondeni perceptorum denegatur a S. C. Nam indebite percepta haud fuisse putatur. *Ferrarien. Confrat.* 14. *Sept.* 1782. *d.* 8.

29. Quum jam antea S. C. statuisset haud licere Vicario Generali aliquid muneris, sive stipendii etiam modicum accipere pro subscriptione, et sigillo, sive alia qualibet de causa, et titulo in exequutione Literarum A-

(90) *Vide not.* 231. *Pag.* 162.

(91) Nempe a die 17. Sept. 1752. juxta votum Ordinarii: *Ead. Caus.* 18. *Febr.* 1758.

postolicarum dispensationis Matrimonialis; modo quoad restitutionem, an sit locus dum viget consuetudo aliquid accipiendi? quaesita respondit, ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam, et condonatione: *Dubia super Exequut. Dispens. Matrim.* 20. *Januar.* 1787. *dub.* 2.

30. Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Ubaldi recenter erectae in oppido Barchii facto verbo cum Sanctissimo permittitur restitutio praediorum per quosdam cives in favorem massae Capitularis eo pacto venditorum, quod solvi nempe deberet illorum aestimatio intra decennium ex pretio lignorum sylvae ad ipsam Ecclesiam spectantis aestimatae scut. 6000. sed venditae scut. 300.; et insuper absolvuntur Capitulares ab obligatione assumpta in erectione ejusdem Collegiatae solvendi de proprio, quod ex eodem pretio deesset, facta illis venia redintegrandi de hoc fundo Capitularem massam juxta votum Episcopi (92): *Fanen.* 24. *Novem.* 1792.

31. Quum Sacerdotes Franciscus Vasoli, qui duas ordinatim Parochias rexit, et avarus non fuit in eleemosynis distribuendis ex superextante reditu utriusque Parochiae, Missarum, eleemosynis, ludi magistri stipendio, fructibusque patrimonialibus societates inierit bovum, aliorumque animalium, necnon cambia activa, et lucrum scut. 1000. reportasset; S. C. praecepit ei restitutionem scut. 360. erogandis in Christi pauperes utriusque Paroeciae administratae: *Apuana* 20. *Febr.* 1796, *dub.* 2.

Reliqua *Vide Cadaver* §. *II. Decimae etc. Emolumenta* §. *II. Fructus* §. *III. Seminarium* §. *VIII. Subsidium Dotales* §. *XII.*

Restitutio in Integrum *Vide Beneficium Restitutionis in Integrum* §. *I.*

Restitutio in Integrum quoad Professionem Religiosam *Vide Beneficium Restitutionis in Integrum* §. *II.*

Restitutio seu Redintegratio *Vide Redintegratio*.

Retentio *Vide Beneficia Ecclesiastica* §. *I. Fons Baptismalis etc. Legatum Pium* §. *X. Sacramentum Eucharistiae* §. *II. Sacramentum Olei Sancti*.

Retentio Beneficii quoad Indultum *Vide Dispensatio* §. *IV.*

Revalidatio *Vide Sanatio*.

Reversio *Vide Subsidium Dotale* §. *XII.*

Revocatio *Vide Attentata, Donatio* §. *II.*

Rituale Romanum. (93)

Censuit S. C. servandum esse Ri-

(92) Qui testatur „ Nunquam futurum fuisse, ut ipsi ad ejusmodi obligationem contrahendam adducerentur, si vel minima iis suspicio de hisce aestimatorum erroribus incidisset; quorum causa totius suae familiaris rei jacturam facere deberent „ *Ead. Caus.* 15. *Sept.* 1792. §. 3.

(93) In hoc libro scribuntur ritus, et Caeremoniae, quas Clerici ad curam Animarum deputati in administratione Sacramentorum, ac reliquis suis Ministeriis, et functionibus observare tenentur. Eum in finem sine dubio Pontifex *Rituale* istud in lucem publicam edi voluit, ut esset uniformitas rituum, ac Caeremoniarum in Ecclesia Universa. Synodus Tridentina illud de novo revideri mandavit, illiusque curam commisit tribus viris doctis Ægidio Toscano, Leonardo Marino, et Francisco Verrerio. Publicatur Rituale Romanum praevia diligenti examini, ac emendatione, ac inviolate servari mandatur a Paullo V *Const. Apostolicae Sedi* 20. *Julii* 1714. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 4. *pag.* 151.) Qui §. 4. omnes Praelatos hortatur „ Ut in posterum tanquam Ecclesiae Romanae Filii, ejusdem Ecclesiae omnium Matris, et Magistrae auctoritate constituto Rituali in Sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae Catholicae Ecclesiae, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent " Hunc Librum Joseph Catalanus eruditis Commentariis illustravit. De variis ejusdem editionis Vide Franc. Ant. Zaccaria *Biblioth. Ri-*

tuale (94) quum exhibitum fuerit dubium, an in explendis funereis praeter recitationem primi nocturni Officii Defunctorum teneantur recitare Laudes etiam, et quid pro his explendis debeatur Presbyteris, quasque poenas, et quomodo canere debeant in comitatu cadaverum? addendo nihil exigi debere pro cantu: *Nullius seu Montis Casini* 26. *Januar.* 1726. *d.* 12. *et* 13.

Ritus (95).

1. Dioecesis Melitae tres continet Parochias Graecorum in Civitate sitas, quae usque adhuc Calendario Gregoriano non usae sunt, nec utuntur, et S. C. illud servandum esse decidit: *Mileten. Febr.* 1590. *dub.* 1.

2. Inde censuit facultatem habere Ordinarium in Graecos juxta Constit. Pii IV. (96), ideo ab ipsis prohibere eos, qui jam Graecum ritum relinquerunt, ne amplius ad illum revertantur, nevo in locum decedentium alii subrogentur. Porro in Matrimoniis contrahendis cogendi sunt ad observandas solemnitates a Concilio Tridentino (97) praescriptas: *Ibid. dub.* 2.

3. Mulier Latina nequit sequi ritum Mariti graeci: *Montis Regalis Ritus* 11. *Julii* 1671. *dub.* 1.

4. Graeci ordinati ritu Latino, vel semel eumdem ritum amplexi, nequeunt pro libito ad ritum graecum redire: *Ibid. dub.* 2.

5. Et in hac dubitatione, an jam regressi possint, et quibus mediis compelli ad servandum ritum Latinum? placuit S. C. respondere affirmative, et juris remediis posse adigi etiam cum censuris: *Ibid. dub.* 3.

6. Nec praeteusa inobservantia eis suffragatur: *Ibid. dub.* 4.

7. Sacerdos Belvederius Arcundizza Albanensis Italo-graecus oppido S. Georgei ortus, omnibus Ordinibus graeco ritu fuit inauguratus, et Archipresbyteralis ejusdem oppidi Ecclesiae, ubi graecus servatur ritus, servitio adscriptus. Neapolim primo, deinde Romam appulsus, Missam utrobique Latino ritu celebravit. Ideo exorabat etiam, ut sibi e ritu graeco ad perfectiorem Latinum transire facultas indulgeretur. Verum S. C. remisit ad Card. Urbis Vicarium definitionem juxta mentem: *Rossanen. Trans. ad Ritum Lat.* 11. *Januar.* 1738.

Reliqua *Vide Missa* §. *XIII. Sacramentum Ordinis* §. *VIII.*

Rocchettum.

Nemini ex Parochis, et Rectoribus tam Ecclesiae S. Mariae de Nazareth, quam aliarum Ecclesiarum oppidi Sigestri in functionibus Ecclesiasticis fas esse deferre Rochettum cum parva *Mantelletta*, seu *Cappino*, decisum fuit: *Brugnaten. Pleban. et Praemin.* 20. *Novem.* 1745. *dub.* 6.

Rota Romana *Vide Tribunal.* §. *II.*

Sacellanus *Vide Æditaus, Canonicus* §. *VIII.*

Sacellum, *Vide Capella, Oratorium*

Sacellum parvum seu *Tabernaculum Vide Sacramentum Eucharistiae* §. *II.*

Sacerdos, Sacerdotes *Vide Presbyteri.*

Sacramentum Baptisimi *Vide Baptismi Sacramentum.*

tual. Tom, 1. *Lib.* 1. *cap. V. Artic.* 3. *pag.* 146. *edit. Rom.* 1776.

(94) *Vide not.* 180. *pag.* 127.

(95) Bened. XIV. *Const. Etsi Pastoralis* 26 *Maii* 1742. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag.* 75.) edidit de Dogmatibus, et Ritibus ab Italo-Graecis tenendis, atque servandis.

(96) Quae incipit *Romanus Pontifex* 16. *Febr.* 1564. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 169.) Qua Graeci subjiciuntur jurisdictioni Ordinariorum, circa ea, quae Dei cultum, Sacramentorum administrationem, animarumque salutem, et haeresum extirpationem attingunt.

(97) *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim. Vide tom.* 4. *verb. matrimonium not.* 31.

Sacramentum Confirmationis quoad Collationem.

1. Discusso dubio, an Abbates Congregationis S. Bernardi, et S. Benedicti ex eorum privilegiis possint conferre Sacramentum Confirmationis, et an ab illis confirmati indigeant alia Confirmatione? respondetur hujusmodi Abbates non posse conferre Sacramentum Confirmationis, et ab illis confirmatos indigere nova Confirmatione: ac incurrisse poenas a Sacris Canonibus inflictas, et ita referendum Sanctissimo, qui die 3. Julii, facta relatione Sanctitas sua approbavit dictum decretum, et observari mandavit. Agebatur enim de privilegio concesso PP. Cisterciensibus ab Innocentio VIII. Pont. Max. et sic ante Concilium Tridentinum, ac proinde non suffragari visum fuit: *Colimbrien.* 26. *Junii* 1655. *dub.* 2. (1).

2. Archiepiscopus Terraconensis exposuit in sua Dioecesi reperiri insulam Zuisa in Mari Mediterraneo prope Algerium, nec eam umquam propter periculum Piratarum fuisse a se, aut a suis Praedecessoribus visitatam, nec Incolis a quadraginta et ultra annis fuisse administratum Sacramentum Confirmationis, supplicavitque pro facultate indulgenda Praeposito illius insulae administrandi incolis dictum Sacramentum, et S. C. negativum praebuit responsum: *Tarraconen. Administr. S. Chris.* 25. *Januar.* 1659.

3. Archiepiscopus, et Episcopi Ecclesiarum in Insulis Philippinis exposuerunt, se ob suarum Dioecesum amplitudinem, et populorum frequentiam, quorum non exigua pars degebat in vastissimis agris, non posse suis subditis Sacramentum Confirmationis administrare; humilesque idcirco preces exhibuerunt pro potestate delegandi Sacerdotibus, sive secularibus sive Regularibus ministerium administrandi Sacramentum Confirmationis, et S. C. respondit, ex deductis non constare de causis indulgendi: *Indiarum Occidentalium* 28. *Januar.* 1668.

4. Quum Episcopus Canariae rogasset facultatem administrandi hoc Sacramentum impertiri tribus Provincialibus Ordinum Regularium, S. Dominici, S. Francisci, et S. Augustini, neo non ejus Vicario Generali responsum fuit. *Ad S. C. S. Officii* (2): *Canarien.* 30. *Maii* 1676. *dub.* 2.

5. Ciles pars est Americae Meridionalis juxta Mare Pacificum versus occasum. Hujus primaria Civitas est illa S. Jacobi, et subest Regis Catholici dominio. In hac Provincia Patres Societatis Jesu Apostolicorum Missionariorum munere laudabiliter fungentes supplicarunt pro facultate administrandi Sacramentum Confirmationis Christianis ibi commorantibus, qui ut plurimum sine dicto Sacramento moriuntur, et ab Episcopis plurimum distant. Sed S. C. scribi mandavit Episcopis juxta

(1) Sed Bened. XIV. *Const. Suprema* 26. *April* 1749. (*Bull. ejusd. tom.* 3. *pag.* 24.) concessit Abbati Monasterii Campidunensis Ordinis S. Benedicti, ejusque successoribus in perpetuum facultas ministrandi Sacramentum Confirmationis Christifidelibus suae jurisdictioni spirituali subjectis.

(2) Bened. XIV. audito voto de Congregationis S. Officii super dubio ad eamdem delato „ An Custos, et Guardianus S. Sepulcri D. N. J. Christi, ex speciali hujus Sanctae Sedis delegatione, et vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios Superiores Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum exhibitorum, necessarias facultates habeant conferendi Sacramentum Confirmationis? " indulsit praedicto P. Guardiano, ut absentibus Episcopis Latini Ritus, valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum Oleo, et Chrismate a Catholico Antistite benedictis, vigore *Const. Cum ad infrascriptam* 9. *Januar.* 1740. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag* 12.) reliqua *Vide not.* 707. *tom.* 2. *pag.* 506.

instructionem: *Americana* 13. *Junii* 1722

6. Episcopus urbis, quae nomen habet a Conceptione in Cilensi Regno petiit Pontificium indultum per quod sibi liceret committere P. Rectori Collegii Societatis Jesu existentis in Civitate de Costro, ut adhibito oleo per Episcopum consecrato Sacramentum Confirmationis ministrare posset Catholicis degentibus in tota Provincia de Chiole, et in propinqua Arce Valdivivae. Verum S. C. decisionem suspendit, et Nuntio Apostolico juxta instructionem scribendum putavit. *Americana Visit. SS. LL.* 24. *Januar.* 1733. Hoc vera esse, quae Episcopus exposuerat, edocente, ad Card. Praefectum juxta mentem remissa resolutio fuit: 3. *April.* 1734

7. Administratio Sacramenti Confirmationis in locis Rodii, et S. Maurii spectantibus ad Religionem Hierosolymitanam privative spectat ad Episcopum Caputaquensem: *Caputaquen.* 2. *Aug.* 1760. *dub.* 5. *confir.* 17. *Januar.* 1761.

8. In Ecclesia S. Johannis Commendae Villingensis Ordinis Hierosolymitani intra circuitum muris septum sita, quae non est Parochialis, sacrum Chrisma retineri non possit: *Constantien. Jur. Paroch., et Exempt.* 18. *Decem.* 1762. *dub.* 3.

9. In relatione suae Ecclesiae status Segobiae Episcopus exposuit, quod consuetudinis in tam amplis Hispaniae Dioecesibus vigentis virtute solet Sacramentum Confirmationis tam adultis, quam pueris nulla aetatis habita ratione conferri. Ratio consuetudinis hujus eam fortasse fuisse dicebat, quod adulti per montes, et agros dispersi vix possint convocari, et Sacramentali Confessione disponi. Postulabat hinc, an inspectio peculiaribus circumstantiis Sacramentum idem administrari queat etiam pueris, et infantibus nulla habita aetatis ratione? S. C. resolvit affirmative non nisi ex gravibus, et urgentibus causis, super quibus conscientia Episcopi oneretur: *Segovien.* 13. *April.* 1774. *dub.* 1.

10. Eadem occasione S. eadem C. definivit Sacramentum Chrismatis administrari etiam posse pueris et infantibus in mortis periculo constitutis: *Ibid. dub.* 2.

§. I.

Sacramentum Eucharistiae quoad Administrationem (3).

1. Declaravit S. C. non posse seculares in ipso die Paschatis de manu Regularium S. Communionem accipere; et si in alia die persolverit Ecclesiae praeceptum hac de re editum: *Turritana* 8. *Junii* 1619. *dub.* 1.

2. Post maturam discussionem S. C. censuit Archipiscopum Burdegalensem non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ut in die Paschatis secularibus personis non administrent Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, etiamsi alia die dictae Personae seculares praeceptum Ecclesiasticum expleverint, hac de re editum: *Burdegalen.* 9. *Julii* 1644.

3. Capellanus Capellae S. Mariae, quam vocant *del Forno* extra oppidum Castellani positae, si Ordinarius in eadem servandum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum putet, nonnisi in casibus necessitatis evenientibus clausis januis oppidi Sacramenta dispenset. *Cajetana* 24. *Maii* 1659.

4. Non reliquit S. C. incertum ac dubium: an Regulares Sacramentum

(3) *Const. Certiores* 13. *Novem.* 1742. (*Bull. ejusd. tom.* 1. *pag.* 95.) Bened. XIV. declarat Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare.

Eucharistiae ministrare possent a Dominica Palmarum usque ad totam Dominicam in Albis, respondens affirmative excepto die Paschatis; ita tamen ut in aliis diebus seculares sumentes Eucharistiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum, et Paschatis non impleant praeceptum: *Melchinien. Ministr. Sanctissimi Euch. Sacram.* 31. *Januar.* 1682.

5. S. C. dubium, an Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Oratorio, seu Ecclesia S. Mariae Angelorum loci de Panzano valeat ministrari? perspicuum reddit affirmativa responsione in Ecclesia tantum inter celebrandum, non tamen in satisfactione praecepti de Communione Paschali: *Nullius seu Nonantulana Jur. Paroch.* 13. *Januar.* 1685. *dub.* 6.

6. Confessarius Conservatorii SS. Philippi, et Jacobi in Regione Nidi Consulum Artis sericae num valeat omnia Sacramenta Monialibus administrare privative quoad Parochum? S. C. respondit exhiberi Breve. Nam Deputati Breve Sixti V. Pont. Max. hujusmodi facultatem complectens in medium proferebant: *Neapolitana Conser.* 28. *Julii* 1708. *dub.* 2.

7. Nicolaus Gargiulus Parochus Majoris Ecclesiae terrae S. Nicolai juste non potuerat denegare SS. Eucharistiae Sacramentum clerico Silvestro Forillo; licet ille hunc monuisset, ut perseverantem in prava consuetudine a Sacra Synaxi arceret: *Trivicana* 13. *Julii* 1715. *dub.* 1.

8. Comes Eustachius Pallio, defuncta uxore ab Oppido Rinco se contulit in Conventu Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Civitatis Astae Pompejae, in eoque solutis menstruis alimentis vitam habitu seculari ducebat. Paullo post laethali morbo correpto Priori Parochialis Ecclesiae S. Paulli, intra cujus limites Conventus situs est, irrequisito, Patres ei administrarunt Sanctissimam Eucharistiam, ob id S. C. quaesita licite Patres non potuisse hoc peragere Parocho inconsulto decretum est: *Asten. Jur. Par.* 27. *Novem.* 1717. *dub.* 1. *Confir.* 12. *Febr.* 1718.

9. Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Mariae oppidi Novarum, cui fuit adjudicata super caeteras Paroecias quaedam species superioritatis habitans in Domo sita intra fines alterius Parochiae, cum dicta Ecclesia Collegiata careat aedibus Canonicalibus, in ultima infirmitate Sacramenta ab Ecclesia Collegiata, non a Parocho domicilii tenetur recipere: *Derthonen. Jur. Par.* 3. *Decem.* 1718. *dub.* 15. Idem mandat S. C. ut examinentur testes formaliter, et iterum servetur sententia anni 1679. 7. *Decem.* 1720. *dub.* 1. Iterum proposita causa S. C. petit ut exhibeatur Breve Gregorii XV. Pont. Max: 14. *April.* 1725. *dub.* 3. Denuo dilata respondit, et communicentur jura. 4. *Aug. ejusd. anni dub.* 2. Iterum distulit Resolutionem S. C. et voluit ut subdelegetur Judex in partibus pro recognitione scripturarum, et iterum servetur solitum: 15. *Decem. ejusd. anni d.* 2.

10. Exteri uxorem ducentes de familiis Ecclesiarum Rectoralium, ac Parochialium oppidi Campobassi eligere possunt Ecclesiam Rectoralem, seu Parochialem familiae Uxoris pro futura administratione Sacramentorum in exclusionem Ecclesiae Collegiatae Archipresbyteralis ejusdem loci, de cujus super ceteras constat majoritate: *Bojanen. Jur. Par. et Praeemin.* 24. *Mail* 1732. *dub.* 8.

11. Item Advenae famulatum praestantes Oppidanis de Familiis Ecclesiarum Rectoralium censeri debent de eisdem Familiis, itaut subjaceant pro administratione Sacramentorum in exclusionem Ecclesiae Rectoralis familiae, cui inserviunt privative quoad Archi-

presbyterum: *Ibid. dub.* 9.

12. Quum Patres Augustiniani Civitatis Suessae die Dominica Resurrectionis Christi Eucharistiae Sacramentum ministraverint Clerico Antonio de Paulo, qui post Sacramentalem Confessionem in eorum Ecclesia juxta morem devotionis causa Sacra Synaxi refici voluit, Episcopus licitum iis haudesse autumans Sacram Communionem die Paschatis secularibus personis ministrare, eisdem Ecclesiae interdictum comminatus est. Ad S. C. Patres confugerunt, et haec resolvit, iis minime licuisse in die Paschatis devotionis causa Sacramentum Eucharistiae praefato Clerico Antonio ministrare: *Suessana Jur. Paroch.* 14. *Januar.* 1736. *dub.* 1.

13. Canonicis, sive Praesbyteris, sive Clericis adscriptis servitio Ecclesiae Cathedralis, et habitantibus in ambitu Ecclesiae S. Nicolai coadjutricis Parochialis in casu infirmitatis non sunt ministranda Sacramenta a Vicario Cathedralis, sed a Vicario dictae Ecclesiae S. Nicolai: *Andrien.* 24. *Januar.* 1767. *dub.* 1. *confir.* 19. *Sept. ejusd. anni.*

14. Necnon Praesbyteris, seu Clericis adscriptis servitio dictae Ecclesiae S. Nicolai, et habitantibus in ambitu Ecclesiae Cathedralis in casu infirmitatis Sacramenta non sint administranda a Vicario S. Nicolai, sed a Vicario Cathedralis: *Ibid. dub.* 7. *confir. Ibid.*

15. Infirmis, aliisque in Xenodochio S. Mariae de Crucibus degentibus olim Sacramenta ministrabat S. Appolloniae Rector, sub cujus Parochia Xenodochium existit. Archiepiscopus Boncompagnius electionem demandavit Capellani, qui in ipso degeret Xenodochio, ut praesto esse possit Sacramentorum ministrationi; ob id gravibus inter Capellanum et Parochum exortis jurgiis, fuit tandem resolutum licere Capellanis Hospitalis Sacramentum SS. Viatici quibuscumque sive ratione domicilii, sive ratione servitii degentibus in praedicto Hospitali administrare: *Ravennaten.* 27. *Junii* 1789. *dub.* 1.

Reliqua *Vide Moniales* §. *IV. Parochus* §. *I. Praeceptum Paschale*.

§. II.

Sacramentum Eucharistiae quoad Conservationem seu Facultatem illud retinendi.

1. Censuit S. C. hunc esse verum, et proprium sensum Decreti Concilii Trid. *Sess.* 25. *cap.* 10. *de Regul.* (4) eo addito, ut quod praecipitur in publica Ecclesia conservandum esse, intelligatur de ea Ecclesia, in qua id secundum Canones fieri debet: *Toletana anno circiter* 1575. *dub.* 1.

2. Inde S. C. declaravit mentem, et verba Concilii dicti *cap.* 10. obstare, quominus intra chorum, vel septa Monasterii locetur Sacramentum: *Ibid. dub.* 2.

3. Tertii inter utrosque medii, ut Monialium devotioni indulgeant propter Sacramentum in Altari Ecclesiae situm ita alibi intra Chorum locant, ut parieti, qui Chorum ab Ecclesia disjungit, adhaereat, et a Sacerdote renovetur per parvam fenestram in ipsum templum prospicientem, quae ceteris temporibus observata in eum tantum usum brevi momento pateat; S. C. putavit, nec hoc ex decretis Concilii licere, et hanc formam ex dictis decretis non posse induci, nec retineri, ideo omnino prohibendam, ac tollendam esse: *Ibid. dub.* 3.

(4) Ubi legitur,, Quod vero Sanctissimum Christi Corpus intra chorum, vel septa Monasterii, et non in publica Ecclesia conservetur, prohibet Sancta Synodus, non obstante quocunque Indulto, aut privilegio. "

4. Verba Concilii Decreti *cap.* 10. *Sess.* 25. *de Regul.* (5) quidam duo esse disjunctim praecepta ita intelligunt, ut tum in Ecclesia esse jubetur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, tum servari omnino utetur intra septa Monasterii, tametsi alias intra Ecclesiam suo loco sit reposita. Et apud S. C. nulla fuit dubitatio in judicandò, hunc esse verum, propriumque sensum dicti *Cap.* 10. eo addito, ut quod praecipitur in publica Ecclesia conservandum esse, intelligatur de ea Ecclesia, in qua id secundum Canones fieri debet: *Toletana* 1579. *d.* 1.

5. Censuit praeterea, et mentem, et verba Concilii dicti *cap.* 10. obstare, quominus intra Chorum, vel septa Monasterii locetur: *Ibid. dub.* 2.

6. Nec licere sancivit, ex decretis Concilii Trid., ut intra Chorum Sacramentum locetur, ut parieti, qui Chorum ab Ecclesia disjungit, adhaereat, et a Sacerdote renovetur per parvam fenestram in ipsum templum prospicientem, quae ceteris temporibus observata in eum tantum usum brevi momento pateat: *Ibid. dub.* 4.

7. Praedictaque forma ex decretis Concilii Tridentini non potest induci, nec retineri. Ideo omnino prohibenda, ac tollenda est: Quum multa Hispaniae Monasteria hanc formam servent: *Ibid. dub.* 5.

8. Datae fuerunt literae Archiepiscopo Summum Pontificem benigne indulsisse precibus Monialium Visitationis ejusdem Civitatis, ut possent in interiori parte Ecclesiae in choro intra claustra habere Sanctissimi Sacramenti custodiam, dum tamen exterius pateat aditus Ministro, nulloque alio exterioris Ecclesiae Sacramentum asservetur: *Olissiponen. Junii* 1585.

9. Arbitrata est S. C. concedendam esse conservationem Sanctissimae Eucaristiae Sacramenti in Ecclesia existente in Castro nuncupato *di Gavone*, facta tamen declaratione quod dicta Ecclesia sit dependens ab Ecclesia Parochiali, intra cujus fines idem Castrum existit, et subjecta remaneat libere visitationi, et aliis actibus jurisdictionalibus ipsius Episcopi: *Savonen.* 2. *Aug.* 1642.

10. Secundum ea, quae proponuntur, benigne indulsit S. C., ut in Ecclesia Societatis Disciplinae terrae Soriani pro arbitrio Episcopi asservari possit Sacramentum Eucharistiae: *Ortana* 2. *Maii* 1648.

11. Perspecta instantia Card. Archiepiscopi Januae benigne concessit S. C., ut in Ecclesia invocata *Nostra Signora del Refugio* pro arbitrio et beneplacito ejusdem Card. Archiepiscopi retineri possit Sacramentum Eucharistiae absque tamen ullo praejudicio jurium Rectoris Ecclesiae Parochialis, intra cujus limites dicta Ecclesia existit: *Januen.* 15. *Maii* 1655.

12. Dubium, controversumque est, an in casu de quo agitur debeat Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum extra oppidum Castellani in Ecclesia S. Mariae ut vocant *del Forno* asservari cum deputatione Capellani? ad Ordinarium res remittitur, qui pro suo arbitrio, et conscientia id statuat, quod Divino Cultui, et animarum saluti magis expedire censuerit, ita tamen, ut si precibus Oratorum annuendum putet, id salvis juribus omnibus Ecclesiae Parochialis fiat; et Capellanus praefatae Capellae, nonnisi in casibus, necessitatis evenientibus clausulis Januis oppidi Sacramenta dispenset: *Cajetana* 24. *Maii* 1659.

13. In Ecclesia pii Conservatorii perpetuum asservatur Sanctissimum Sa-

(5) *Vide not.* 4. *praecedentem.*

cramentum Eucharistiae, et aliquando publice exponitur, et quum in Sacra Visitatione perquisivisset Episcopus, qua facultate id agerent, responsum fuit concessione septem ab hinc annis per suum Praedecessorem oretenus facta. Quaeritur, an haec concessio si rata habenda, quum obstet declaratio Sacr. Rituum Congregationis, (6) quod nequeat elargiri nisi a Sede Apostolica. S. C. inhaerendo declarationibus alias editis censuit licentiam asservandi Augustissimum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia non Parochiali ex Apostolica Sede esse petendam: *Acheruntina, et Matheran. Visit. SS. LL.* 3. *Martii* 1668. *d.* 6.

14. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia seu Oratorio S. Mariae Angelorum loci de Panzano non est retinendum: *Nullius seu Nonantulana Jur. Paroch.* 13. *Januar.* 1685. *dub.* 5.

15. Est quaestio, an Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in tabernaculo repositum sine peculiari Sedis Apostolicae indulto valeat retineri in Ecclesia seu Oratorio S. Mariae Lacrymarum? S. C. solvit ita dandum esse Decretum *diei* 3. *Julii* 1677. *d.* 4. in Mantuana Jur. Paroch., *Nullius seu Nonantulanae Jur. Paroch.* 13. *Januar.* 1685. *dub.* 5. (7) *Brictinoriem Jurium Parochialium* 21. *Junii* 1687. *dub.* 5.

16. Controversia constituitur, an Societates Sanctissimi Suffragii, et S. Laurentii Pontremuli retinere possint in earum Oratorio sine peculiari Sedis Apostolicae indulto Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum? responsum est negative: *Lunen. Sarzanen. Jur. Paroch.* 19. *Aug.* 1690. *dub.* 2. *confir.* 13. *Januar.* 1691.

17. Quaesito examinato, an Societas S. Mariae Coronatae, seu Suffragium Bononiae aggregata Archiconfraternitati Suffragii de urbe sine speciali Sedis Apostolicae indulto possit in sua Ecclesia retinere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? dandum decretum in Lunen. Sarzanen. 19. Aug. 1690., et 13. Januar. 1691. dub. 2. (8) censuit: ***Bononien. Jur. Paroch.* 17. *Novem.* 1691. *dub.* 1.**

18. Dum minime sustineri S. C. declaravit translationem Ecclesiarum Parochialium S. Luciae, et S. Mariae de Portu ad aliam Ecclesiam, ad quaesitum, an in eisdem Ecclesiis Parochialibus sit asservandum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? respondit ad mentem (9): *Amerina Transit. Paroch.* 17. *Aug.* 1697. *dub.* 2.

19. Quum Societas laicalis S. Nicolai de Tolentino consuevisset ab aliquo tempore retinere sacellum cum Sanctissimo Sacramento, reclamavit Parochus S. Andreae, et S. C. haud esse permittendum in Ecclesia Sodalitii retentionem Sacelli, et Sanctissimi Sacramenti Eucharistiae: *Ferrarien. Jur. Paroch.* 22. *Martii* 1698. *dub.* 5.

20. Quum Sodalitium S. Antonii Abbatis terrae Ferulae ob divini cultus propagationem preces porrexisset S. C. pro obtinenda facultate quotidie servandi in propria Ecclesia Eucharistiae Sacramentum ad fidelium adorationem, praesertim quum sit Ecclesia decenter constructa, ac a populo frequentata. S. C. tamen conservationem SS. Eu-

(6) Quod firmat Monacell. *Form. Legal. Pract. Form. Eccles. tit.* 4. *form.* 20. *addit.* et Ventriglia *Prax. part.* 2. *annot.* 21. *num.* 16.

(7) *Vide praesent.* §. *num.* 14.

(8) *Vide praesent.* §. *num.* 16.

(9) „ Quae fuit, Episcopus proponeret media necessaria, et interim servaretur solitum, quod erat, ut reciperetur Sacramentum pro Infirmis a Cathedrali, vel aliis Ecclesiis retinentibus " Card. Petra *Comment. ad Const.* 1. *Urbani IV. Sect. Unic. num.* 27. *tom.* 3. *pag.* 166. *rel. in Lib.* 4. *Decret fol.* 377.

charistiae Sacramenti non esse concedendam affirmavit: *Syracusana Asser. Euch.* 20. *Martii* 1700.

21. Perurgente Parocho S. Januarii ad Ulmum in S. C. pro declaratione neutiquam in Ecclesia Conservatorii SS. Philippi, et Jacobi in Regione Nidi Consulum Artis Sericae asservari posse Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum parte citata, et non comparente resolutum fuit: non posse, et dentur decreta, quae signate sunt *in Salernitana* 19. *Aug.* 1702. (10) Deputati Conservatorii non acquiescentes confirmatur *citra approbationem Conservatorii* resolutio addendo, et supplicet Sanctissimo (11) *Neapolitana Conserv.* 28. *Julii* 1708. *d.* 1. Deinde censuit illis petentibus esse indulgendum pro continua conservatione SS. Sacramenti Eucharistiae in Ecclesia dicti Conservatorii: *Ibid.* 27. *April.* 1709.

22. Dubio prolato; an oblatae Conservatorii Sanctissimae Conceptionis Capitis Pentae terrae S. Severini possint in earum Ecclesia asservare Sanctissimum Sacramentum sine licentia S.C. et consensu Parochi? S. C. respondit *Citra approbationem Conservatorii* (12) non posse sine licentia S. C.: *Salernitana Jur. Paroch.* 19. *Aug.* 1702. *d.* 2.

23. At S. C. compositis controversiis inter Parochum Ecclesiae S. Mariae Capitis Casalis Pentae terrae S. Severini et puellas oblatas Conservatorii Sanctissimae Conceptionis super exercitio nonnullorum jurium parochialium. Citra tamen retentionis in earum Ecclesia Augustissimum Sacramentum Eucharistiae, et S. Oleum Infirmorum absque licentia S. C., quam modo postulant exhibente Parochi consensu, et prodiit rescriptum Ordinario committi posse, ut veris salvisque juribus parochialibus petitam facultatem asservandi in earum Ecclesia Augustissimum Eucharistiae Sacramentum pro suo arbitrio, et conscientia Oratricibus gratis impertiatur: *Salernitana Asserv. Sanctissimae Euch.* 16. *Feb.* 1704.

24. Ita S. C. facultatem Societati S. Mariae Lauretanae erectae in Ecclesia S. Antonii Abbatis urbis Ferrariae retentio solius Sacelli absque Sacramenti Sanctissimae Eucharistiae non est permittenda: *Ferrarien. Jur. Paroch.* 16. *Maii* 1705. *dub.* 5.

25. Postquam S. C. rescripserat, ut per modum provisionis asservaretur venerabile in Ecclesiis filialis S. Mariae de Meridie, et S. Stephani, uti Episcopus mandaverat; tamen considerata vicinitate Cathedralis perpensis deinde dubiis an Decreta facta ab Ordinario super conservatione Sanctissimae Eucharistiae in dictis Ecclesiis sustineantur?

26. An Parochi, seu Capellani Curati teneatur in eorum Ecclesiis servare Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? et quatenus affirmative.

27. Ad quem pro hujusmodi effectu spectet onus subministrandi expensas? rescripsit S. C. praevio recessu a dicto decreto provisionali Sanctissimum asservetur in Ecclesia Cathedrali, donec aliter a S. C. provideatur: *Catacen. Paroch.* 2. *Octob.* 1706. *dub.* 1. 2. *et.* 3.

28. Binae comperiuntur in oppido Atrani principaliores Ecclesiae Parochialis una, et Collegiata S. Mariae Magdalenae, altera simplex sub titulo SS. Salvatoris, sed in utraque asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum; fons vero Baptismalis et Sacra Olea dumtaxat in secunda retinentur; et si Praeposito Collegiatae incumbat totius Oppidi Animarum cura. Hac de causa instante eodem Praeposito S. C. defi-

(10) *Vide praesent.* § *n.* 22.

(11) *Vide not.* 546. *tom.* 2. *pag.* 422.

(12) *Vide not.* 546. *tom.* 2. *pag.* 422.

nivit SS. Sacramentum Eucharistiae, aliaque praedicta retineri debere et asservari in Ecclesia Collegiata non in alia Ecclesia SS. Salvatoris: *Amalphitana Asserv. Sacram.* 29. *April.* 1713.

29. Societas Orationis, et Mortis loci Praedarii aggregata Archiconfraternitati Mortis urbis potest in Oratorio retinere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum: *Novarien. Aggreg.* 24. *Sept.* 1718. *dub.* 2. confir. et additum arbitrio tamen Card. Episcopi inspectis facti circumstantiis: 13. *Januar.* 1720.

30. Societati Sanctae Mariae de Suffragio erectae in Ecclesia S. Ambrosii, cui data fuit facultas construendi novam Ecclesiam prope Ecclesiam Cathedralem conceditur modo potestas retinendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum de licentia Episcopi: *Privernen. Ædificat. Eccles., et Jur. Par.* 24. *Sept.* 1735. *dub.* 3.

31. Duos continet Vicos Parochia S. Mariae in Coelum Assumptae, Vicum Collis Campi Rasci, vicumque Scandolarii, et licet secundus majorem incolarum numerum habeat, et solum in ejusdem Ecclesia S. Sebastiani Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ex antiqua consuetudine pro Fidelium commoditate retinebatur, tamen S. C. censuit illud servandum in Ecclesia Parochiali praedicta in Colle Campi Rasci sita: *Fulginaten.* 19. *Aug.* 1752. *dub.* 3. *confir.* 12. *Maii* 1753.

32. Decuriones urbis Barchinonis Hospitalis, S. Marthae pauperum peregrinorum administratores deprecantur, ut in illius Ecclesia noviter, et eleganter extructa perpetuo Eucharistiae Sacramentum servaretur, praesertim quum jam ab Episcopo illud certis diebus publicae adorationi exponendi, quibus Sodales Sanctissimi Crucifixi quaedam pietatis opera ex eorum instituto exercent; necnon facilius infirmis Peregrinis succurritur. S. C. preces remisit arbitrio Episcopi pro tempore salvis juribus parochialibus, et concordia anni 1734. *Barchinonen.* 7. *Febr.* 1756.

33. In Ecclesia S. Johannis Commendae Villingensis Ordinis Hierosolymitani intra circuitum muris septum posita licet non Parochialis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et pro omnibus spiritualibus indigentiis domesticorum, et Familiarium intra haec septa degentium retineri potest, et additum fuit, ad mentem: *Constantien. Jur. Par. et Exempt.* 18. *Decemb.* 1762. *dub.* 3.

34. Indultum retinendi Sanctissimum Sacramentum in Oratorio denegatum fuit Sodalitio Sanctissimi Sacramenti in Altari Majori Ecclesiae Parochialis loci Montis Urani erecto. Nam Castrum cum suburbio, in quo situm est Oratorium, unum Corpus et unum locum constituit. Oratorium parum distat a Parochiali Ecclesia apprime obeundis functionibus accomodata. Oratorium est formae indecorae absque mansiunculo adnexa pro Sacerdote qui custodiae Sacramenti praesit. Fuit quandoque asservatum sed ex necessitate: *Firmana* 28. *Januar.* 1769. *dub.* 4.

35. Fama miraculorum a Divis Felice et Adaucto gestorum plurimae a populo confluenti extructae sunt humiles domus in viciniis eorum ruralis Ecclesiae, quae intra limites unicae Parochialis Castri Massiniani sita est, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ab immemorabili ibi tempore asservabatur, ut habitatoribus hyemali praesertim tempore quointermedium flumen tumescit imbribus, praesto esset spirituale subsidium a Capellanis praestandum. Archiepiscopus Ecclesiam visitans mandavit, ut Rector Ecclesiae Indultum a Sede Apostolica, quod deerat, obtineret, ibi retinendi Sanctissimum Sacramentum. Hoc neglexit Ro-

ctor, sed obtinuit tamen Communitas Castri, ejusque Parochus. At Rector loco habendi indultum gratias subreptionis vitio laborare dixit. Verum vitium hoc abstersit S. C.: *Firmana* 8. *Aug.* 1772. *dub.* 1.

36. Inde decernit eumdem Rectorem ac Capellanos ad retinendum in ea Ecclesia Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum cogi posse: *Ibid. d.* 2.

37. Societati Tertii Ordinis S. Antonii Patavini licet de venia Episcopi in qualibet feria III. per totum mane illius diei asservare in sacello Sanctissimam Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christi Fidelibus; et si Parochus contradicat: *Faventina Funct.* 17. *Julii* 1773. *dub.* 6.

38. Quum a sacrilegi furis manibus in oppido Alhamae ereptae fuissent, ablata Pyxide, complures Sanctissimae particulae, Archiepiscopus Granatensis Perea easdem in parva argentea Pyxide sigillis obsignata clausas transferre mandavit in chorum interiorem intra clausuram Monialium Ordinis S. Francisci Excalceatarum Monasterii Angeli Custodis. Per quinquaginta annos fuerunt illaesae, incorruptaeque repertae Sacratissimae Particulae, et nocte diuque cereis, lampadibusque accensis veneratae. Verum quum Archiepiscopus de Tauro tolerare amplius noluisset, ut intra clausuram asservarentur, deprehendissetque aliquid immutationis vestigium, decrevit, ut Pyxis illa in Ciborium Altaris Majoris clausis januis a quodam Capellano hora opportuna, et absque extraordinaria pompa tranferretur servata sibi facultate easdem Particulas commodiori tempore visitandi, et desuper providendi. Graviter Decretum hoc tulere Moniales, et petierunt a S. C. hac super re provideri. Verum S. eadam C. resolvit providendum esse juxta Decretum Archiepiscopi, et ad mentem: *Granaten.* 6. *Maii* 1775.

Reliqua *Vide Capellanus Curatus* §. *I.*

§. III.

Sacramentum Eucharistiae quoad Expositionem (13), *et Delationem.*

1. Dixit S. C. Sanctissimo D. Nostro annuisse, ut ipso triduo Lupercalium arbitrio Episcopi concedatur Sacerdotibus Oratorii S. Philippi Nerii in aedula ejusdem Oratorii Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum populo adorandum exponere, sicuti anno praeterito factum fuisse asseritur: *Bellunen.* 27. *April.* 1630. *dub.* 10.

2. Aperuit dubium S. C., an Archiepiscopus possit prohibere Regularibus ne Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in eorum Ecclesiis exponant etiam 40. horarum? dandam esse declarationem antiquam *in Neapolitana* 17. *Aug.* 1630. (14) *Senonen.* 28. *Febr.* 1654. *dub.* 7.

3. Vicarius Ecclesiae, seu Oratorii S. Mariae Angelorum loci de Panzano

(13) Diserte de hac re agit Bened. XIV. Pont. *Max. Inst. Eccl. XXX. Tom. XI. pag.* 196.

(14) Hisce verbis concepta „ S. C. censuit, non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo Sanctissimum Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, et sic relatum ita, ut ipsa Sacra Hostia videri non possit " Hoc Decretum refert Bened. XIV. *Inst. Eccl. XXX. num.* 11. *Tom. XI. pag.* 199, et *num.* 12. addit „ Quamvis hoc Decretum pro peculiari causa judicanda promulgatum sit, tamen pro generali norma deinceps a S. C. receptum fuit, itaut quoties hujus generis causae propositae sunt, idem statuendum responderit, quod in Causa *Neapolitana* antea sancitum fuit. Ita contigit die 28. Febr. 1654. ac die 14. April. anno 1674. Idem a S. Congr., et Episc. negotiis praeposita constitutum fuit anno 1602. "

Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum instar supplicationis deferre nequit nisi de licentia Ordinarii: *Nullius seu Nonantulana Jur. Par.* 13. *Januar.* 1685. *dub.* 7.

4. Capellanis Ecclesiae, seu Oratorii S. Mariae Lachrymarum non licet publice adorandum exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum nisi de licentia Ordinarii: *Brictinorien. Jur. Par.* 21. *Junii* 1687. *dub.* 4.

5. Societates Sanctissimi Suffragii, et S. Laurentii Pontremoli in eorum Oratorio, nisi adsit facultas Episcopi, nequeunt in aliquo anni tempore publice Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adorandum exponere: *Lunen. Sarzanen. Jur. Par.* 19. *Aug.* 1690. *dub.* 2. *confir.* 13. *Januar.* 1691.

6. Res dubia est, an Societas S. Mariae Coronatae seu suffragium Bononiae aggregata Archiconfraternitati de Urbe Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in aliquo anni tempore publice adorandum exponere absque interventu, seu licentia Parochi? dari Decretum in Lunen. Sarzanen. 19. Aug. 1690. et 13. Januar. 1691. (15) responditur: *Bononien. Jur. Par.* 17. *Novem.* 1691. *dub.* 1.

7. Quum Societas Laicalis S. Nicolai de Tolentino consuevisset ab aliquo tempore Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi exponi, licet Benedictio Populi a Parocho S. Andreae fuerit expleta, idem Parochus reclamavit, et S. C. decidit licere dictam Societatem exponere in ejus Ecclesia Sanctissimum Sacramentum cum sola licentia Episcopi absque consensu Parochi: *Ferrarien. Jur. Par.* 22. *Martii* 1698. *dub.* 1.

8. In Ecclesia Conservatorii Sanctissimae Conceptionis sub instituto S. Clarae Casalis Pentae terrae S. Severini non posse ejusdem Capellanum nisi de consensu Episcopi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere S. C. placitum fuit praemissa clausula *citra approbationem Conservatorii* (16): *Salernitana Jur. Paroch.* 19. *Aug.* 1702. *dub.* 3.

9. Societati S. Mariae Lauretanae erectae in Ecclesia S. Antonii Abbatis Civitatis Ferrariae Sanctissimum Sacramentum exponere cum sola Episcopi licentia absque venia et consensu Parochi S. Gregorii licet: *Ferrarien. Jur. Paroch.* 16. *Maii* 1705. *dub.* 1.

10. Nec hujusmodi expositiones, et benedictiones a Parocho, vel ab aliis Sacerdotibus de ejus licentia expleri debent: *Ibid. dub.* 2.

11. Et dubium, an dicta expositio in praedicta Societatis Ecclesia illis diebus, in quibus fit expositio in Ecclesia Parochiali S. Gregorii fieri possit? arbitrio Ordinarii remittitur: *Ibid. dub.* 4.

12. Societati Sanctissimae Annuntiatae existenti in Capella, seu Ecclesia S. Jo. Baptistae extra moenia Foggiae posita, quae Ecclesia Religionis Hierosolymitanae jurisdictioni se esse subjectam praetendebat, praevia Episcopi licentia publice infra annum in eadem Ecclesia exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ultimis tribus diebus bacchanalium, diebus Jovis, Quadragesimae, omnium defunctorum Anniversarii integrum est: *Trojana Jurisd.* 24. *Aug.* 1709. *dub.* 8.

13. Quum in Calabria ex terraemotu oppidum Feroleti dirutum fuisset, plerique incolae novam Coloniam dictam *Culturae* erexerunt cum Ecclesia S. Thomae, alii remanserunt in dicto oppido cum Ecclesia Matrici. Episcopus postea S. Thomae Ecclesiam in Parochialem erexit sine Matricis praejudicio, quibus positis quaestiunculae

(15) *Vide num.* 5. *praesenti* §.

(16) *Vide not.* 546. *tom.* 2. *pag.* 422.

multae natae sunt, et S. C. sine ulla dubitatione declaravit, in eadem Ecclesia S. Thomae loci Culturae exponi valere publice Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum per totam Octavam Corporis Domini, ac die festo excepto in die festo de mane: *Neocasten. Concionat.* 13. *Januar.* 1714. *dub.* 3.

14. Sancivit S. C. haud licere Patribus S. Dominici Ordinis Praedicatorum absque licentia Episcopi facere expositionem Sanctissimi Sacramenti in Altare Sanctissimi Rosarii, ubi adest Societas ejusdem tituli: *Ripana Confrat.* 30. *Martii* 1715. *dub.* 7.

15. Societas Orationis, et mortis Loci Praedarii aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis cum licentia Episcopi, et sine consensu Parochi in Oratorio expositionem infra annum, et praecise quadraginta horarum in Octava Defunctorum peragere potest: *Novarien. Aggreg.* 24. *Sept.* 1718. *dub.* 3.

16. In posterum tolerandum non est, ut in Ecclesia Cathedrali feria quinta Majoris hebdomadae fiat Expositio Sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, et detur benedictio solemnis populo feria sequenti sexta post Missae celebrationem. Ita S. C. sancivit ad Episcopi postulatum: *Verulana Visitat. SS. LL.* 21. *Januar.* 1719. *dub.* 4.

17. Melevitanus Episcopus decrevit, ut in Parochiali Ecclesia S. Paulli Apostoli Civitatis Vallettae expositio Sanctissimi Sacramenti non in Altari pertinente ad Confraternitatem S. Michaelis Archangeli, sed in Altari Majori fieri deberet. Reclamarunt adversus decretum hoc sodales exponentes nullam oriri irreverentiam, quum ingressus pateat duobus januis; altera in medio, altera a latere sinistro; et dicentes, ut Vincentius Stagius nonnulla bona donaverit Altari Societatis cum obligatione exponendi Sanctissimum Sacramentum qualibet prima Dominica mensis in eodem, et cum pacto resolutivo casu quo non adimpleretur conditio. Propositis hinc Episcopi, et rationibus Sodalium S. C. statuit, Expositionem faciendam in Altari Sodalitii; et demandavit, ut Episcopus provideret ne sequeretur inconvenientia: *Melevitana Exposit. Sanctiss. Sacram* 4. *Febr.* 1719.

18. In Ecclesia Abbatiali S. Laurentii in Dogliolo, quando exponitur Sanctissimum Sacramentum singulis tertiis Dominicis cujuslibet Mensis, ac per totam Octavam festivitatis Sanctissimi Corporis Christi S. C. Decretum edidit *die* 30. *Maii* 1699. ac confirmavit. 4. *Febr.* 1702., quo mandavit non licere Parochis, ac Vicariis Abbatiae exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum inconsulto Episcopo. *Nullius, seu S. Severini Jurisd.* 4. *Febr.* 1719. *dub.* 5. Inde recessit a decisis quoad totam Octavam Festivitatis Sanctissimi Corporis Christi: 17. *Junii ejusd. anni. dub.* 2.

19. Societas Sanctissimi Rosarii in Collegiata Ecclesia S. Stephani recepta de licentia et consensu Parochi exponere infra annum in Capella Rosarii publicae venerationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum nequit, sed Ordinarii facultas requiritur: *Regien.* 5. *Aug.* 1719. *dub.* 4.

20. Patres Conventuales Montis Ærei Eucharistiae Sacramentum exponere possunt, et populo benedicere accedente consensu Ordinarii: *Volaterrana* 16. *Martii* 1726. *dub.* 11.

21. Societas S. Leonardi in Ecclesia B. M. de Planctu, quae intra limites Parochialis Ecclesiae S. Salvatoris Urbis Fulginii sita est, reduxit propriam Ecclesiam in ampliorem formam, et indultum retinendi in ea Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum obtinuit, et cum eo supplicationem singulis annis post expositionem 40. horarum peragit,

ideo quaestio facta est, an delatio nempe Venerabilis facienda sit a Capellano Societatis, vel a Parocho? et a Capellano faciendam esse de facultate Episcopi fuit decisum: *Fulginaten.* 18. *Maii* 1726.

22. Sodalitium S. Mariae Misericordiae, et S. Rocchi urbis Alexandriae aggregata Archiconfraternitati S. Rocchi Urbis cum venia Episcopi exponere in suo Oratorio Sanctissimam Eucharistiam absque facultate, et Parochi interventu potest: *Alexandrina* 21. *Febr.* 1728. *dub.* 2.

23. Societati Sanctae Mariae de Suffragio in Ecclesia S. Ambrosii erectae, cui data fuit potestas construendi novam Ecclesiam prope Ecclesiam Cathedralem, conceditur in eadem Ecclesia exponendi facultas Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum de licentia Episcopi: *Privernen. Ædificat. Eccl., et Jur. Par.* 24. *Sept.* 1735. *dub.* 3.

24. In Ecclesia, seu Oratorio Societatis Suffragii Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi cum sola licentia Ordinarii sine interventu Parochi loci Rapagnani, intra cujus parochiae limites situm Oratorio est, exponi valet: *Firmana Jur. Par.* 2. *Junii* 1736. *dub.* 2.

25. Episcopum Miletensem, intra cujus Dioeceseos fines duo reperiuntur oppida Melicucca scilicet, et Drusium Religioni Hierosolymitanae in temporibus subjecta, non autem dictae Religionis Commendatarios manutenendos esse in jure concedendi facultatem pro Expositione Sanctissimi Sacramenti tam in Ecclesiis Parochialibus quam in aliis dictarum Commendatarum, resolutum fuit: *Mileten. Jurisd.* 3. *Aug.* 1743. *dub.* 6. *Confir.* 23. *Novem. ejusd. anni.*

26. Monialibus Monasteriorum SS. Mariae, et Aureliani, et Sanctae Mariae Theodotae Sanctissimum Corporis Christi Sacramentum in eorum Ecclesiis Abbati Ordinis S. Benedicti subjectis sine Episcopi licentia solemniter exponere non licere decernitur: *Papien.* 16. *Martii* 1743. *dub.* 10.

27. Sodalitium B. M. V. Dolorum urbis Maratheae postulavit in Oratorio, seu ejus Ecclesia de sola licentia Episcopi, et per tempora ab ipso praefinita licere publicae venerationi exponere Sanctissimum Sacramentum, illudque tamdiu in parvo sacello retinere, annuit S. C. et ut Episcopus prudenter concordaret. Nam Parochus, intra cujus Paroeciae limites Oratorium existit, refragatur: *Cassanen.* 12. *Aug.* 1747. *d.* 4.

28. Capitulum Ecclesiae S. Eustachi Urbis decrevit, imperavitque Vicario Curato, et duobus Capellanis Choralibus, ut hi in orbem interessent statis horis adorationi Augustissimi Sacramenti, cujus Expositio juxta legem donationis ab Aloysio Greppio factae sodalitio Sanctissimi Sacramenti facienda est feria IV. cujuslibet Hebdomadae, et Vicarius Curatus post Expositionem populo benediceret. S. C. quaesita hanc resolutionem Capitularem servandam esse statuit: *Romana* 14. *Sept.* 1748. *dub.* 2.

29. Formam Decreti X. Card. Episcopi anni 1781. debent servare Canonici, Archipresbyter, et Mansionarii Curati Ecclesiae Collegiatae S. Petri montis Martiani in casu delationis Sanctissimi Viatici ad infirmos, et illius reditus in Ecclesiam tempore Divini Officii in Choro: *Senogallien.* 13. *Junii* 1789. *dub.* 17.

30. Sub Parochiali S. Stephani in Castro S. Angeli duo sunt Ecclesiae una S. Spiritus, altera S. Sebastiani, in quibus duo erectae sunt Laicorum Societates, quarum una est misericordiae, seu mortis aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis. Disputatio proinde copiosa, cum Parocho consti-

tuta est de Ecclesiasticis functionibus, et S. C. consulta declaravit Parocho S. Stephani competere jus privativum exponendi Sanctissimum Sacramentum in propria Ecclesia, itaut iisdem diebus exponi non posse in aliis Ecclesiis juxta votum Episcopi, qui ita censebat. Consuetudo enim, quam unum Sodalitium in sui favorem ostendit, precarium habebat titulum: *Spoletana Funct. Eccles.* 12. *Martii* 1796. *dub.* 1.

31. Nec non Sodalitium Misericordiae, seu Mortis Castri S. Angeli aggregatam Archiconfraternitati Mortis Urbis non posse sine facultate Episcopi exponere in propria Ecclesia Sanctissimam Eucharistiam infra annum, et praecipue in forma 40. horarum decidit S. C. *Ibid. dub.* 2.

Sacramentum Matrimonii *Vide Matrimonium*

Sacramentum Olei Sancti quoad facultatem, administrandi et retinendi illud oleum.

1. Secundum ea, quae proponuntur benigne S. C. indulsit, ut in Ecclesia Societatis Disciplinae terrae Soriani pro arbitrio Episcopi adservari possit oleum Sanctum: *Ortana* 2. *Maii* 1648.

2. Ad dubium, an Archiepiscopus demandare teneatur, quod Oleum Sanctum ab Ecclesia Cathedrali gratis Ecclesiae Parochiali tradatur? respondit S. C. affirmative: 18. Julii 1669. confirmat': *Amalphitana* 6. *Febr.* 1700. *dub.* 12.

3. Oblatae Puellae Conservatorii Sanctissimae Conceptionis sub instituto S. Clarae Casalis Pentae terrae S. Severini asservare Sacrum Oleum Infirmorum nequeunt in eorum Ecclesia absque licentia S. C. quae decreto praemisit clausulam: *Citra approbationem Conservatorii* (17) *Salernitana Jur. Paroch.* 19. *Aug.* 1702. *dub.* 2.

4. Instante Parocho S. Januarii ad Ulmum in S. C. pro declaratione nentiquam in Ecclesia Conservatorii SS. Philippi, et Jacobi in Regione Nidi Consulum Artis Sericae Sacrum Oleum Infirmorum asservari posse, resolutum fuit, non posse, et dentur decreta, et signate in Salernitana 19. Aug. 1702. (18). Deputatis autem Conservatorii non acquiescentibus confirmatur resolutio *citra approbationem Conservatorii* (19), addendo, et supplicent Sanctissimo: *Neapolitana Conser.* 28. *Julii* 1708. *dub.* 1.

5. Binae comperiuntur in oppido Atrani principaliores Ecclesiae Parochialis una, et Collegiata S. Mariae Magdalenae, altera simplex sub titulo Sanctissimi Salvatoris, sed in utraque custoditur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, fons vero Baptismalis, et Sacra Olea dumtaxat in secunda retinentur, etsi Praeposito dictae Collegiatae incumbat totius Oppidi Animarum cura. Quocirca instante eodem Praeposito S. C. decrevit oleum Sanctum aliaque debere retineri, ac conservari in Ecclesia Collegiata non in alia Ecclesia Sanctissimi Salvatoris: *Amalphitana Asservat. Sacram.* 29. *April.* 1713.

6. Comes Eustachius Pallio, defuncta uxore, ab Oppido Rinco se contulit in Conventu Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Civitatis Astae Pompejae, in eoque solutis menstruis alimentis vitam habitu seculari ducebat. Sed morbo lethali correpto, Parocho inconsulto, Patres Oleum Sanctum post Eucharistiae Sacramentum ei administrarunt. Re in S. C. relata licite dictos Patres hoc peragere non

(17) *Vide not.* 546. *tom.* 2. *pag.* 422.
(18) *Vide praes.* §. *num.* 3.
(19) *Vide not.* 546. *tom.* 2. *pag.* 422.

potuisse Parocho inconsulto firmatum est: *Asten. Jur. Par.* 27. *Novem.* 1717. *dub.* 1. *Confir.* 12. *Febr.* 1718.

7. Retentio Olei Sancti illiusque ministratio in tota Civitate Vercellarum, ejusque suburbiis non spectat dumtaxat ad Archipresbyterum Ecclesiae Cathedralis Sancti Eusebii, et ad Vicarium Perpetuum S. Mariae Majoris, sed tenentur alii Parochi etiam Urbani illud in suis Ecclesiis Parochialibus retinere, atque intra cujuslibet Parochiae limites administrare: *Vercellen. Jur. Par.* 18. *Novem* 1747. *dub.* 1.

8. In Ecclesia S. Johannis Commendae Villingensis Ordinis Hierosolymitani intra circuitum muris septum sita etsi non Parochialis Oleum Sanctum pro omnibus spiritualibus indigentiis domesticorum, et familiarum intra haec septa degentium retineri valet: *Constantien. Jur. Paroch. et Exempt.* 18. *Decem.* 1762. *dub.* 3.

9. Infirmis, aliisque in Xenodochio S. Mariae de Crucibus degentibus olim Sacramenta ministrabat S. Appolloniae Rector, in cujus Parochia existit. Archiepiscopus Boncompanius electionem demandavit Capellani, qui in ipso degere Xenodochio; ut praesto esse possit Sacramentorum ministrationi. Idcirco gravia inter Capellanum et Parochum impendunt jurgia, et S. C. composuit definiens licere Capellanis Hospitalis Sacramentum Extremae Unctionis quibuscumque sive ratione domicilii Hospitali administrare: *Ravennaten.* 27. *Junii.* 1789. *dub.* 1.

Reliqua *Vide Parochus* §. *I.*

Sacramentum Ordinis quo ad Coarctatos *Vide Beneficiati* §. *VII. Canonicus* §. *IX. Dignitates Ecclesiasticae* §. *VI.*

§. I.

Sacramentum Ordinis quoad Intentionem.

1. Exponitur Episcopum urbis Carchiensis in Indiis Occidentalibus sacras ordinationes habiturum edicto cavisse, ne quis trahens originem ab Indiis, seu ut vocant a Mulatis intra quartum gradum auderet accedere ad Sacros Ordines suscipiendos, quia intentio illius est non conferre Ordinis Sacramentum: At multi originem ab Indis, seu Mulatis ut vocant, trahentes ordines susceperunt, ac Missas celebrarunt, confessionesque audierunt. Ambigua ob id fuit validitas ordinationis, et S. C. sancivit non fuisse illos valide ordinatos: *Charchien. Ordinat.* 13. *Febr.* 1683. *dub.* 1.

2. Ac actus ab illis vigore susceptorum Ordinum exercitos fuisse invalidos decidit: *Ibid. dub.* 2.

3. Ac ad dubium quonam remedio hisce malis consuli debeat? ad mentem (20) rescribitur: *Ibid. dub.* 3.

4. Quum Josepho Rodriquez ex op-

(20) „ Et mens est, supplicandum esse Sanctissimo quatenus jubeat omnibus Indiarum Episcopis, ne deinceps praesumant in Ordinatione conditionalem intentionem habere, eosque animadvertat, Indos, et Nigros, omnesque ab eis per paternam, vel maternam lineam descendentes, nullo jure ab Ordinum, aliorumque Sacramentorum receptione arcendos esse, dummodo caetera per Sacros Canones requisita habeant, et observent " Bened. XIV. *De Sacros. Sacrif. Miss. Lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 6. *tom.* 9. *pag.* 311, *Lib. Decret.* 33. *fol.* 29. Idem Pontifex Benedictus XIV. *De Syn. lib.* 8. *c.* 11. *n.* 2, quid faciendum postulat, si contingat aliquem Canonico impedimento ligatum, Ordines suscepisse ad Episcopo, qui denuntiasset publicae Archidiaconum, vel per alium non habere se intentionem talem ordinandi? „ fuse, inquit, de hac quaestione a nobis actum est in nostro tractatu de Sacrificio Missae, ubi ex Sacrae Congregationis sententia diximus, interrogandum Episcopum, si sit superstes, a quo Ordines sunt collati; et si asserat, suam intentionem vero alligasse praemissae protestationi, Ordinatio-

pido Campi praevia contestata denunciatione emissa coram Notario non habendi intentionem suscipiendi Ordinem in solemni Ordinatione subdiaconatus Ordo fuerit collatus, quin tetigisset librum Epistolarum, neque Calicem cum Patena vacua, inde cantavit jubente Patre Epistolam. At dubitatum fuit de ejusdem validitate, et an stante exercitio ejusdem possit dispensari? S. C. dilata, et Ordinarius terminet processum contra Oratorem, et conficiat contra Secretarium, et alios Complices rescripsit: *Toletana Ordinat.* 16. *Novem.* 1709. *dub* 1. *et* 2.

5. Quum Nicolaus Ligius ex Augustiniana Familia subjerit examen pro Clericali tonsura, et in ea fuit initiatus, deinde in Generali ordinatione quum Minister evocasset singulos, qui ad Ostiaratum erant promovendi, Nicolaus inter eos se appellari non audiens, errasse Ministrum credidit, et accessit cum aliis ad Episcopum, et Ostiaratus ordinem suscepit. At Episcopus postea interrogatus respondit eo se fuisse animo, ut non nisi primam Tonsuram illi conferret. At S. C. tollit omnem dubitationem, validitatem Ordinis tuendo: *Perusina Ordinat.* 19. *Julii* 1732. *dub.* 1.

6. Hac de causa Ordinationem reiterandam non esse sub conditione firmavit: *Ibid. dub.* 2.

7. Frater Bonaventura a Ruffano Clericus Ordinis Cappuccinorum Provinciae Hydruntinae recepit primam tonsuram ab Episcopo Uxentino, qui renunciavit altera die nonnisi duos priores tantum Ordines Minores velle illi conferre non quatuor, ut ille exoptaret. At idem Episcopus statuerat plures Ordinandos promovere, Frater Bonaventura susceptis primis duobus Ordinibus audiens se, ut ipse refert, vocatum cum aliis promovendis ad recipiendos geminos alios minores ordines securus accessit, et aeque ac ceteri fuit ordinatus. De hoc Episcopus graviter eum increpavit obtestans, quod sicuti mens sibi fuerat, nonnisi duos priores Ordines ei conferendi, ita caveret, ne se opinaretur ad alios valide assumptum. Idcirco examinata fuit res in S. C., an sint reiterandi? rescripsit praevia poenitentia salutari imponenda per Superiores Ordinis, reiterandos esse sub conditione: *Ugentina Ord.* 3. *Aug.* 1743.

§. II.

Sacramentum Ordinis quoad Literas Dimissoriales, seu Domicilium, et Subjectionem Ordinarii.

1. Clericos seculares Abbatiae Ferentilli ordines accipere, et literas dimissoriales impetrare debere ab Episcopo, intra cujus fines Dioecesis ordinandi existant, aliterque promotos a susceptorum ordinum exequutione suspensos esse juxta *cap.* 8. *Sess.* 23. (21), et sic suspensos ministrantes irregularitatem incurrere statutum est: *Spoletana anno* 1583.

2. Morte quieta functo Pont. Max. Gregorio XIII., atque in ejus Summum Pontificatum evecto Sixto V. eamdem quaestionem ad examen provocare oportuit instante universo Ordine Praedicatorum; et audito dicti Ordinis Patre Generali, rebusque omnibus mature perpensis ex consilio S. C. prodiit Decretum: Sanctissimus D. N. Sixtus V. respondit Regulares posse concedere dimissorias ad Episcopum Dioecesanum,

nem diximus absolute reiterandam: si vero dubia et incerta remaneat Episcopi intentio, eo quod non satis constat, qua mente eam protestationem emiserit, et an illi revera suam applicaverit intentionem, Ordinatio erit sub conditione repetenda."

(21) *Vide not.* 4. *tom.* 1. *pag.* 2.

eoque absente, vel etiam praesente, et ordinationem non faciente ad quemcumque, dummodo ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam: *Hispaniarum Janar.* 1586.

3. Super instantia Johannis Casotti supplicantis cum literis dimissorialibus Abbatis Guastallensis ordinarii posse ab Episcopo Mantuano rescriptum fuit, ad eumdem viciniorem Episcopum pro suscipiendis Ordinibus: *Guastallen. Martii* 1589.

4. Ad preces Johannis Paralupi exorantis pro facultate, aut accipiendi dimissorias, aut suscipiendi Ordines ab Episcopo vicinori, qui erat Episcopus Regiensis, censuit posse Oratorem pro suscipiendis Ordinibus adire viciniorem Episcopum: *Guastallen. Januar.* 1590.

5. In quaestione versatur, an Episcopus Ordinans alienos subditos seculares, cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis eos examinatos fuisse, et idoneos repertos teneatur hujusmodi testimonio deferre, vel etiam possit eosdem Ordinandos examinare? responsum fuit posse Episcopum ordinantem, si voluerit, testimonio proprii Episcopi deferre, sed non teneri: *Nullius* 16. *Januar.* 1593.

6. Sic decrevit S. C.=Superiores Regulares posse suis subditis etiam Regularibus, qui praediti qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere ad Episcopum tamen Dioecesanum, et si is abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dummodo tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit examinentur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. Verum cum a superioribus Regularibus Episcopo Dioecesano absente, vel ordinationes non habente; literae dimissoriae ad alium Episcopum dabuntur in eis utique hujusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse: *Hispalen.* 11. *Januar.* 1596. *dub.* 4. Confir. a Sum. Pont. Clem. VIII. 15. *Martii ejusd. anni*.

7. Dimissoriae ad Ordines secularibus concedere nulli plane Inferiori etiam Episcopalem jurisdictionem habenti, ac nullius etiam Dioecesis existenti fas est: *Pacen.* 12. *April.* 1601.

8. Habetur consultum S. C., superiores Regulares posse pro suo subdito itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit literas dimissorias concedere ad Episcopum tamen Dioecesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit, et si Dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, vel Sedes Episcopalis vacaret, ad quemcumque alium Episcopum, dummodo tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares, non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. Verum cum a Superioribus Regularibus Episcopo Dioecesano absente, vel Ordinationes non habente literae dimissioriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod si Regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Dioecesis, hujusmodi dimissorias concedendas esse ad Episcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quae de Episcopo Dioecesano superius

praescripta sunt: *Dubium Reg.* 24. *Aug.* 1619.

9. Facultatem conferendi ordines familiaribus triennalibus a Sacro Concilio (22) Episcopis tributam intelligi etiam de consanguineis ipsorum Episcoporum, quatenus actu inserviant, et vere sint familiares: *Leyrien.* 7. *Sept.* 1630. *dub.* 5.

10. Interrogata S. C., an Regulares volentes se ad ordines promoveri teneantur juxta Decretum Archiepiscopi ostendere literas dimissorias Ordinariorum propriae originis? responsum prodiit non teneri, sed sufficere, ut observent formam praescriptam in Decreto Pont. Max. Clem. VIII. (23) *Senonen.* 28. *Febr.* 1654. *dub.* 9.

11. Ad dubium ita conceptum: an laico, cui a proprio Episcopo fuit denegata prima tonsura, possit ipsa prima tonsura conferri, vel concedi literae dimissoriales ab Ordinario alterius Dioecesis, coram quo ipse laicus praesentatus fuit ad Beneficium Ecclesiasticum? Rescripsit *non posse*: *Mutinen.* 26. *Januar.* 1658. *dub.* 1.

12. Inde quaesito ponderato, an ratione habitationis in villa tempore aestivo, quis acquirat ibi domicilium, itaut fiat subditus ejus Episcopi, in cujus Dioecesi est ipsa villa, ac proin-

(22) *Sess.* 23. *cap.* 9. *de reform:* ubi disponitur „ Episcopus familiarem suum non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus; et beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferrat: consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante. " Hoc Decretum declaratum, et ampliatum est ab Innocentio XII. *Const. Speculatores* 4. *Novem.* 1694. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag.* 374.) §. 6. nempe quod per completum triennium familiarem praedictum in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus Episcopus aluerit; et beneficium eidem saltem intra terminum unius mensis a die factae Ordinationis conferatur.

(23) 14. *Martii* 1596. in quo mandavit observari Declarationem S. C. Concilii hisce verbis conceptam „ Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari qui praeditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Dioecesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit; et si Dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus, vel abfuturus, vel nullas esset habiturus Ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Dioecesano absente, vel Ordinationes non habente, literae dimissoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activae, et passivae privationis, ac alias arbitrio ejusdem Sancissimi D. N. Papae reservatas poenas incurrant. " rel. in *Const. Impositi nobis* 27. *Febr.* 1747. *Benedicti XIV.* §. *Demum*, in qua Const. §. *Praeterea* mandatur „ ut Superiores Regularium Dimissoriae, quae ideo ad alium Antistitem directae fuerint, propterea, quod Episcopus Dioecesanus extra Dioecesim commoretur, vel Ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris, et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episcopi Dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a Dioecesi abesse, vel Clericorum Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto " Et §. *Quemadmodum* declaratur, quibus suffragentur Privilegia Ordinum Regularium ordines a quocumque Catholico Antistite suscipiendi. Hoc Decretum Clementinum antea confirmaverat Innoc. XIII. pro Regnis Hispaniae *Const. Apostolici Ministerii*, et Bened. XIII. *Const. in Supremo* 23. *Set.* 1724. Et antiquitus S. C. Concilii ita decernendo rescripserat Nuntio Apostolico Hispaniae 26. Sept. 1589, ut *in Regist. Lit. Lib.* 7. *pag.* 77.

de possint ab eo Episcopo illi concedi dimissoriales in praejudicium Episcopi originarii? respondit non acquiri: *Ibid. dub.* 2.

13. Quaestiones urgent, an in suscipiendis minoribus ordinibus sit permissa variatio, ita ut qui ab Episcopo originis seu domicilii tonsura, aut altero ex minoribus ordinibus initiatus fuit, possit ad alium ordinem minorem ab Episcopo Beneficii promoveri?

14. An sit permissa variatio in ascensu ab Acolytatu ad Subdiaconatum?

15. An sit permissum Subdiacono in promotione ad Diaconatum, vel Diacono in promotione ad Sacerdotium variare? explicantur, variationem in unoquoque ex praenarratis casibus (dummodo non in fraudem fiat) licitam esse: *Fundana Ord.* 27. *Febr.* 1666. *d.* 1. 2. *et* 3.

16. Episcopus negavit dimissorias ad Presbyteratum Petro Jacobo Caprioli Diacono, qui cum quodam Clerico homicidio fuerat accusatus, sed inde absolutus cum clausula, *nisi nova supervenissent indicia*; nihilominus viget publica fama adhuc, quod ille revera deliquerit, nec argumenta sufficientia de ejus vita, et moribus praebuit. Re S. C. perpensa quamquam dispensationem ab infamia consequutus ille fuerit, ei Ordinarium dimissoriales ad Presbyteratum si aliud obstet, posse inficiari decidit: *Vigilien. Dimiss.* 23. *Sept.* 1673. *dub.* 3.

17. Dubio exhibito an Monachi Cistercienses admitti debeant ad omnes etiam Sacros, et Presbyteratus ordines a quibusvis locorum Superiorum tantum absque dimissoriis Dioecesanorum a quorum superioritate, et jurisdictione sunt exempti. Nec non an idem dicendum sit de quibuscumque Religiosis ejusdem Ordinis degentibus, et audientibus in Seminariis publicis, Collegiis, et Academiis? S. C. censuit dictos Religiosos ordinandos esse ab Episcopo, in cujus Dioecesi existunt Seminaria, seu Monasteria ubi degunt, dimissoriales item literas ab eisdem recipiendas a Superiore Seminarii, seu Monasterii, ubi degunt: *Cisterciensium* 17. *Martii* 1674.

18. Indiget explanatione, an in casibus, in quibus licet Superioribus Regularibus eorum subditos Regulares transmittere ad alios Episcopos extra Dioecesim pro Ordinibus suscipiendis, sint necessariae dimissoriales Episcopi Dioecesani, vel Ordinandi debeant esse contenti dimissoriis Superiorum tantum! S. C. censuit dandam esse declarationem alias editam (24): *Praemonstratensium Dimiss.* 20. *Julii* 1675.

19. Petitur definitio, an Clerici Neapolitanae Dioecesis Sede Archiepiscopali vacante fuerint licite ordinati vigore Brevium extra tempora nuncupatorum ab aliis Episcopis cum solis literis testimonialibus Vicarii Capitularis Neapolis absque dimissorialibus vicinioris Episcopi? negative respondetur: *Neapolitana Ordinat.* 15. *Decem.* 1685. *dub.* 1.

20. Quum quidam laicus prima tonsura initiari petiisset ab Episcopo originis, et domicilii, et ab eo repulsam passus, deinde fuisset Clericali militiae adscriptus ab alio Episcopo, in cujus Dioecesi fuerat praesentatus ad tenue Beneficium simplex, discusso dubio: an Ordinans, et Ordinatus inciderint in poenas statutas *in cap.* 8. *Sess.* 23. *de Reform.* (25) respondit *affirmative*: *Aversana*, *seu Casertana Ordinat.* 26. *Sept.* 1693.

21. Laicus quidam praesentatus ad Beneficium, petebat ut Episcopo viciniori committeretur facultas conferendi primam tonsuram, inspecta repugnantia E-

(24) Nempe in causa *Dubium Regularium* 24. *Aug.* 1619. *Vide num.* 8. §. *praesenti*.

(25) *Vide not.* 4. *tom.* 1. *pag.* 2.

piscopi Calaguritani: S. C. rescripsit ut adeat Episcopum Calariguritanum; Ordinario non debet in hac re lex ulla praescribi, nisi gravamen sit evidens: *Calaguritana* 30. *Januar*. 1694.

22. Obnoxium fuit dubitationi, an literae dimissoriae Episcoporum Indiarum Occidentalium concessae in articulo mortis nominatim aliquibus, subditis qui eas postulabunt, etiam intra annum sedis vacantis post eorumdem Episcoporum durent mortem, ita ut possint a Capitulis intra dictum annum expediri? S.C. respondit affirmativum quoad subditos, quibus nominatim Episcopus licet aegritudine detentus concesserit dimissorias, in reliquis negativum tribuit. *Mexicana Liter. Dimiss*. 24. *April*. 1700.

23. Dominicus Lucanus oriundus ex Dioecesi Hieracensi licet natus in Civitate Neapolitana cupiens ad Ordines promoveri non potuit obtinere literas testimoniales a Card. Archiepiscopo Neapolitano; ut ab Episcopo Hieracensi Sacros reciperet ordines ad titulum patrimonii. At S. C. praecepit, ut Card. Archiepiscopus concedat ei literas testimoniales, dummodo non obstet aliud impedimentum canonicum 27. Junii anni 1699. Deinde recessit a decisis, et spectare ad eumdem Card. Ordinationem resolvit: *Neapolitana*, *seu Hieracen. Ordinat*. 15. *Januar*. 1701.

24. Et si Nicolaus Gualderius ratione originis paternae, ac propriae subditus sit Archiepiscopi Neapolitani, nihilominus ante constitutionem Pont. Max. Innoc. XII. (26) ab Episcopo Scalensi, et Ravellensi ratione originis avitae coepit tonsuram Clericalem, Minores, et Subdiaconatus Ordines. S. C. modo decrevit Ordinationem praedicti ad Diaconatum, ac Praesbyteratum suscipiendum spectare ad Episcopum Ravellensem cum testimonialibus literis Archiepiscopi Neapolitani quoad vitam, et mores tantum: *Neapolitana, seu Scalen. et Ravellen. Ordin*. 19. *Febr*. 1701. *d*. 1.

25. Ante emanationem Constitutionis Pont. Max. Innoc. XII. incipien. *Speculatores* (27) Tulius Caesar Fortunatus initiatus extitit ad primam tonsuram ab Episcopo Anglonensi ratione originis paternae, ac vigore dimissorialium ejusdem promotus ad quatuor Ordines Minores ab Episcopo Acccerensi fuit, modo cupit Sacros recipere ab Episcopo Anglonensi, utpote Ordinario originis, et domicilii, sed quum natus esset Neapoli instante Archiepiscopo, quia post constitutionem desiit esse illius Episcopi subditum, decrevit proinde S. C. ordinationem praedictam spectare ad Episcopum Anglonensem praeviis testimonialibus Card. Archiepiscopi Neapolitani: *Neapolitana seu Anglonen. Ordinat*. 29. *April*. 1702.

26. Ortum habuit Joseph Enriquez in Dioecesi Abulensi, ac sexennis profectus Placentiam, ubi statuit domicilium, et promotus fuit dimissorialibus Episcopi Placentini in Hispania ad tonsuram, et Ordines minores ab Episcopo Cauriensi, et ad Subdiaconatum ad titulum Capellaniarum, inde de Beneficio provisus fuit in Dioecesi Abulensi; ob id quoad ceteras ordinationes S. C. requisita quis esset de duobus Ordinariis proprius Placentinus, vel Abulensis? respondit esse utrumque proprium Ordinarium: *Abulen. seu Placentina Dimiss*. 5. *Maii* 1703. *dub*. 1.

27. Quaesivit inde Enriquez, cuinam ex iisdem Ordinariis sit pro concessione dimissoralium rescribendum, et responsum accepit Episcopo Placentino, ut Oratori literas dimissoriales concedat: *Ibid. dub*. 2.

28. Binis examinatis dubiis decerni-

(26) *Vide not*. 75. *tom*. 1. *pag*. 60.

(27) *Vide not*. 75. *tom*. 1. *pag*. 60.

tur Ginnesium Petrella licite non valere ordinari in casu de quo agitur, Velitris, ubi ortus fuit ex matre ejusdem Civitatis, Patre vero e terra vulgo di *Nemi* Albanensis Dioecesis, ac adhuc puerum una cum suis genitoribus in dicta terra usque ad praesens inhabitasse, ubi habet domicilium cum propriis bonis: *Dubium Ordinat.* 16. *Febr.* 1704. *dub.* 1.

29. Itidemque valere praeviis dimissorialibus Card. Ordinarii Albanensis, se insigniri facere tantum prima tonsura Velitris, non obstante Constitutione Pont. Max. Alex. VII. incipien. *Apostolica sollicitudo* (28): *Ibid. d.* 2.

30. Paullus Paulettus post discessum a patria Aprutinae Dioecesis domicilium firmiter, ut asseritur, constabilivit in terra Carboneani Dioecesis urbis Castellanae, ubi exercens artem medicam plura bona stabilia coemit, ac suscepta uxore filio Xaverio procreato annos 12. cohabitavit. Inde se contulit ad Civitatem Montis Falisci, ac alia inibi bona acquisivit, filiam Deo vovit, ac inter Cives adscribi petiit, deinde peragratis aliis Civitatibus reconduxit suam familiam in terra Carboneani, uti cupiens ad Militiam Sacram adscribi Xaverius, latebat, an licite posse ordinari ab Episcopo Civitatis Castellanae, rejecto ab Aprutino Ordinario originis? et S. C. committendum censuit Ordinario Civitatis Castellanae, quatenus ordinet Oratorem servatis servandis: *Civitatis Castellanae, seu Aprutina Ordinat.* 19. *April.* 1704.

31. Vicarium in districtu Status Estepensi, qui dismembratus fuit ab Ordinibus Militaribus S. Jacobi, de Spata, Calatravae, et Alcantara, pro exercitio Ecclesiasticae jurisdictionis deputatum, non posse dimissoriales literas concedere subditis dicti Status, ut ad Clericalem tonsuram, et ordines majores promoveri possint a quocumque Antistite, S. C. sententia fuit: *Nullius Provinciae Hispalen. Excess.* 11. *Sept.* 1706. *dub.* 1.

32. Hieronymus Mazzeus Argentarius Matherae natus, ubi posteaquam moram traxerat occasione Mercaturae Trojam commigravit, inibique nuptias iniit cum Lucia Garzillo de Monte Aurei Salernitanae Dioecesis, ex qua filium Salvatorem suscepit: Peracto biennio una cum filio, fortunis Luceriam fuit profectus, ubi coemptis agro, et aedibus, aliisque bonis, in praesentiarum degit. Salvator cupiens Clericali Militiae adscribi nullum invenit, qui tonsuram conferre voluerit; et S. C. resolvit ordinationem spectare ad Episcopum Lucerinum praestito tamen prius juramento per patrem ad formam Bullae Innoc. XII. (29) *Matheranen. Ordinat.* 4. *Decem.* 1706.

33. Monachi Carthusiani S. Laurentii terrae Padulae Caputaquensis Dioecesis promoti ad ordines tam Minores, quam Sacros ab Episcopo Policastrensi, et Marsicensi sunt illicite ordinati. Nam Prior dimissit dictos Monachos ordinandos cum suis dimissorialibus literis, in quibus attestatus est Episco-

(28) Edita 7. *Aug.* 1662. (*Bull. Rom. Tom. VI. Part. V. pag.* 245.) in qua agitur de promovendis ad Ordines in Urbe in sex vicinis Episcopatibus et §. 4. decernitur „ Denique in sex Episcopatibus prope Urbem, in quibus non sunt suffraganei, quicumque ad Minores, vel Sacros Ordines volent promoveri, cum litteris dimissoriis sui Ordinarii, ad memoratum Vicarium (nempe Urbis), et non ad alium Antistitem directis, ad Urbem accedant, ibique, et non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius praescriptae. “

(29) Quae incipit *Speculatores* 4. *Novem.* 1694. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag* 374.), et §. 5. cautum est, quod Pater, licet animum permanendi perpetuo in aliquo loco demonstraverit „ nihilominus ulterius utroque ca„ su se vere, et realiter animum hujusmo„ di habere jurejurando affirmet. “

pum Caputaquensem fuisse absentem vel impeditum ad Pontificalia exercenda: *Caputaquen. Ordinat.* 11. *Febr.* 1708. *dub.* 1.

34. At praefati Superiores vigore trium Apostolicorum Brevium nuncupat. *Extra tempora* sese dimisisse Monachos ad ordinandos exposuerunt, et ideo ead. S. C. licite praefatos Monachos Carthusianos fuisse ordinatos statuit: *Ead. Caus.* 6. *Julii* 1709. *d.* 1.

35. Quum Vincentius Patricellius ortum habuisset in urbe, eo quod genitores Romam se contulerint, ibique per tot annos fixum domicilium habuerint, exercendo officium Promi in domo Principis Justiniani, ac in Ordinibus Minoribus sine literis dimissorialibus Episcopi Sutrini inibi fuisset constitutus, modo Ordinatio Sacrorum Ordinum spectare S. C. resolvit ad Card. Urbis Vicarium, etiamsi ad titulum ejusdem patrimonii, quia genitores possident bona in loco Bassani, ubi originem habent: *Romana, seu Sutrina Ordinat.* 17. *Martii* 1703.

36. Philippus Polichettus natus in Dioecesi Cavensi post biennium translatus ad locum S. Potiti patriam genitoris Dioecesis Salernitanae, nullis obtentis literis, sive dimissorialibus, sive testimonialibus, vel Episcopi Cavensis, vel Salernitani Archiepiscopi fuit prima tonsura initiatus ab Abbate Monasterii SSmae Trinitatis Cavensis Ordinis S. Benedicti. Sed S. C. consulta, dictum Abbatem licite non potuisse Philippo conferre Clericatum decidit: *Salernitana Ordinat.* 12. *Januar.* 1709. *dub.* 1.

37. Joseph Reynaud Frater laicus Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia dimisso post sedecim professionis annos habitu deseruit dictam Congregationem, et callide literis dimissorialibus ab Episcopo Carpentoratensi obtentis, ad titulum patrimonii a parentibus constituti fuit Ordinatus. At reclamante Priore Generali, ut ad Claustra tanquam Laicus rediret decrevit S. C. praefatum Josephum licite non fuisse promotum ad Ordines Minores, et Sacros: *Carpentoraten. Voti Persever., et Ord.* 22. *Febr.* 1710. *dub.* 2.

38. Osualdus Rinaldus oriundus e Civitate Venetiarum, ejusdem Ecclesiae Parochiali S. Mariae Jubenicorum inserviens accepit duos primos Minores ordines a Card. Patriarcha. Postmodum adscriptus servitio Ecclesiae Ducalis S. Marci obtinuit simplex beneficium S. Leonardi de Orgnano Tarvisinae Dioecesis cum onere Missarum, ac hujus Dioecesis Vicarius Capitularis renuit cum testimonialibus Primicerii Ecclesiae Ducalis tradere dimissoriales literas ad alios ordines suscipiendos ex defectu testimonialium Patriarchae Venetiarum: S. C. per sum. prec. sub die 11. Januar. 1709. rescripsit, quando constet de Beneficio sufficienti in Dioecesi Tarvisina ad formam Bullae *speculatores* Pont. Max. Innoc. XII. (30) concedendas esse dimissoriales a Vicario Capitulari Tarvisino ejus arbitrio et praeviis literis testimonialibus Patriarchae Venetiarum; et quatenus Beneficium in dicta Dioecesi Travisina non sit, ut supra sufficiens spectare literas dimissoriales ad Patriarcham Venetiarum. Inde S. C. hoc decretum confirmavit: *Venetiarum seu Tarvisina Ordinat.* 29. *Martii* 1710.

39. Post occupata loca Sancta Palestinae a Turcarum tyrannide ab Apostolica providentia profugo Nazareno Archiepiscopo assignata fuit Cathedralis in oppido Baruli Tranensis Dioecesis; ideo Archiepiscopi Nazareni eidem

(30) *Vide not.* 41. *sequentem.*

Ecclesiae adscribere praetenderunt Clericos tam existentes in dicto oppido, quam in altero contiguo Cannarum de Dioecesi Nazarena, eosque ordinibus insignire, vel suis dimissorialibus ad alios Antististes ordinandos transmittere. Archiepiscopus Tranensis postulavit in S. C. Episcop., et Regular. ut praefigeretur numerus Cleri Nazareni, et obtinuit (31); inde vero de excessivitate Cleri Nazareni conquestus fuit in eadem S. C. Episcop., et Regul., quae numerum praefixum confirmavit, praecepitque, ut servaretur Constitutio *Speculatores* (32). Ast nihilominus Nazarenus Antistes putavit sibi idem jus competere, et facta quaestio est super interpretatione praefatae Bullae, ac in S. C. Concilii proposita per sum. prec. rescriptum fuit proponatur causa super negotio principali, scilicet super interpretatione praedictae Bullae, an comprehendat praesentem casum; excusso igitur dubio, an et quomodo in praemissis sit consulendum? rescriptum fuit, proponatur causa super negotio principali: *Nazarena, seu Traen. Dimissor.* 28. *Martii* 1711.

40. Joannes Henricy ex nobilibus parentibus sed Haereticis Hamburgi natus, quibus invitis abjurata haeresi factus Catholicus in Gallia profugit et commoratus in Dioecesi per 8. annos Convenarum est, quum hodie moram duceret in Dioecesi Tolosana, cupit ad Ordines sacros provehi, nec habere valeat a partibus Haereticorum dimissorias, supplicat proinde pro facultate suscipiendi ab Archiepiscopo Tolosano, aut quocumque alio sibi beneviso, S. C. respondit scribendum esse pro informatione Suffraganeo Episcopatus Osnaburgensis Vicario Apostolico Missionum Septemtrionalium juxta instructionem: *Tolosana Dimissor.* 12. *Decem.* 1711.

41. Concessio dimissorialium ad primam tonsuram, Ordines Minores, et Sacros, ac collatio ordinum subditis Abbatiarum in oppido Centulae, et Controni extantium spectat ad Episcopum Caputaquensem, non autem dictarum dimissorialium concessio competit Abbatibus. Nam Episcopus temporibus Sacrae Visitationis jura ceterosque actus nativae jurisdictionis exercuit, quin etiam earum Abbates Synodis Dioecesanis interesse consuevisset: *Caputaquen. Jurisd.* 17. *Decem.* 1712. *dub.* 1.

42. Diu torquet controversia Abbatem Generalem celeberrimi Monasterii S. Spiritus de Sulmona Ordinis Coelestinorum, ac Episcopum Sulmonensem et Valvensem quoad jurisdictionem spiritualem in oppido Pratularum, et ad cognitionem veritatis exoratur, an, et ad quem spectet facultas etiam per modum provisionis ordinandi, et concedendi literas dimissoriales subditis secularibus dicti oppidi, donec, et quousque fuerit terminata lis in Rota Sulmonis per modum provisionis: et respondit spectare ad Episcopum (33). *Sulmonen. seu Valven. Jurisd.* 11. *Martii* 1713. *dub.* 3.

43. Episcopo Nepesino, qui clericum Dominicum Titulorum ad Capellaniam actu Sacerdotalem ab Euphrasia de Anselmis fundatam institutum, ordinare, vel literas illas dimissoriales concedere renuebat, tum quia con-

(31) S. C. Super Episc. et Regul. negotiis praeposita inhaerendo resolutioni alias factae sub die 11. Ang. 1620., seu alio veriori tempore censuit, concedendam esse facultatem prout harum vigore concedit Archiepiscopo Nazareno habendi tantum quinquaginta suae Jurisdictioni subditos comprehensis Presbyteris, etiam Conjugatis, et Sylvagiis, atque inservientibus: *Ead. caus.* 28. *Martii* 1711. §. 1.

(32) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

(33) *Vide not.* 631. *tom.* 2. *pag.* 481.

gruae conservationi impar est Capellania, tum quia utilitas, vel Ecclesiae necessitas illius Clerici promotionem non suadet; quum ista Romae moram traheret, injunctum a S. C. fuit, ut illum ordinaret, vel literas concederet dimissoriales docto coram eo de sufficienti reditu ad formam Nepesinam taxam Synodalem: *Nepesinae Capell.* 27. *Maii* 1713. *dub.* 3.

44. Quum Capitulum insignis Ecclesiae Collegiatae S. Deodati sibi vindicet exemptionem ab ordinaria jurisdictione, ac nullius qualitatem territorii nuncupati *Vallis Gallilaea*, hinc in S. C. decisum fuit, jus concedendi literas dimissoriales Clericis Ecclesiae praedictae, aliisque personis illius territorii, quae promoventur ad ordines non competere Capitulo: *Nullius, seu Tullen. Jurisd.* 24. *Aug.* 1716. *dub.* 1.

45. Et dubio perpenso, an idem jus competat Episcopo Tullensi? S. C. respondit dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem; et interim per modum provisionis, ac sine praejudicio jurium partium dentur dimissoriales a Metropolitano Triverensi: (34) *Ibid.*

46. Quum Matthias Angelus Corcionus Romae natus, inde moram traxerit per decennium in Urbe Theatina, deinde ad oppidum Nespoli territorii Farfensis domicilium transtulerit, ubi ab annis decem commoratur, Ordines minores suscepit a Vicario Urbis, uti Ordinario Originis, modo quoad Sacros Ordines S. C. mandat, ut Card. Abbas Farfensis, uti ordinarius domicilii praeviis testimonialibus Card. Urbis Pro-Vicarii, et Archiepiscopi Teatini possit, dimissorias concedere: *Romana, seu Nullius Farfen. Ordinat.* 5. *Junii* 1717.

47. Episcopus Barchinonae laudabilem majorum suorum morem secutus consuluit S. C. an Praelati Regulares teneantur dirigere Episcopo Dioecesano literas Dimissoriales, quas concedunt Religiosis suis subditis, ad Ordines suscipiendos, juxta tenorem, et sub poenis Decreti Clem. VIII. Pont. Max. (35) non obstante quacumque contraria consuetudine? rescriptum prodiit dilata, et Episcopus uti Delegatus S. C. terminum sex mensium praefigat Regularibus suae Dioecesis ad deducenda jura sua in S. C. *Barchinonen. Ordinat.* 2. *Octob.* 1717. *dub.* 1.

48. Vicarius Generalis Tolentinae, et Maceratensis Ecclesiae, quum dimissorias pro clericali tonsura, et Ordinibus minoribus concessisset Angelo Nicolao Brigitti nato in urbe Tolentini occasione, qua ejus pater in ea aliquos annos commoratus est. S. C. has dimissorias donandas non esse resolvit ex deductis contra formam Constitutionis Innocentianae (36) *Tolentina Ordinat.* 2. *Octob.* 1717. *dub.* 3.

49. Renatus de Massa cum dimissoriis Card. Archiepiscopi Neapolis, ubi natus est, Ordini Clericali adscriptus fuit ab Episcopo Venafri ejus patruo, et provisus ab eodem Card. Archiepiscopo de Capellania, seu Beneficio, erecto in Cathedrali Vici Equensis, et sufficienti ad congruam Sacerdotalem, anno 1715. promotus fuit ad minores,

(34) „ Et ratio resolutionis fuit *negative quoad Capitulum*, quia nullo modo poterat illi competere tale Jus, etsi Praepositus S. Deodati esset, ut praetendebatur in vera qualitate *Nullius*, quia hoc casu spectaret ad Episcopum viciniorem, et sic nullo casu ad ipsum eo quod deficiat privilegium Apostolicum post Concilium. Cum vero dubitaretur, an dicta Praepositura esset intra fines *Dioecesis Tullen.*, vel quis Episcopus esset vicinior, ideo in eo cecidit secunda pars rescripti pro cumulatione probationum; et ne interim retardetur Ordinatio, fuit commissa Metropolitano " Card. Petra *Comment. ad Const.* 4. *Callisti III. lect.* 2. *num.* 68. *tom.* 5. *pag.* 62.

(35) *Vide not.* 31. *tom.* 1. *pag.* 22.

(36) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

ac Sacros Ordines ab Episcopo beneficii cum testimonalibus Archiepiscopi, et Episcopi Venafri asserentis, semper apud nos ab ejus infantia vixisse. Hanc Ordinationem uti illicitam impugnat Curia Archiepiscopalis Surrentina, cui subditus erat pater Renati et occasione mercaturae natus Neapoli sit. S. C. rescripsit primum, ut coadjuventur probationes juxta mentem (37): *Neapolitana, seu Surrentina Ordin.* 11. *Decem.* 1717. Deinde dictum Sacerdotem non esse licite ordinatum: 21. *Maii* 1718. (38).

50. Quum Benedictus Manellus petiit literas testimoniales, ut Ordines susciperet, Archiepiscopus Neapolitanus eas denegavit, quod Ordinatio illius ad se, non ad Episcopum Vici Equensem pertineret. Hujus pater natus in Civitate Vici a 35. annis se transtulit in urbe Neapolitana exercendo artem argentariam, in qua moratur, uxorem suscepit, ac liberos procreavit. E contra asseritur Vici possidere bona stabilia, solvere onera communitativa, atque admissum fuisse tanquam civem ad Syndici electionem. S. C. de hac quaestione resolvit spectare ordinationem ad Episcopum Viciequen. cum testimonialibus Em. Card. Archiepiscopi Neapolitani: *Neopolitana, seu Viciequen. Ordinat.* 12. *Martii* 1718.

51. Collata ab Archiepiscopo Sypontino Mansionaria Residentiali una cum simplici beneficio Johanni Pace clerico Romano, obtinuit etiam supplementum patrimonii sacri ex bonis patrimonialibus ipsius Archiepiscopi, atque hoc pacto eidem facta fuit facultas a S. C. ascendendi ad Ordines Sacros; actum etiam fuit, an literae testimoniales vel dimissoriales a Tribunali Card. Urbis Vicarii dandae forent? et responsum est, dandas esse a Card. Urbis Vicario literas testimoniales, et dimissoriales ad normam taxae Urbis (39): *Romana seu Sypontina* 23. *Julii* 1718. *d.* 2.

52. Quum Clericus Franciscus Grassi natus in oppido Turris Padulum Dioecesis Ugentinae in infantili aetate una cum parentibus translatus fuisset ad Civitatem Hydruntinam, ac nunc moratur in Urbe causa studiorum, ac ordines suscipere exoptat. Constituitur quaestio de mittendis literis dimissorialibus. Archiepiscopus Hydruntinus ait ad se spectare, quia etsi sit originarius Ugentinus, tamen domicilium Hydruntinum acquisivit, ubi Civitate est largitus, ac bona stabilia possedit. Episcopus Ugentinus originem deducit, ac contulisse ait primam tonsuram, licet Hydrunti permanebat, nullis obtentis literis dimissorialibus. S. C. primum rescripsit dilata, et coadjuventur probationes per instrumenta emptionis, et venditionis: *Ugentina, seu Hydruntina Ordinat.* 23. *Julii* 1718. Deinde decrevit Clericum Franciscum Grassi promovendum esse ad ordines cum literis dimissorialibus Archiepiscopi Hydruntini, praestito juramento ad tramites Bullae, (40) non autem Episcopi Ugentini: 1. *April.* 1719., *confir.* 8. *Julii dicti anni*.

53. Sacerdos Marcus Antonius Macri Jemini natus Dioecesis Uxentinae patrem habuit ortum in terra Casara-

(37) Et fuit, ut scriberetur tum Card. Archiepiscopo Neapolitano, tum Archiepiscopo Surrentino, ut ille super permanentia, et domicilio Renati de Massa ante suam ordinationem in Dioecesi Neapolitana, validioribus, quibus posset, informaret documentis, et ut hic consimili modo certiorem redderet S. C. de illius permanentia, et domicilio ante suam pariter Ordinationem in Dioecesi Surrentina " *Ead. caus.* 21. *Maii* 1718. §. *unic.*

(38) Advocatus Dominicus Ursaya strenue certavit pro Curia Surrentina; et suae allegationes prodierunt in *Discept. Eccl. XX. tom.* 3. *part.* 1. *per tot.*

(39) Quae ad Scut. 60. annua ascendit pro titulo patrimonii Sacri.

(40) *Vide not.* 29. *praecedentem*.

ni Dioecesis Neritonensis. Ordines suscepit ab Episcopo Uxentino absque literis testimonalibus Episcopi Neritonensis. S.C. consulta eum non incurrisse in suspensionem decernit. Nam patrem ejus a triginta annis domicilium continuum cum animo perpetuo habitandi constituisse in oppido praedicto Jemini, ubi majorem partem bonorum possidet, in medio proferebat: *Uxentina*, seu *Neritonen. Ordinat.* 17. *Junii* 1719.

54. Res controversa impendit inter Episcopos Cavensem, et Massa-lubensem quoad Ordinationem Augustini de Urso. Primus ait avum illius e Civitate Neapolitana, ad Cavensem venisse, ut artem fabrilem excerceret, uxorem duxisse, et filios procreasse, ac ibi obiisse, hujus filium Augustini patrem genuisse Augustinum, qui in Cathedrali Baptismum suscepit, et patrem occasione locationis vectigalium se contulisse ad Civitatem Massae-Lubrensem, ac in ea interpolatim habitare coepit singulis annis. Alter dicit se primam tonsuram, et Minores Ordines Augustino contulisse, Avum fuisse civem Massae-Lubrensem ac patrem domum apertam, bona stabilia possidere ac alium filium fuisse ab eo ad Sacerdotium promotum absque ulla contraditione. S. C. consulta dilata rescripsit, et transmittatur processiculus testium ab Episcopo Massae-Lubrensi, et Testes, qui fecerant fides extrajudiciales Cavae, examinentur formaliter ab Episcopo Cavensi: *Caven. seu Massae-Lubren.* 16. *Decem.* 1719. *dub.* 1. *et* 2.

55. Quum tonsuram minores, et majores ordines Franciscus Antoniuccius absque ullis literis Episcopi Tusculani suscepisset a Card. Urbis Vicario facta est quaestio, an licite initiatus fuerit? nam ejus pater oriundus e Civitate Tusculi acquisivit in Urbe domicilium, ubi matrimonium contraxit, et filiam procreavit, et retinuit etiam in Civitate Tusculi domicilium majorem partem bonorum, et publica Communitatis munia exercet. Franciscus usque ad 14. aetatis suae annum Tusculi moram traxerat, Episcopus itaque Tusculanus absque suis dimissorialibus literis, vel saltem testimonialibus ordines suscipere non potuisse ajebat; et S. C. respondit non fuisse licite ordinatum: *Romana*, *seu Tusculana* 27. *April.* 1720.

56. Franciscus dello Schiavo oriundus ex terra S. Johannis Dioecesis Caputaquensis, natusque Neapolis occasione, qua pater in ea commorabatur, in qua adhuc manet, petiit literas testimoniales a Curia Archiepiscopali ad suscipiendam Clericalem tonsuram ab Episcopo Caputaquensi, in cujus Dioecesi patrem habebat bona, ac onera solvit. At re in quaestione deducta S. C. primum censuit ordinationem spectare ad Archiepiscopum Neapolitanum sub die 20. Sept. 1715.; modo iterum examinata, recessit a decisis, et decrevit ordinationem spectare ad Episcopum Caputaquensem cum literis testimonialibus Card. Archiepiscopi Neapolitani: *Caputaquen. seu Neapolitana Ordinat.* 8. *Febr.* 1721.

57. Coadjutor cujusdam canonicatus cum futura successione, et assignata congrua, alias exterus, eo ipso dici potest subjectus Capitulo Elborensi, ad effectum suscipiendi ordines, absque aliis dimissoriis Episcopi suae originis ad tramites Bullae *Speculatores*. §. *licet vero:* (41), *Elboren. Dubior.* 23. *Aug.* 1721. *dub.* 1.

58. Et Episcopus Auxiliaris seu suffraganeus Episcopi Elborensis potest, imo debet inquirere, utrum ab illis, qui sibi ab Ordinario, seu Capitulo proponuntur, seu dimittuntur ordinandi satisfactum sit supradictae consti-

tutioni *Speculatores* et justa subsistente causa se abstinere ab ordinatione. Nam ipsis non competit habilitare, et expedire ordinandos, sed provisori Capituli, a quo non in genere, sed expressae personae habiles, et expeditae proponuntur: *Ibid. dub.* 3.

59. Nonnulli Clerici Patriarchatus Occidentalis Ulixiponensis origine, et domicilio subditi petierunt promotionem ad Sacros Ordines ad titulum patrimonii, et fuerunt rejecti. Adierunt ad Episcopum Tagostensem Vicarium Capitularem Archiepiscopatus, qui illos ad titulum nonnullarum Capellaniarum in Ecclesiis Dioeceseos Ulixyponensis Orientalis existentium ordinavit. Hae Capellaniae beneficia Ecclesiastica dici nequeunt tum quia Episcopi auctoritas in fundatione non intervenit, tum quia illarum dos nunquam in dominium Ecclesiae transivit, quum penes Administratores[1], qui eleemosynam solvunt, remansissent. Incertum hinc fuit, num ordinationes istae fuerint illicitae? et illicitas utique fuisse, judicatum ab S. C. fuit: *Ulyssiponen. Occidentalis* 26. *Junii* 1723. *dub.* 1. Confir. pro nunc quoad Valentinum Pereiram, et Emanuelem Nunez Colares: 19. *Aug.* 1724.

60. Episcopus Legionensis in sua relatione status suae Ecclesiae exposuit, quod tempore sedis vacantis in sequelam Brevium de promovendo, quae a S. C. Episcop., et Regul., et Concilii dirigebantur infra annum vacationis Vicariis Capitularibus, ut hii debitis concurrentibus requisitis, et signate quod Oratores non fuissent ab Episcopo praedecessore rejecti, dimissorias concedere possent, quod fuit prohibitum a dictis Congregationibus, ne in posterum hasce facultativas literas concederent; at a Secretaria Status bini transmissi ordines fuerunt 2. Maii, et 19. Julii 1725. in quibus protestata est Sanctitas sua non prohibuisse S. C. ne dictas facultativas concederent infra annum, quando agitur de arctatis ratione Beneficii, nec non istae facultates expediuntur aliquando a nuntio Apostolico. Modo opere pretium erit inquirere an ab eodem in posterum sint expediendae solum arctatis ratione beneficii, vel absolute, et absque dicta limitatione? et S. C. respondit, quoad Brevia de promovendo satis consultum per Secretariam Status; et quoad Nuntium cum SSmo juxta mentem: *Legionen. Visit. SS. LL.* 15. *Decem.* 1725.

61. Quaeritur de licita, vel illicita Georgii Leoguani tonsura. Archiepiscopus Theatinus, qui tonsuram contulit, retulit se id fecisse praeviis literis dimissorialibus Episcopi Aquilani. Episcopus Aquilanus protulit Georgium natum fuisse in Civitate Aquilae non ex accidenti, quum Joannes Pater matrimonium contraxisset cum Candida de Nardis Aquilana; et decem circiter an-

(41) Nempe §. 3. „ Licet vero Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Dioecesi obtenti subjici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Dioecesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tam de caetero hac in re inconcusse servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive juxta Taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Dioecesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus literis, quam de reditu Beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit. "

nos habitasset in urbe Aquilae, quatuor ibi liberos procreasset et Dioecesim Pennensem non petierit, nisi post obitum Uxoris, et se ideo literas concessisse dimissoriales, quia ab Episcopi Pennensis Vicario Generali, in cujus Dioecesi Georgius morabatur, de vita ejus et moribus fuerit instructus. Pennensis demum Episcopus ostendit Johannem Leogranum patrem postquam sedecim annis Aquilae vitam duxerat, rediit ad suum Castrum Civitatis Quanae, in quo decem ab hinc annis habitat una cum filio Georgio, et subjungit, ut idem Georgius tonsuram petiisset ab antecessore; et obtinere non valuit, ex quo erat unicus filius, et ad omnia feuda nobilia, et rustica sui patris futurus erat successor, et proinde se pro illicite tonsurato illum semper habuisse tum quia sine suis dimissorialibus literis, tum quia factae non fuerant in sua Dioecesi denunciationes. Expenso itaque dubio Georgium licite fuisse tonsuratum S. C. pronunciavit: *Aquilana*. 24. *Maji* 1727.

62. Blasius Antonius Coscius ortus in Castello Blentinae Dioecesis Pisanae ut vitae subsidia commodius sibi compararet, Clusium venit, ibi ducta uxore procreavit Petrum Christopharum, quem septimum aetatis annum agentem pater duxit in Blentinam, ubi propriam haberet domum, ibique reliquit in custodia patrui. Hic petiit a Pisano Archiepiscopo, ut inter alumnos Seminarii cooptaretur nuncupans subditus ejus, a quo postea fuit tonsura initiatus, ac ordines minores suscepit. Inde ad Sacros Ordines ascendit inconsulto Archiepiscopo Pisano, qui eum in judicium vocavit; de hac ordinatione S. C. decernit licite fuisse promotum ad Ordines Sacros, cum literis dimissoriis Episcopi Clusini, ac sine literis dimissoriis Archiepiscopi Pisani, sed Petrum Christophorum esse suspendendum ab exercitio Ordinum ad tempus arbitrio S. C.: *Pisana seu Clusina Dubium Ordinat*. 26. *Januar* 1732.

63. Johannes Bernardinus de Fulgentiis ex Patrio oppido Castri Montis Dioecesis Valvensis migravit ad alterum Castellum Catiniani, quod in spiritualibus subest Abbatiae S. Mariae de Casanova Nullius, ut ibi Pharmacopaeam artem exerceret. Eo loco uxorem duxit, suscepit filium Franciscum, deinde repetiit pater oppidum Castri Montis, et in propriam domum cum filio deinceps sedem habuit. Franciscus initiatus fuit in ordinibus ab Episcopo Valvensi, ac duos minores ordines suscepit, reliquos ab Episcopo Melivetano titulari in Civitate Theatina commorante. Habita est quaestio in S. C.; an Franciscus de Fulgentiis fuerit licite ordinatus ab Episcopo Melivetano cum dimissoriis Vicarii Generalis Abatiae S. Mariae de Casanova? et rescriptum datum est negativum: *Valven. seu Sulmonen. Dubium Ordinat*. 22. *Martii* 1732. *dub*. 1.

64. Quum Petrus Xaverius de Antoninis non potuisset ab Episcopo Montis Alti tonsuram impetrare, ab Episcopo Asculano fuit Clericali Militiae adscriptus, ac literis dimissoriis ejusdem ab Episcopo Ripano fuit ad ordines minores promotus, ac sacris ordinibus initiatus ad titulum patrimonii constituti in bonis, quae pater possidebat in civitate Montis Alti. De hac ordinatione S. C. interrogata, decrevit Petrum licite suscepisse Ordines sine dimissoriis Episcopi Montis Alti. Nam erat subjectus Episcopo Asculano ex vi paternae originis, et fortuito ortus in Dioecesi Firmana: *Asculana sive Montis Alti Ordinat*. 7. *Feb*. 1733. *dub*. 1.

65. Clericus Laurentius Meldicheschius ordinatus ad titulum beneficii amovibilis cum causa ab Episcopo Il-

cinensi, ubi adest beneficium absque literis dimissorialibus, vel testimonialibus ad effectum ordines suscipiendos Episcopi Pientini Ordinarii originis, et domicilii licite ordinatus fuit. Ita S. C. statuerat, modo sanxit eum licite fuisse ad Sacros Ordines promotus ab Episcopo Ilcinensi, in cujus Dioecesi beneficium illud existit, sine literis dimissoriis Episcopi Pientini: *Pientina, seu Ilcinen. Ordinat.* 18. *Julii* 1733.

66. Superior Generalis Congregationis Missionis exposuit non paucos in eamdem Congregationem cooptari solere Anglos, Scotos, et Hibernos, de quibus haud facile posse literas dimissorias ad ordines suscipiendos obtinere, ac esse sine patrimonio; cum patrias sedes ob cultum fidei Catholicae deseruissent. Itaque postulat tribui indultum sibi, ut sine literis dimissoriis Ordinariorum suae originis, sed a superioribus tantum facta, itidemque ad titulum Mensae communis initiari Sacris Ordinibus possint addita conditione, ut casu egressionis interdictum sit Sacrorum exercitium donec vel beneficio, aliisque subsidiis provideantur. S. C. annuit ad formam Brevis Clementis IX (42) ad decennium: *Parisien. Indulti* 29. *Aug.* 1733.

67. Monachi Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis ordinati cum dispensatione Abbatis quoad aetatem, vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus, et sine dimissoriis Episcopi Brixinensis non sunt licite ordinati: *Brixin n.* 12. *Decem.* 1733. *d.* 4.

68. Seculares aliarum Dioecesum cum dimissoriis suorum Ordinariorum sine licentia Episcopi Brixinensis tonsuram, et minores ordines suscipere ab Abbate praedicto licite nequeunt: *Ibid. d.* 7.

69. Franciscus Maria Riccabonas lucem hausit in oppido Cento Dioecesis Bononiensis, ubi pater domicilium habebat. Anno insequenti pater discessit cum familia, ac domestica supellectili, et ob haereditatem sibi delatam, cujus bona existebant Ferrariae ad eam urbem commigravit, sedem in ea constituit, propriam inhabitans Domum, pluries quoque muneribus publicis perfunctus, quae civibus Ferrariensibus deferri solent. Instituitur in S. C. disputatio de ejusdem Francisci ordinatione; et ad Card. Archiepiscopum Bononiensem cum literis testimonialibus Card. Episcopi Ferrariae spectare judicium S. C. fuit. Nam dictus Franciscus, quum ei obvenerit alia haereditas, rediit in oppidum Centum animo perpetuo ibi vivendi seorsum a patre: *Bononien. seu Ferrarien. Ordinat.* 14. *Novem.* 1733.

70. Deliberandum adducitur, an Coadjutores alicujus Dignitatis, vel Canonicatus cum futura successione, tam in casu, quo ipsis congrua portio, aut pensio per coadjutum assignetur ex fructibus praebendae ejusdem Dignitatis, vel Canonicatus, quam in casu, quo congruam portionem sibi assignatam habeant ex propriis, vel alterius patrimonialibus bonis, donec per obitum Coadjuti fiat locus eorum successioni ad dictam Dignitatem, seu Canonicatum, licite possint ab Episcopo, in cujus Dioecesi sunt tituli ejusdem Beneficiorum residentialium sine literis Dimissorialibus Episcopi suae originis, vel praecedentis domicilii ad ordines promoveri? S. C. censuit respon-

(42) Quod incipit *Dudum* editum 25. *Octob.* 1669. (*Bull. Rom. tom* 6. *part* 6. *pag.* 364.) in quo confirmatur Bulla Paulli V. 27. *Maii* 1617. super licentia Alumnis Collegii Nationis Scotorum Parisiensis concessa suscipiendi Ordines Sacros absque literis Dimissorialibus suorum Ordinariorum ac etiam sine titulo Beneficii Ecclesiastici, vel Patrimonii, sed ad titulum paupertatis a quocumque quem maluerint Catholico Antistite.

dendum coadjutoriam Canonicatus, vel Dignitatis sufficere, ut coadjutor dicatur habere domicilium requisitum in Constitutione Innocentii XII. incipien. *Speculatores* (43) : *Tarraconen. Ordinat.* 1. *Julii* 1741. Ac denuo proposita causa, ut exactius cognosceretur rescriptum fuit in decisis praestito juramento ad formam Bullae *Speculatores* : (44) 18. *April.* 1744.

71. Franciscus Joseph Zuniga post acceptos a Gadicensi Antistite, cui et originis, et domicilii ratione subdebatur, tonsuram, et Minores Ordines ad Hispalis se contulit civitatem, ibique praeviis testimonialibus Gadicensis et Hispalensis Episcoporum a Magni Prioris Hierosolymitani seu a Vicario Generali Commendatoris de Acre literas dimissoriales pro sacris suscipiendis ordinibus obtinuit. Harum ope fuit ab Episcopo Auxiliario titulari de Metuan ordinatus. Ad Gadicensem inde rediit Dioecesim et illico fuit ab hac Curia suspensus ob non servatam Bullam *Speculatores* (45). Ab hac suspensione reclamavit Zuninga et tandem ab S. C. audivit „ se fuisse illicite ordinatum, et incurrisse suspensionem ob praefatam Bullam non servatam, ac proinde indigere absolutione : *Gadicen. seu Hispalen. Ordinat.* 20. *Januar.* 1742. *d.* 1.

72. Bonifacius de Ferrer, et Senioan ad subdiaconatus ordinem initiatus ex titulo Beneficii Ecclesiastici, ac ex titulo Patrimonii Sacri per publicum instrumentum a patre ejus constituti in annua pensione 80. libr. Barchin. super omnibus bonis, et speciatim super duobus praediis. Modo anceps est de legitima constitutione patrimonii, quod S. C. approbavit, sed renuit Episcopus Urgellen. Dimissorias transmittere, et quaeritur an idem Episcopus teneatur concedere dimissorias eidem ad suscipiendos reliquos Ordines Sacros cum Card. Urbis Vicario? S. C. rescripsit ad Card. Praefectum juxta mentem: *Urgellen. Ordinat.* 13. *Julii* 1745. *dub.* 2.

73. Clericus Jacobus Fabbrius natus in Oppido, seu Villa S. Pancratii Foroliviensis Dioecesis, quamquam postridie baptizatus in Metropolitana Ravennae, quum ad Ordines Sacros ascendere exoptaret, dubitatur ratione domicilii, an sit subditus Ravennatensis Cathedrae. Et S. C. decrevit eum licite ordinari valet ab Ordinario Ravennae. Nam ibi sive ipse, sive ejus pater fruuntur jure domicilii, instructis Ravennae ad habitandum aedibus, ac sepulcro etiam quadraginta jam ab hinc annis sibi, posterisque suis comparato. *Ravennaten. Ordinat.* 28. *Sept.* 1743.

74. Ad majores Ordines ascendere cupiens Clericus Petrus Guidius incertus est, cujus Episcopi auctoritate Feretrani vel Ariminensis Ordinatio facienda sit, ad Sacrum Tribunal con-

(43) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

(44) *Vide not. praecedentem.*

(45) 4. *Novem.* 1694. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag.* 374.) ubi §. 7. decernitur „ Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus, et Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive Domicilii subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti *Sess.* 14. *Cap.* 3. *de Reform.* quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis Constitutionis forma, et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de ejusmodi adimplemento, itaut quos eo termino elapso id minime praestitisse compererit, a susceptorum ordinum exercitio ; si ita, et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, aliisque ne in Altari, aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit. “

fugit, ac exposuit quod ipsius pater emancipatus jam Turricellam patriam suam, quae intra fines est Feretranae Dioecesis, deseruit, uxorem duxit, substantiam, laresque suos fixit in Castro, seu Podio Hybernorum in Dioecesi Ariminensi, aedes ampliavit, emptiones contraxit, onera realia, et personalia pensitavit, et in albo Decurionum Podii descriptus fuit, ac redeundi animum in sua patria deposuit, demum inter Cives Ariminenses fuit cooptatus. Petrus praedictus natus est in dicto Castro, ac Turricellam translatus, ibi operam dedit studiis, ac ordines Minores cum tonsura recepit ab Episcopo Feretrano. S. C. quaesita spectare Ordinationem ad Episcopum Ariminensem decrevit, addendo, ut praestet juramentum ad formam Bullae *Speculatores* (46): *Ariminen. seu Feretrana Ordinat.* 14. *Januar.* 1747.

75. Clericum Romualdum Sferbinium promovendum esse S. C. resolvit ad Sacros Ordines ab Episcopo Alatrino non autem ab Episcopo Verulano. Nam licet ille Frusinone ortum habuerit, tamen Georgius pater Vici ortus est, ubi bona sua possidet, et ubi fundatum est etiam beneficium jurispatronatus suae familiae quod habet filius Romualdus, ac nativitas ejusdem evenit, quia optimum duxit uxorem, ac liberos, donec jurisdicendi Praefectus esset, eam apud consanguineos Frusinone relinquere: *Alatrina seu Verulana Ordinat.* 18. *Martii* 1747.

76. Ad Capellaniam unam de qua agitur ex amovibilibus erectis a Jo. Augustino Cappelli in loco Vulturis est ordinandus Cadicis, vel Genuae; servata Constitutione Innoc. XII. incipien. *Speculatores* (47) Clericus Emmanuel Antonius de Donghis jam coram Ordinario Januensi praesentatus: *Januen. Capell.* 26. *Febr.* 1752. *dub.* 2.

77. Joseph Rosati Amerinus Viterbium se contulit, unde matri origo erat, in qua plurima bona materna possidebat, uxoremque duxit, ac progenuit filium Aloysium, qui Clericali tonsura ab Episcopo Viterbiensi fuit insignitus. Validitatem hujus promotionis in dubium revocavit Episcopus Amerinus, et S. C. pro validitate decrevit. Nam Joseph pater deseruit animum Ameriam redeundi, et novum domicilium Viterbii longo quadraginta trium annorum incolatu contraxit: *Viterbien.* 12. *Maii* 1753.

78. Nuptias contraxit Franciscus Roberti civis terrae Montis Bodii, quae in Dioecesi Senogalliensi est cum Catharina Fabri Cive Castri Paterni, quod situm est in Dioecesi Anconitana, et quia pinguem ab uxore dotem recepit, Montem Bodium deseruit, et lares, fortunasque suas transtulit Paternum; inter Decuriones ibi cooptatus fuit, domumque emit, quam 26. annorum spatio habitavit, et tunc etiam incolit. Occasione qua Raimundus ejus filius initiari in militia Clericali exoptat, S. C. quaestionem de Ordinationis pertinentia resolvit in favorem Episcopi Anconitani, facta declaratione medio juramento per Franciscum patrem juxta Bullam *Speculatores* (48): *Anconitana, seu Senogallien. Ordinat.* 28. *Sept.* 1754.

79. Cum conditione, ut tonsuram susciperet, praesentatus fuit Joseph a Prado ad Capellaniam in Parochiali Ecclesia S. Eulaliae Urbis Murciae fundatam. Hac de causa absente Episcopo a Vicario Generali postulavit, ut literas dimissoriales concederet. Sed rejectus fuit, quia filius, et nepos esset obstetricum, licet germanus frater

(46) *Vide not.* 29.
(47) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.
(48) *Vide not.* 29. *praecedentem.*

ordinatus fuerit. Locus fuit illi apud S. C. quaerendi, et revera dandas esse dimissorias S. C. censuit: *Carthaginen. Ordinat.* 10. *Maii* 1755.

80. Ab Episcopo Spoletano Clericum Petrum Dati, qui originem, domicilium, ordinationem, beneficium, et examen habuit in Dioecesi Spoletana, ad Sacros Ordines promovendum esse, non vero ab Episcopo Amerino, qui illi tria beneficia simplicia contulit, quorum quodlibet non congruam Clerici conservationem praebet, et ad unionem adapta juxta dispositionem Constit. Innoc. *Speculatores* (49) sunt, S. C. existimavit: *Spoletana Ordinat.* 20. *Novem.* 1756. *dub.* 1.

81. Carolus Pace Amalphim studiorum causa petiit, deinde commigravit Neapolim ubi tonsuram ratione Capellaniae accepit, et inhonestam degit vitam, rediit Amalphim, ubi ordines quatuor minores habuit. Sed ei majores ordines conferre uterque Archiepiscopus abnuit, ideo quaerit modo an, et a quo Archiepiscopo Neapolitano, vel Amalphitano sit promovendus ad Sacros Ordines? responsum retulit, arbitrio Amalphitani Archiepiscopi tanquam Ordinarii: *Amalphitana Ordinat.* 3. *Aug.* 1765.

82. Quum Joseph Maria Giorgii Florentinae Civitatis patriam deserens ad Oppidum S. Gregorii Tiburtinae Dioecesis jamdiu se contulerit, ibique cum uxorem duxisset, vineam, aliquot praediola acquisivisset, immoratus est per 4. annos continuos inde ut suo Chirurgi officio fungeretur ad Canariae terram venit Dioecesis Assisiensis, ubi filium Johannem Vincentium Stanislaum habuit, ac postea ad Montis Falchi Spoletanae Dioecesis Castrum transiit. Locus hic habet dubitationis, ad quem spectaret ordinatio Johannis? S. C. rescripsit spectare Ordinationem Johannis Vincentii Giorgii ad Episcopum Tyburtinum praevia tamen declaratione medio juramento per Josephum patrem facienda juxta Bullam *Speculatores* (50): *Florentina, et aliar. Ordinat.* 10. *Januar.* 1778.

83. Disquiritur, utrum a quocumque Catholico Antistite promoveri possint Regulares degentes in Dioecesi, ubi Sedes Episcopalis vacet, ad sacros ordines cum literis dimissorialibus suorum Praelatorum, et cum fide Vicarii Capitularis testantis de Sedis Episcopalis vacatione? S. C. explicavit dubium dando decreta dierum 24. Aug. 1619. et anni 1675. sub die 20. Julii (51) facto verbo cum SSmo: *Tirasonen. Visit. SS. LL.* 13. *Julii* 1784.

84. Sacerdos Dominicus Amurri Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Mariae oppidi Offidae ob ingravescentem ejus aetatem constituit sibi coadjutorem Vincentium Andreanum ex sorore nepotem in minoribus ordinibus constitutum. Hic sicut erat ex oppido Carassai, petiit ab Episcopo Firmano Literas testimoniales, quas Episcopus Asculanus requisiverat. Renuit ille Episcopus has concedere, et ad S. C. re relata, scribi Episcopo juxta mentem (52) voluit: *Asculana Coadjut.* 12. *Martii* 1785.

85. Marcus Antonius Pettirossi natus Romae ex patre Camerinensi, et matre Sutrina, a nativitate fere domicilium Sutrii habuit, tonsuram accepit ab Episcopo Sutrino cum dimissoriis Antistitis Camerinensis. Modo in Sutrina Cathedrali obtinet Canonicatum reditus scut. 56., et exoptat Minores,

(49) *Vide not.* 41. *pag.* 275.
(50) *Vide not.* 29. *pag.* 269.
(51) *Vide num.* 8. *et* 17. *praesenti* §.

(52) Mens est, ut dicat aut graves recusationes causas, aut det testimoniales: *Ead. caus.* 12. *Martii* 1785.

et sacros Ordines suscipere. Hinc consulta S. C. decidit ejusdem Ordinationem subditi Archiepiscopi Camerinensis spectare ad Episcopum Beneficii: *Camerinen. seu Sutrina Ordinat.* 17. *Sept.* 1791.

86. Ordines Sacros conferendos esse declaratur a Card. Episcopo Anconitano cum testimonialibus Archiepiscopi Camerinensis Sancti Tosi, qui origine Camerinensis natus est Anconae, ubi se contulit avus, et pater, ibique moram duxit per annos 20., et primam tonsuram, minoresque Ordines ab Anconitano accepit Episcopo: *Anconitana, et Camerinen. Ordinat* 14. *Martii* 1795.

87. Thomas Gentilucci causa artis exercendae se contulit cum sua uxore a Fabriano, patria Camerinum, et uxore defuncta secundam Camertem duxit, ex qua Josephum suscepit. Hic postulavit Episcopum Camerinensem pro prima tonsura, qui renuit, quod neque pater, neque filius diuturnum confirmasset domicilium juramento de continuando. Ideo adiit cum patre Fabriani Episcopum nuper defunctum, a quo jurata declaratione per utrumque emissa numquam se per diuturnam moram in Camerinensi Civitate voluntatem constituendi in ea domicilium habuisse, sed animo semper retinuisse illud patriae suae Fabriani, obtinuit tonsuram, inde Ostiariatum absque testimonialibus Archiepiscopi Camerinensis. Postea cum patre rediit Camerinum, et causa studiorum oppidum Murri Senogalliensis Dioecesis degit. Ætate procedens petit reliquos ordines. At in comperto non fuit de legitima Collatione Tonsurae, et Ostiariatus. Licitam illam non fuisse ordinationem S. C. declaravit: *Fabrianen. et Camerinen. Ordinat.* 19. *Aug.* 1797. *dub.* 1.

88. Inde resolutum Oratorem promovendum esse ad alios Ordines per Episcopum Fabrianensem cum literis testimonialibus Archiepiscopi Camerinensis, et Card. Episcopi Senogalliensis *Ibid. dub.* 3.

§. III.

Sacramentum Ordinis quoad Literas Dimissoriales adulteratas.

Quum per tres Sententias coactus fuisset Mendus Rodriquez de Castelbranco ad contrahendum Matrimonium cum Maria Gonsalves de Candeas, quam defloraverat cum praecedentibus sponsalibus verbo initis, ac postea scripto confirmatis, opposuit se minoribus, ac Sacro Subdiaconatus Ordine fuisse insignitum ab Episcopo Fulsilibensi praeviis dimissorialibus proprii Ordinarii Portalegrensis. At comperto dictas dimissorias fuisse adulteratas, Maria praedicta recursum habuit in S. C. in qua perpensum fuit; an de ordinis validitate constaret? rescriptum est validum esse ordinem, et injungendum Episcopo quatenus procedat contra Mendum prout de jure: *Portalegren. Ordinat. ac Spons.* 5. *April.* 1704.

§. IV.

Sacramentum Ordinis quoad Literas Testimoniales.

1. Dubium est excitatum, an Clerici Neapolitanae Dioecesis Sede Archiepiscopali vacante fuerint licite ordinati vigore Brevium extra temporum nuncupatorum ab aliis Episcopis cum solis testimonialibus Literis Vicarii Capitularis Neapolis absque Dimissorialibus viciniorís Episcopi? respondit S. C. *negative: Neapolitana Ordinat.* 15. *Decem.* 1685. *dub.* 1.

2. Dominicus Lucanus oriundus ex Dioecesi Hieracensi licet natus in urbe Neapolis cupiens ad Ordines promoveri non potuit obtinere literas testimoniales a Card. Archiepiscopo Neapolitano, ut ab Episcopo Hieracensi Sacros reciperet ordines ad titulum patrimonii. At

S. C. praecepit, ut Card. Archiepiscopus concedat ei literas testimoniales, dummodo non obstet aliud impedimentum Canonicum: 27. *Junii* 1699. Deinde recessit S. C. a decisis, et ad eumdem Card. Archiepiscopum ordinationem spectare decrevit: *Neapolitana seu Hieracen. Ordinat.* 15. *Januar.* 1701.

3. Ratione paternae originis, ac propriae Nicolaus Gualderius subditus erat Archiepiscopi Neapolitani, sed ratione originis avitae Clericalem tonsuram, minores, ac subdiaconatus ordines ab Episcopo Scalensi, et Ravellensi ante Constitutionem Innoc. XII. Pont. Max. (53) habuit. Quaestione inde constituta super pertinentia ordinationis ad reliquos ordines, ac testimonialium necessitate, S. C. respondit ordinationem spectare ad Episcopum Ravellensem cum testimonialibus Archiepiscopi Neapolitani quoad vitam, et mores tantum: *Neapolitana, seu Scalen., et Ravellen. Ordinat.* 19. *Febr.* 1701. *d.* 1. *et* 2.

4. Ante constitutionem S. M. Innoc. XII. incipien. *Speculatores* (54) Julius Caesar Fortunatus initiatus extitit ad primam tonsuram ab Episcopo Anglonae ratione originis paternae, ac vigore dimissorialium ejusdem promotus fuit ad quatuor ordines ab Episcopo Accerrensi; natus ipse erat in urbe Neapolitana, ut itaque ad Sacros Ordines ascenderet, instante Archiepiscopo Neapolitano. S. C. quae fuit interrogata, censuit ordinationem praedictam spectare ad Episcopum Anglonae previis testimonialibus literis Card. Archiepiscopi Neapolitani: *Neapolitana, seu Anglonen. Ordinat.* 29. *April.* 1702.

5. Exoptans Guillelmus Moers Canonicus Ecclesiae Collegiatae Aquisgrani ad Sacrum Diaconatus ordinem promoveri expetiit a Capitulo literas testimoniales super vita, et moribus. Sed hae denegatae fuerunt sub praetextu, quod non morem geret erga praedictum Capitulum contra dispositionem statutorum. Ideo habito recursu in S. C. Haec esse concedendas resolvit inspecta venia jam petita a Capitulo: *Leodien. Testimon.* 17. *Junii* 1702. At opponente Capitulo plures defectus habuisse circa mores, arbitrio, et conscientiae Episcopi eadem S. C. rem commendavit: 2. *Decem. ibid.*

6. Joannes Baptista Montanus Clericus primae tonsurae Firmanae Dioecesis previis dimissorialibus literis ab Episcopo Lauretano, cui inserviebat, ad Minores Ordines promotus fuit; pro sacris vero Ordinibus easdem dimissorias obtinere nequivit, interim vero beneficium residentiale in Cathedrali Lauretana, ac inde Breve dispensationis obtinuit, quo sibi facultas facta est, ut vel ab Episcopo Lauretano, vel cum ejus dimissorialibus, et testimonialibus Firmani a quocumque Antistite tribus diebus Festis promoveri valeret: hoc relato Brevi ab Episcopo Lauretano absque testimonialibus Firmani ad sacros ordines promotus fuit: perspicua inde non fuit Ordinationis praedictae validitas, et S. C. Ordinationes contra formam Constitutionis Innoc. XII. (55) expletam fuisse declaravit: *Firmana seu Lauretana Ordinat.* 14. *Novem.* 1703. *dub.* 1.

7. Franciscus Jacobus Pintus ex oppido Castellanae Romae tonsura Clericali initiatus, ac exoptans ulteriores ordines adipisci, exhibuit pro patrimonii titulo instrumentum donationis quorumdam bonorum, quae quum non

(53) Pont. Max. *Speculatores* 4. *Nov.* 1694. §. 4. *vide not.* 26.

(54) 4. *Novem.* 1694. *vide not.* 26.

(55) Quae incipit *Speculatores* 4. *Nov.* 1694. *vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

sufficiant, elargita nonnulla alia bona fuerunt. Haec omnia reditus sunt ducat. 41. gran. 43. At obstante Communitate dicti loci disputato dubio, an injungi debeat Vicario, ut concedat literas testimoniales? Responsum prodiit ut Ordinarius procedat prout de jure ad formam Concilii(56): *Nullius Castellanae, seu Conversanen. Ordinat.* 9. *April.* 1707. *dub.* 2.

8. Postulatum quum esset, an subditis Episcopi Bosanensis tam ratione domicilii, quam originis, qui ratione studiorum moram traxerunt in Civitate Saxerensi, potuerint ad ordines promoveri ab eodem Episcopo sine testimonialibus Archiepiscopi Turritani? S. C. responsum affirmativum dedit: *Turritana seu Bosanen. Jurisd.* 17. *Martii* 1708. *dub.* 8.

9. Philippus Polichettus natus in Dioecesi Cavensi post biennium translatus ad locum S. Potiti patriam genitoris Dioecesis Salernitanae nullis obtentis literis, sive dimissorialibus, sive testimonialibus, vel Episcopi Cavensis, seu Salernitani Archiepiscopi fuit prima tonsura initiatus ab Abbate Monasterii SS. Trinitatis Cavensis Ordinis S. Benedicti. Hinc necesse fuit declarationis S. C., quae dixit dictum Abbatem licite non potuisse conferre Clericatum dicto Philippo: *Salernitana Ordinat.* 12. *Januar.* 1709. *dub.* 1.

10. Laquedoniensis Episcopus beneficium contulit Ignatio Lamoreae Clerico jam effecto ex asserta licentia Bisuntini Praesulis, cui ratione originis subjiciebatur, indeque Minores, et Sacros Ordines eidem contulit absque testimonialibus literis Bituntini Episcopi ex quo, ut ipse asserebat, nihil Lamorea testificari posset Bituntinus Episcopus; nam Ignatius semper cum Laquedoniensi Episcopi necessitudinis titulo cohabitaverat, ac insuper sanguinis vinculo eidem junctus erat: de hac ordinatione conquestus fuit Bituntinus Antistes, et illicita a S. C. re perpensa declarata fuit: *Laquedonien. seu Bituntina Ordinat.* 10. *Novem.* 1709. *dub.* 1.

11. Dubium excutitur, an Episcopus Algerii possit promovere ad ordines ejus Dioecesanos, qui per tempus interruptum a sua Dioecesi causa studiorum abfuerint, absque literis testimonialibus Episcopi Dioecesani? dando Decretum in Turritana, seu Bosanen. 17. Martii 1708. ad dub. 8.(57) enucleatur: *Algaren. seu Turritana Jurisd.* 3. *Aug.* 1709.

12. Osualdus Rinaldus oriundus e Civitate Venetiarum ejusdem Ecclesiae Parochiali S. Mariae Jubenicorum inserviens accepit duos primos Minores Ordines a Card. Patriarcha. Post modum adscriptus servitio Ecclesiae Ducalis S. Marci obtinuit simplex beneficium S. Leonardi de Orgnano Tarvisinae Dioecesis cum onere Missarum, ac hujus Dioececesis Vicarius Capitularis renuit cum testimonialibus Primicerii Ecclesiae Ducalis tradere dimissoriales literas ad alios ordines suscipiendos ex defectu testimonialium Patriarchae Venetiarum. Re in S.C. relata *per sum. prec. die* 11. *Januar.* 1709. rescriptum est, quando constat de beneficio sufficienti in Dioecesi Tarvisina ad formam Bulla *Speculatores*(58) concedendas esse dimissoriales a Vicario Capitulari Tarvisino ejus arbitrio, et praeviis literis testimonialibus Patriarchae Venetiarum; et quatenus beneficium praedictum non sit sufficiens, spectare ad Patriarcham Venetiarum literas dimissoriales, et hoc decretum confir-

(56) *Sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform. vide not.* 86.
(57) *Vide num.* 8. §. *praesenti.*
(58) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

mat: *Venetiarum, seu Tarvisina Ordinat.* 29. *Martii* 1710.

13. Franciscus Fantaccinus oriundus ex oppido Campiliae Messanae Dioecesis, et Cancellarius Episcopalis Grosseti beneficium simplex obtinuit cum annuali onere Missarum 8., et aliud hebdomadale scut. 25. in urbe Grosseti, ac ab Episcopo Grossetano in subdiaconatum et Diaconatum ordinatus fuit praeviis literis dimissorialibus Messanae Antistitis. Tandem a Cancellariae munere digressus ad patrios lares rediit, et Episcopus Grosseti Sacerdotium contulit inscio Ordinario Messanensi. S. C. in hac obscuritate, ac dubitatione placuit pronunciare non constare de licita, et canonica ordinatione: *Grossetana seu Massanen. Ordinat.* 11. *Junii* 1712. *dub.* 1.

14. Subditi Abbatiarum in oppido Centulae, et Controni extantium quoad tonsuram, ordinesque suscipiendos ita subjiciuntur Episcopo Caputaquensi, ut pro hujusmodi effectu nec testimoniales literae earumdem Abbatum requiruntur: *Caputaquen. Jurisd.* 17. *Decem.* 1712. *dub.* 2.

15. Sub simulatione quod Capitulum insignis Ecclesiae Collegiatae S. Deodati sub nullius Dioecesis in Provincia Triverensi existat cum ordinaria jurisdictione in territorio nuncupato Vallis Gallilaeae, unus ex Praebendatis dictae Collegiatae oriundus ex Dioecesi Tullensi ab Episcopo expetiit literas testimoniales ad ordines suscipiendos juxta *Const. Speculatores* (59). At Episcopus illas donare abnuit, et tantum dimissoriales tribuere asseruit. Quaestio instituta fuit, et resolutum jus concedendi literas dimissoriales Clericis Ecclesiae praedictae, aliisque personis illius territorii, quae promoventur ad ordines non competere Capitulo; et quoad Episcopum Tullensem, an ei competat? expenso, protelata fuit responsio, ut coadjuventur probationes juxta instructionem, et interim per modum provisionis, et sine praejudicio jurium partium dari dimissoriales a Metropolitano Trevirensi (60) fuit mandatum: *Nullius seu Tullen. Jurisd.* 24. *Aug.* 1715. *dub.* 1.

16. Jo. Franciscus Ranierus civis Aquipendii Subdiaconus secessit ad Castrum Fighini Clusinae Dioecesis, ubi nonnulla bona possidet, ac obtento Canonicatu Presbyterali Cathedralis Ecclesiae cum dimissoriis Episcopi Clusini, ac testimonialibus literis Episcopi Aquipendii ejusdem habilitatem testantibus, diaconatum suscepit. At modo idem Episcopus Aquipendii exponit non esse idoneum, nec scientia, nec moribus, ac testimoniales esse restrictas ad solam beneficii consecutionem. Susceptum fuit examen de validitate Ordinationis, et primum S. C. rescripsit dilata, et ad mentem: *Aquipendien. seu Clusinae Diaconatus* 16. *Maii* 1716: Deinde iterum ad mentem 10. *April.* 1717. Denique, nullam ei molestiam exhibendam esse responsum fuit: 13. *Novem. ejusd. anni.*

17. Matthaeus Coccionus Romae natus, per decennium moram traxit in Civitate Theatina, deinde ad oppidum Nespoli territorii Farfensis domicilium transtulit, ubi jam ab annis decem commorabatur: Ordines Minores a Card. Urbis Vicario, uti Episcopo Originis susceperat; dubitationem ortam de Sacrorum Ordinum collatione tollit S. C. decernens Card. Abbatem Farfensem dimissoriales eidem concedere posse, uti domicilii Ordinarium praeviis testimonialibus literis Card. Urbis Pro-Vicarii, et Archiepiscopi Theatini: *Ro-*

(59) *Vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

(60) *Vide not.* 34. *pag.* 272.

mana, seu Nullius Farfen. Ordinat. 5. *Junii* 1717.

18. Prosper Ascensianus subditus ratione originis, et domicilii Archiepiscopi Firmani, ab ipso Clericali tonsura insignitus fuit; post consequutionem Canonicatus in Cathedrali Maceratensi ab illius Episcopo absque testimonialibus Firmani ad Sacerdotium usque evectus fuit, ac Vicarius Generalis Ecclesiae Tolentinae inde constitutus. Adducitur in dubitationem ordinatio. At S. C. aperuit expletam fuisse contra formam Constitutionis Innoc. (61): *Tolentina Ordinat.* 2. *Octob.* 1717. *dub.* 1.

19. Renatus de Massa cum dimissoriis Card. Archiepiscopi Neapolis, ubi natus est, Ordini Clericali adscriptus fuit ab Episcopo Venafri ejus patruo, et provisus a Card. Archiepiscopo de Capellania, seu beneficio erecto in Cathedrali Vice Equensis, et sufficienti ad congruam Sacerdotalem anno 1715. promotus fuit ad minores ac Sacros Ordines ab Episcopo beneficii cum testimonialibus Archiepiscopi, et Episcopi Venafri asserentis semper apud nos ab ejus infantia vixisse. Hanc Ordinationem uti illicitam impugnat Curia Archiepiscopalis Surrentina, cui subditus erat pater Renati; et occasione Mercaturae natus sit Neapoli. S. C. primum rescripsit, ut coadjuventur probationes juxta mentem (62): *Neapolitana, seu Surrentina Ordinat.* 11. *Decem.* 1717. Deinde dictum Sacerdotem non esse licite ordinatum: 21. *Maii* 1718. (63).

20. Ordinationem Benedicti Manelli ad Episcopum Vico Equensem spectare cum testimonialibus Card. Archiepiscopi Neapolitani, S. C. visum est; nam ejus pater ortum duxerat in Civitate Vici, ibique bona stabilia possidebat, onera communitativa solvebat, sed ad artem argentariam exercendam inde Neapolim se transtulerat, ubi uxorem suscepit, et filios, inter quos Benedictus enumerabatur: *Neapolitana, seu Vico-Equen. Ordinat.* 12. *Martii* 1718.

21. Guillelmus Melfort origine Scotus ex Haereticis Genitoribus Londini natus est, qui ab jurata haeresi Catholicam Fidem amplexi fuerant. Dum is in aetate duorum annorum constitutus erat, et postquam ab Administro Anglicanae Ecclesiae Baptismum receperat, expleto studiorum cursu in Universitate Duacensi ab Episcopo Atrebatensi Sacramentum Confirmationis recepit, Galliis vero primam tonsuram, Minoresque Ordines ab Antistite Nivernensi. Tandem Romam pervenit et Archipraesbyteratum obtinuit in Collegiata Ecclesia S. Eustachii, cupiens itaque ad Sacros Ordines ascendere quaesivit, an per testes explere posset probationes de vita, moribus nec non Baptismi, et Confirmationis susceptionem, deficientibus testimonialibus literis Ordinariorum juxta praescriptum Bullae *Speculatores* (64)? et S. C. respondit dilata, et ad mentem: *Romana* 21. *Maii* 1718. *dub.* 6.

22. Collata ab Archiepiscopo Sypontino Mansionaria Residentiali una cum simplici beneficio Johanni Pace Clerico Romano, assecutus est etiam supplementum patrimonii Sacri ex bonis patrimonialibus ipsius Archiepiscopi, atque hoc pacto eidem facta fuit facultas a S. C. ascendendi ad Ordines Sacros: actum etiam fuit, an literae testimoniales vel dimissoriales a Tribunali Card. Urbis Vicarii dandae forent? rescriptum fuit dandas esse a

(61) *XII. Speculatores* 4. *Novem.* 1694. §. 3. *vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

(62) *Vide not.* 37. *pag.* 273.

(63) *Vide not.* 38. *pag.* 273.

(64) §. 3. *vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

Card. Urbis Vicario literas testimoniales, et dimissoriales ad normam taxae Urbis (65): *Romana, seu Sypontina* 23. *Julii* 1718. *bub.* 2.

23. Franciscus dello Schiavo oriundus ex terra S. Johannis Dioecesis Caputaquensis, natusque Neapolis occasione qua pater in ea commorabatur et adhuc moratur, petiit literas testimoniales a Curia Archiepiscopali, ad suscipiendam Clericalem tonsuram ab Episcopo Caputaquensi, in cujus Dioecesi patrem bona possidebat, et onera solvebat. Ast res in quaestionem posita est; S. C. primum censuit ordinationem spectare ad Archiepiscopum Neapolitanum. Modo autem sententiam rescindit, et sancivit ordinationem spectare ad Episcopum Caputaquensem cum literis testimonialibus Card. Archiepiscopi Neapolitani: *Caputaquen. seu Neapolitana Ordinat.* 8. *Febr.* 1721.

24. Absque ullis literis Episcopi Tusculani tonsuram, ceterosque omnes Ordines Franciscus Antoniuccius a Card. Urbis Vicario suscepit. Inde emersit quaestio, an licita foret ordinatio? pater enim Francisci e Civitate Tusculi oriundus domicilium acquisivit in Urbe, ubi matrimonium contraxit, filiosque procreavit, retinuit tamen domicilium majoremque partem bonorum in urbe eadem Tusculi, et Franciscus usque ad 14. aetatis suae annum Tusculi moram traxerat; Episcopus vero Tusculanus absque suis literis dimissorialibus, vel saltem testimonialibus ordinari non potuisse ajebat, et S. C. respondit non fuisse licite ordinatum: *Romana seu Tusculana* 27. *April.* 1720.

25. Ordinationem Francisci Mariae Riccoboni spectare ad Card. Archiepiscopum Bononiae cum literis testimonialibus Card. Episcopi Ferrariae decrevit S. C., quamvis enim ejus pater ex oppido Cento Bononiensis Dioecesis Domicilium suum transtulisset una cum sua familia ad Civitatem Ferrariae occasione sibi delatae haereditatis, nihilominus Franciscus Ordinandus causa alterius similis haereditatis iterum ad oppidum Cento redierat: *Bononien. seu Ferrarien. Ordinat.* 14. *Novem.* 1733.

26. Testimoniales literas assecutus erat Clericus Laurentius Meldicheschius ab Episcopo Pientino cui ratione originis, et domicilii suberat pro discessu a sua Dioecesi ad Sacros Ordines, inde promotus fuit ab Antistite Ilcinensi ratione Beneficii, quod ei contulerat; super beneficii amovibilitate vel perpetuitate quaestio facta fuit inter utrumque Episcopum et ex formae testimonialium defectu ad formam Innocentianae constitutionis (66) illicitam putabat. Ordinationem Pientinus Praesul, et literas praefatas sufficientes fuisse ad licitam Ordinationem declaravit S. C. *Pientina seu Ilcinen. Ordinat.* 18. *Julii* 1733. *Dub.* 3. Et reproducta causa ponderato tenore testimonialium, et ad quem effectum concessae fuerant susceptum consilium S. C. deposuit 8. *Aug. ejusd. anni.*

27. Petrum Xaverium de Antoninis tonsuram ab Episcopo Asculano, cui ratione paternae Originis subjiciebatur, ac Minores Majoresque Ordines ab Episcopo Ripano cum dimissorialibus Asculani Antistitis illicite suscepisse declaravit S. C. Deficiebant enim testimoniales literae Episcopi Montis Alti ubi novem circiter annorum spatio commoratus fuerat, ac ibidem etiam ab ejus patre patrimonium Sacrum constitutum: *Asculana, sive Montis Alti Ordinat.* 7. *Febr.* 1733. *dub.* 2.

28. Decrevit S. C. non licuisse Episcopo Amatuntae et Vicario Generali Emi

(65) *Quae est scut.* 60.

(66) §. 3. *vide not.* 75. *tom.* 1. *pag.* 60.

Archimandritae Massanensi promovere Jacobum Mazzeo ad quatuor Minores Ordines, et Subdiaconatum absque testimonialibus Archiepiscopi Messanensi, a quo Clericalem tonsuram receperat, et in Civitate Messanae ortum duxerat, quamvis de Beneficio Ecclesiastico ab ipso Episcopo Amatuntae in Dioecesi Archimandritae provisus foret, et quamvis etiam in actu Ordinationis Episcopus Ordinans a suo Secretario requisierit, num testimoniales Archiepiscopi Messanae adessent? et affirmativum retulerit responsum: inde vero compertum fuit adesse tantum testimonium Notarii Curiae Archiepiscopalis, qua asserebatur Jacobum nullo Canonico impedimento irretitum fuisse. Huic resolutioni S. C. addidit ut Episcopus consulat conscientiae suae: *Messanen. Ordinat.* 12. *Sept.* 1739.

29. Quum Sacros Ordines suscipere cuperet Joseph Ambrosionius Episcopo Bergomi preces obtulit, sed ex defectu scientiae non semel rejectus fuit praeviis iteratis examinibus. Hic Veglam petiit, et illius Episcopi servitio addictus Theologiam Moralem excoluit et novo sese subjiciendi judicio Examinatorum illius Dioecesis ei sors arrisit. Postulavit itaque ab Episcopo Bergomi literas Dimissoriales, sed ille eas renuit transmittere, adiit hinc. S. C. in qua disputato dubio an Episcopus Bergomi teneatur concedere testimoniales literas? rescripsit dilata, et Orator se subjiciat novo examini coram Metropolitano in casu de quo agitur. *Bergomen. Ordinat. seu Liter. Testim.* 18. *Junii* 1746. Et quum sortitus esset suffragia favorabilia affirmativam habuit responsionem. 17. *Junii.* 1747.

30. Postquam Franciscus Zapperius ortus in oppido Monticellorum Dioeceseos Burgi S. Domnini Militiae sacrae adscriptus fuerat ab Episcopo Burgensi, domicilium elegit in urbe Cremonae, cujus Episcopus petiit literas testimoniales ab Episcopo Burgensi, in cujus curia beneficium acceperat. At Episcopus Burgensis plures referens causas noluit eas concedere, et tamen Episcopus Cremonensis Minores Ordines contulit Francisco. Inde literas testimoniales concessit Episcopus Burgensis, ut a quocumque Antistite promoveri posset ad Sacros Ordines absque expressione de aetate, natalibus, moribusque ordinandi. Actum proinde fuit an constaret de legitima hujusce ordinatione? et incidisse in poenas Bullae *Speculatores* (67) sancivit S. C.: *Burgi S. Domnini seu Cremonen. Ordinat.* 1. *Aug.* 1750. *dub.* 1.

31. Post biennem moram in Seminario Fabriani, et acceptum subdiaconatum, se Jo. Rossetti de Castro Domi, ad Castrum contulit Ferratum Nucerinae Dioecesis, ibique perpetuam in titulum ulterius ordinationis obtinuit Capellaniam annui reditus scut. 60. Postmodum testimoniales bis literas quaesivit ab Episcopo Fabriani, et ob constantem ejus repulsam adiit S. C., quae decrevit licere Episcopo beneficii conferre Oratori Ordines Sacros absque literis testimonialibus Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo. Nam Orator a genericis sui Ordinarii imputationibus se purgavit, et amplissima exhibent testimonia de ejus vita, et moribus: *Fabrianen. Ordinat.* 21. *April.* 1792.

§. V.

Sacramentum Ordinis quoad Materiam.

1. Quum Joseph Baldus loci Bellantis reportasset ab Episcopo literas patentes tantum ad obtinendam primam tonsuram, pro qua fuit examinatus, in

(67) §. 8. *vide not.* 75, *tom. I. pag.* 60.

ordinatione asserens se ad alios Ordines minores vocatum, se immiscuit cum aliis ordinandis, et materiam primi et secundi Ordinis tetigit, modo supplicat an sint suscepti Ordines Minores reiterandi? et censuit esse reiterandos sub conditione in casu de quo agitur: *Apruntina Ordinum* 11. *Januar.* 1710. *dub.* 3.

2. Frater Franciscus Ordinis Cappuccinorum cum dimissorialibus sui Superioris accessitus ab Episcopo Senogalliae pro suscipiendo sacro subdiaconatus Ordine fuit. In actu collationis tetigit quidem Calicem, et Patenam, non autem Librum Epistolarum ex inconsiderantia Antistitis; hinc dubitatur ei deficere potestatem legendi Epistolas. S. C. decrevit esse supplendum per Episcopum etiam privatim: *Ordinis Cappuccinorum, seu Senogallien. Ordinat.* 10. *Januar.* 1711.

3. Santandriensis Episcopus S. C. quae omnibus consilia sua dispensat, consuluit, ut ei indicare dignetur, quid in casu sentiat, utrum scilicet valida censenda sit an iteranda, sin minus sub conditione ordinatio cujusdam Presbyteri, qui in sua Ordinatione tantum tetigit patenam calici superpositam non tamen calicem ipsum. S. C. ut scribatur Episcopo juxta mentem (68) respondit: *Santandrien. Dubium Ordinat.* 28. *Maii* 1796.

§. VI.

Sacramentum Ordinis quoad Potestatem conferendi.

1. Quum Abbas ex privilegio S. Pii V. Sum. Pont. (69) facultatem habentem ea omnia faciendi, quae facere potest Abbas benedictus de mandato Vicarii Apostolici, quibusdam secularibus non sibi, sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram, et Ordines Minores contulisset, qua de causa Concilio (70) contravenit, et Constitutioni Sixti V. (71) S. C. decernit characterem tamen Ordinatis impressisse: *Cremonen.* 13. *Junii* 1591. *dub.* 2.

2. A S. C. refertur = Retuli Sanctissimo Domino Nostro multos in Dioecesi Papien. extare Clericos, qui bona fide de licentia quondam Hippoliti de Rubeis tunc Episcopi Papien. fuere ab Abbatibus Regularibus benedictis sive habentibus a Sede Apostolica privilegium, quod solent habere Abbates benedicti ad clericalem tonsuram, et quatuor Ordines promoti, quorum deinde aliqui ad Diaconatum, alii vero ad Presbyteratum, rite tamen alias a suis Episcopis promoti sunt, et plures obtinuerunt beneficia. Et quia uti male promoti fuere cum hodie Abbatibus Regularibus stante decreto Concilii Tridentini *cap.* 10. *sess.* 23. *de reform.* (72) minime competat ista facultas, nomine moderni Episcopi Papien. a quo, ac de re literas accepi, supplicari Sanctissimo Domino Nostro pro absolutione, et rehabilitatione omnium praedictorum perinde ac si a suis Episcopis canonice promoti fuissent: et Sanctissimus Dominus Noster ex sua benignitate absolutionem, et rehabilitationem praedictas concessit, ac voluit per li-

(68) Juxta quam nomine S. C. Episcopo scriptum est ,, ut verificatis expositis per examen Oratoris, et Magistri Caeremoniarum, qui praesto fuit ejusdem Ordinationi, quatenus haberi possit, procedat ad secreto iterandam ordinationem ex integro sub conditione, praestito tamen per omnes necessario Interessentes in praefata ordinatione Juramento servandi secretum. Ad effectum vero hujusmodi ordinationem extra tempora habendi, S. C. censuit per infrascriptum Secretarium audiendum fore Sanctissimum Patrem, cui peracta relatione, in casu dumtaxat, de quo agitur, benigne dispensavit. ,, *Rel. in Regist. Lit. Lib.* 35. *die* 28. *Maii* 1796. *pag.* 372.

(69) *Vide not.* 2. *tom.* 1. *pag.* 4.

(70) *Vide not.* 3. *tom.* 1. *pag.* 2.

(71) *Vide not.* 4. *tom.* 1. *pag.* 2.

(72) *Vide not.* 5. *tom.* 1. *pag.* 4.

teras Congregationis nomine scriptas praedictorum testimonium perhiberi. *Papien.* 25. *Octob.* 1594.

3. Declaravit S. C. secularem tonsuratum ab Abbate Benedicto, vel habente privilegium, ut possit ea omnia, quae potest Abbas Benedictus, quamvis ab eo non debuerit ordinari ob ademptam sibi a Concilio seculares ordinandi facultatem, recepisse tamen characterem, secus si Abbas non esset benedictus vel tale privilegium non haberet: *Dubium Ordinat.* 11. *Maii* 1624. (73).

4. Decretum fuit, quod jam ordinatos ab Abbatibus benedictis Regulares non subditos, etiamsi cum literis dimissorialibus Superiorum eorum Regularium ad primam tonsuram, et Ordines Minores, facto verbo cum Sanctissimo Domino Nostro esse absolvendos a quibuscumque poenis in quas incurrerunt, et convalidandos Ordines eisdem collatos, hanc resolutionem facta relatione Sanctissimo, Sanctitas sua approbavit, et convalidavit Ordinationes huc usque factas. Inde S. C. decretum pubblicavit et observari mandavit: *Catanien.* 15. *Febr.* 1642.

5. Quum non indubitate fuisset: an Ordines Minores per Abbatem Regularem non benedictum collati non suis subditis sint invalidi; etsi Abbas habeat privilegium illos suis subditis conferendi? Responsum prodiit: collationem Ordinum supradictis suis subditis etiam Regularibus factam, si fuerit de Ordinibus etiam minoribus, et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium Apostolicum, Ordines collatos remanere invalidos, et Ordinatos indigere alia ordinatione, si vero Abbas non benedictus habeat dictum privilegium, et Ordines Minores tantummodo contulerit suis subditis, Ordinatos non indigere alia Ordinatione, sed solummodo absolutione, et rehabilitatione a Sede Apostolica: *Panormitana Collat. Ord.* 16. *Martii* 1647. *dub.* 2.

6. In Visitatione SS. Liminum Archiepiscopus Crangonorae ex Indiis Orientalibus ex Apostolico fonte hujus postulati explanationem quaesivit, nempe, an nonnulli, qui ordinantur in Presbyteros, et postea in Episcopos ab Episcopis Schismaticis simul, et ab Haereticis Nestorianis, uti sunt Provinciae Serrae Malabarum, haberi debeant pro veris Presbyteris, vel Episcopis, ac reversi ad Catholicum gremium debeant de novo ordinari? S. C. decisionem ad C. S. Officii (74) remisit: *Crangaronen. Visitat. SS. LL.* 9. *Junii* 1708.

7. Quum disputaretur de privilegiis concessis Abbati S. Barbarae Civitatis Mantuanae, et speciatim res esset de Clerico Bartholomaeo Turriano ab eodem Abbate ad Minores Ordines promoto, quamquam promotus non recenseretur inter personas in Abbatis privilegio expressas, S. C. Ordinationem illicitam dixit, Clericumque minoribus initiatum, suspensione irretitum declaravit, non tamen Ordines eidem iterum conferendos jussit: *Lucana* 16. *Martii* 1726.

8. Seculares aliarum Dioecesum qui cum dimissoriis suorum Ordinariorum sine licentia Episcopi Brixiensis tonsuram, et Minores Ordines susciperent ab Abbate Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis, valide ordinati fuerunt: *Brixinen.* 12. *Decem.* 1733. *d.* 8.

9. Lucas Franciscus Rodriquez de la Barrea ex oppido de Ascolea, quod jurisdictioni subest Sacri Equestris Ordinis Hierosolymitani, suffultus dimissorialibus literis Vicarii a Commendatario ibidem deputati, primam tonsuram, et Minores Ordines suscepit ab

(73) *Vide not.* 5. *tom.* 1. *pag.* 4.

(74) *Vide not.* 710. *tom.* 2. *pag.* 507.

Abbate Claustralii S. Antonii del Tardon Ordinis S. Blasii, quum vero domicilium postea transtulerit intra limites Archiepiscopatus Hispalensis, et apud Card. Archiepiscopum institisset, ut ad Ordines promoveri potest, ambiguum fuit tunc de Ordinum validitate, idcirco Lucas adeundam censuit Sedem Apostolicam pro obtinenda venia, et rehabilitatione, S. C. rescripsit dilata, et ad mentem (75): *Hispalen. Ordinum* 27. *Novem.* 1773. Insuper consulendum Sanctissimum pro absolutione, et rehabilitatione ad Ordines sub die 12. *Martii* 1774.

10. Cisterciensium Monasterium S. Mariae de Horto Venetiis regebat Abbas Hyacinthus Maria Bagatti. Primo absoluto ad aliud mense Martio 1781. electus fuit regiminis quinquennium, confirmavitque Apostolicus Venetiarum Nuntius electionem die 11. April. sequentis anni. Primam Abbas tonsuram, Minoresque Ordines contulit die 9. April. 1787. Josepho Foralosso illius Converso, qui religiosum deinde habitum ex Apostolico dimisit indulto. Ac dubitans de Ordinatione S. C. decrevit non constare de nullitate Ordinationis, itaut non est reiteranda: *Congergationis Cisterciensis* 28. *Novem.* 1709. *d.* 1.

11. Sub assertione, quod Vallis Umbrosae Abbas haberet *un particolar privilegio di ordinare, chi si fosse*, ei Philippus Bianciardi dirigi obtinuit dimissoriales Cellensis Episcopi literas ad tonsuram conferendam. Alberto ipsius filio, qui in eo Monasterio, in quo educationis causa degebat, tonsuram accepit; sed statim Abbas suae potestatis defectum advertit, et S. C. quaesita respondit, constare de nullitate collationis sacrae tonsurae, et esse secreto reiterandam: *Collen. Tonsurae* 24. *Januar.* 1795. *dub.* 1. (76).

12. Necnon consulendum Sanctissimum pro rehabilitatione ad Ordines, et beneficia: *Ibid. dub.* 2.

§. VII.

Sacramentum Ordinis quoad qualitates Ordinandorum (77).

1. De sua Sententia S. C. interrogata ab Episcopo Pacensi censuit eos,

(75) Quia multa deducta extiterant de privilegiis Ordinis S. Basilii, ejusque Abbatibus concessis, mandatum idcirco dedit S. C., ut ab ejusdem Ordinis Procuratore Generali hujusmodi privilegia accuratius inquirerentur „ *Ead. caus.* 12. *Martii* 1774. §. 1.

(76) Hac re paucis ab hinc annis a S. C. perpensa declaravit ordinationem etiam Monaci factam ab Olivetano Abbate post dimissam Abbatiam. Quaesitum fuit die 20. Sept. 1788. per Folium manuscriptum in causa *Congregationis Olivetanae* „ 1. An constet de nullitate ordinationis, itaut sit iteranda? 2. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione ab irregularitate, qnatenus ministraverit; atque S. C. rescripsit: constare de nullitate, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo" Reproposita causa in Congreg. diei 29. subsequentis Novem. ampliavit rescriptum in haec verba „ indecisis, et Monacho esse secreto reiterandos Ordines Minores; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione a suspensione ejusdem Monaci propter susceptum Ordinem Subdiaconatus per saltum, ejusque rehabilitatione, necnon pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam quatenus in dictis ordinibus ministraverit. „ Et die 10. Decem. Sanctissimus annuit pro gratia absolutionis a suspensione, rehabilitationis, et dispensationis ab irregularitate, quatenus ministraverit, arbitrio, et conscientiae Abbatis Generalis ejusdem Congregationis, cum facultate etiam subdelegandi. " *Rel. in Collen. Tonsurae* 24. *Jannar.* 1795. §. 6.

(77) Vetus est in Ecclesia lex, ut nemo ordinetur, nisi primum Episcopi judicio probatus fuerit *Can.* 2. §. 5. *dist.* 24., quae lex consentanea est praecepto Apostoli 1. *ad Timoth.* §. 22. *Manuscito nemini imposueris*, eamque commendant SS. Patres praesertim S. Jo. Chrysostomus *Homil.* 16. *in* 1. *ad Timoth. tom.* 11. *pag.* 642. *Ed. Paris. an.* 1734., S. Leo m. *Ep.* 12. *cap.* 2. *col.* 656. *tom.* 1. *Ed. Baller.* S. Gregorius m. *Lib.* 3,

qui ducunt originem a Judaeis, non esse excludendos ab ordinatione; nec item, qui ab Haereticis per paternam lineam ultra secundum gradum, et per maternam ultra primum descendunt; quin etiam si filii, vel nepotes essent eorum, qui licet haeretici fuerint, constat tamen emendatos esse, et unitatis, corporisque Ecclesiae constitutos: *Pacen.* 24. *Sept.* 1591. (78)

2. Episcopus negavit dimissorias ad Presbyteratum Petro Jacobo Caprioli Diacono, qui cum quodam Clerico homicidio fuerat accusatus, sed inde absolutus cum clausula, *nisi nova supervenissent indicia*; nihilominus viget publica fama adhuc, quod ille revera deliquerit, nec argumenta sufficientia de ejus vita, et moribus praebuit. Hinc licet a S. C. fuerit dispensatio super nota infamia indulta; verum si aliud obstet, posse ei Ordinarium dimissoriales ad Presbyteratum denegare decernitur: *Vigilien. Dimiss.* 23. *Sept.* 1673. *dub.* 3.

3. Episcopus consulens S. C. ait. Quum saepe contingat, quod mihi offerantur alieni subditi praevia exhibitione literarum dimissorialium proprii Episcopi attestantis eorum literaturam et habilitatem quaerit, an ipse teneatur dictos Ordinandos iterum examinare super dicta literatura, et capacitate? non teneri, sed posse, respondetur: *Dubium Ordinat.* 17. *Januar.* 1693.

4. Quum Matthaeus Roldan de Escanilla Diaconus institisset coram Archiepiscopo Hispalensi suo Ordinario pro collatione Presbyteratus Ordinis, rejectus fuit, quod recta linea descenderet a quadam Maria Maumettana, quae Catholicam fidem amplexa est, quod antea ignotum erat. S. C. de hac re consulta decrevit locum esse petitae ordinationi Oratoris, et ad Urbis Vicarium pro Ordinatione: *Hispalen. Ordinat.* 7. *Maii* 1701.

5. Renuente Episcopo ad Sacros Ordines promovere Clericum Petrum Antonium de Gregoriis nominatum ad Capellaniam de jurepatronatus propriae familiae eo quod morbo epileptico laborare crederetur propter quoddam deliquium quod ex improviso correptus fuerat. Ideo factum ad S. C. relatum est, quae respondit, ut fiant novae di-

Ep. 49., *et l.* 4. *Epis.* 26. *col.* 660. *et* 704. *t.* 2. *Ed. Paris.* 1705. Atque huc spectat Decretalium titulus *de Scrutinio in ordine faciendo*, in quem videndus Cironius *in Paratitl.* Consultissimam hanc legem probavit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 7. *de refor.*, cum statuit, ut Episcopus ordinationes facturus sibi etiam ascitis peritis viris *ordinandorum genus*, *personam, aetatem, institutionem*, *mores*, *doctrinam*, *et fidem diligenter investiget*, *et examinet*. Plura simul eadem Synodus decreta edidit de scientia, qua Clericos pro singulis ordinibus praeditos esse oportet *d. Sess.* 23. *cap.* 4. 11. 13. 14. Atque ut ordinandorum vita omnibus esset explorata, vetus Ecclesia eorum nomina coram Clero, et populo nunciare consueris, uti patet ex Concilio Chalcedonensi apud Gratianum *Can.* 1. *dist.* 20., ubi habetur *Ordinationis publicatae vocabulum*, ex S. Cypriano *Ep.* 5. *pag.* 47. *Ed. Paris.* 1666., aliisque apud Hallier *de Sacr. elect. lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 2., et Gonzales *ad tit. de Scrutin. in ordin. facien.* Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 5. *de refor.* statuit ut „ ad minores ordines promovendi bonum a Parocho, et Magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, commitat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui voleut promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum, natalibus, aetate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimonales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat. "

(78) At quum Episcopus huic Decreto minime pareret Clemens VIII. *Const. Cum ex injuncto* 6. *Octob* 1593. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 1. *pag.* 464.) eum admonuit, praecipitque, ut pareat.

ligentiae juxta instructionem (79): *Tudertina Ordinat.* 6. *Oct.* 1863. Deinde declaravit illum esse ad ordines promovendum 19. *Julii* 1704.

6. Johannes Franciscus Ranierus civis Aquipendii Subdiaconus secessit ad Castrum Fighini Clusinae Dioecesis, ubi nonnulla bona possidet, ac obtento Canonicatu Presbyterali Cathedralis Ecclesiae cum dimissoriis Episcopi Clusini, ac testimonialibus literis Episcopi Aquipendii testantibus ejusdem idoneum esse, suscepit Diaconatum. At modo idem Episcopus Aquipendii exponit non esse habilem nec scientia, nec moribus, ac testimoniales esse restrictas ad solam consecutionem beneficii. Ideo in S. C. actum fuit: an valide, et licite fuerit ordinatus? S. C. respondit dilata, et ad mentem (80): *Aquipendien. seu Clusina Diaconatus:* 16. *Maii* 1716. Iterum ad mentem (81): 10. *April.* 1717. Demum prodiit rescriptum non esse molestandum: 13. *Novem. ejusd. anni.*

7. Censuit S. C. non esse promovendum ad Sacros Ordines Clericum Michaelem Graecum, qui quando erat uxoratus fecit licet Clericus bonorum cessionem ob aes alienum contractum: *Atrien.* 23. *Junii* 1725.

8. Quum ad Ordinationem repulsam habuisset Johannes Joseph Cortes ab Episcopo, quod illius pater, et ascendentes fuissent hebraei, et fama sit, annosique testes referant poenis ob id eos affectos fuisse a Tribunali Sacrae Inquisitionis; licet ille ab incunabulis Christi Domini fidem professus sit. Disputato in S. C. dubio: an sit locus Ordinationi Johannis Josephi, seu obstet impedimentum ab Episcopo allegatum? respondit affirmative ad primam partem, negative ad secundam: *Majoricen.* 25. *Januar.* 1749. Inde pariter non obstare impedimentum ab Episcopo allegatum fuit decisum: 9. *Maii* 1750.

9. Postulavit ab Episcopo Franciscus de Montibus Privernas medicinae professor, ut tertio ex sex filiis masculis, quos habebat; Augustini nomine tonsuram conferret, sed renuit Episcopus, quia putabat eum non fuisse pro altari natum, eo quod secularibus officiis incumbebat, salemque in officina absente fratre vendebat, et licet esset 20. annum aetatis, tamen solis regulis Grammaticae operam navet. In disquisitionem fuerunt posita dubia an constet de legitima recusatione collationis primae tonsurae in favorem Augustini de Montibus, et quatenus negative, an sit injungendum Episcopo, ut dictam primam tonsuram conferat, vel alio modo sit consulendum indemnitati dicti Augustini? quibus respondit ad Card. Praefectum juxta mentem: *Privernen. Ordin.* 17. *Maii* 1749.

10. Quum Stephanus Vincentius Dominici non potuisset ad sacrum Diaconatus ordinem promotus ascendere ad presbyteratum tum ob ejus imperitiam tum ob morum inhonestatem, quia fuerat ab Archiepiscopo rejectus, adiit his exceptiones Archiepiscopi diluens Sa-

(79) Eaeque diligentiae etiam cum facultate subdelegandi committerentur Episcopo Nepesino, cui praedictus Orator pro Vic. Generali ab anno, et ultra inservit: *Ead. caus.* 19. *Julii* 1704, §.

(80) Qua mandata fuit productio Actorum Ordinationis Ranieri: *Ead. caus.* 13. *Novem.* 1717. §. *unic.*

(81) Pro cujus exequutione, Episcopo Perusino commissum fuit examen Ranieri super idoneitate ad Sacros Ordines, et Sacerdotium quoad scientiam, Doctrinam, quam Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Aquipendien. impugnabat, cumque tres Examinatores Synodales unanimiter idoneum dictum Ranierum ad Sacerdotium ratione scientiae renunciaverint: *Ead. caus.* 13. *Novem.* 1717. §. *unic.*

erum Tribunal Concilii, a quo responsum retulit, ut recurrat humiliter ad Archiepiscopum. *Lucana Ordinat.* 5. *Julii* 1749.

11. Ad Capellaniam fundatam in Parochiali Ecclesia S. Eulaliae Civitatis Murciae praesentatus fuit Joseph a Prado, hac conditione, ut tonsuram susciperet. Adiit praesentatus Episcopo absente ad Vicarium Generalem, ut literas dimissoriales relaxaret, sed rejectus fuit, quod filius, et nepos esset obstetricum; etsi ejus germanus frater fuerit ab Episcopo praedecessore ordinatus. S. C. consulta decrevit concedendas esse dimissorias: *Carthaginen. Ordinat.* 10. *Maii.* 1755.

12. Emanuel Ignatius Ozores descendens ex latere materno a familia de Onis Villae Pontevedra obtinuit Parochialem S. Bartholomaei de Tozzara. Ob id institit apud Episcopum Tudensem ut ad Sacros Ordines promoveretur, sed abnuit Episcopus illi Sacros conferre Ordines ob secretas ad ipsum delatas relationes ut praedicti Emanuelis ab avia materna uti Judaicae perfidiae rea fuerit a Tribunali Sacrae Inquisitionis poena ignis affecta. Etiamsi plures habuisset Orator Avunculos Canonicos, Dignitates, Episcopus se abstinuisse asserit ob notam maculae, quae perseverat apud probos, et timoratos viros. S. C. vero decernit illum debere ad Minores, et Sacros Ordines promoveri: *Tuden. Ordinat.* 19. *Sept.* 1761.

13. Canonicus Hieronymus Cova in testamento Praeposituram erigi jussit, cujus activum patronatum Comiti Lucae Pertusani, ejusque descendentibus masculis reliquit, passivum vero descendentibus ex novem designatis familiis, dummodo idonei reperirentur, et in eorum defectum bonos cives praeferri mandavit. Vacante Praepositura praesentatus fuit Gherardus Franciscus Galliani ex fundationis lege quinto loco vocatus annum agens aetatis suae trigesimum sextum. Hic habitu per annos viginti circiter duos clericali indutus Episcopum adiit pro obtinenda prima tonsura, et institutione ad Praepositu ram, sed Episcopo pro tunc recusato quia vocatione ecclesiastica omnino destitutus apparet, Datariam adiit supplicans gratiam pro praesentato. Interim Comes Pertusani subsidiarie praesentavit Sacerdotem Carolum Dominicum, tanquam idoneum, habilem, et qualitatibus praeditum. Hac de causa ad Sacrum Senatum remissa decidenda quaestione, hic respondit, dilata et ad mentem: *Alexandrina Praepos.* 31. *Aug.* 1771. *dub.* 1. Mandatis S. C. quum Gallianus illico paruisset, et favente Ordinario definitum fuit Gallianum esse prima tonsura initiandum et promovendum ad Sacros Ordines: 12. *Junii* 1773.

14. Episcopus Asculanus a Diaconatu rejecit Aloysium Ciannavei, ut pote destitutum *qualitatibus* (ipse ait) *praecipue a Tridentino requisitis; et ludis etiam publicis, aliisque vitae illecebris deditum.* Hinc ille in Conventu Patrum Minorum de Observantia Tertiarii habitum induit, et inde S. C. exoravit, quae respondit, ut recurrat humiliter ad suum Ordinarium: *Asculana Ordinationis* 21. *April.* 1792. Orator itaque idmisso habitu Tertiarii pluries Episcopum adiit, qui post varias repulsas, post aliquid temporis petitum Ordinem se ipsi collaturum promisit, sed morte praevento postulatur, ut veniam Vicario Capitulari concedere dignetur relaxandi Dimissorias; sed S. C. expectet rescripsit. 15. *Junii* 1793. Denique annuit, quum de ejusdem exemplari vita constaret: 14. *Decem. ejusd. anni.*

15. Praevia Apostolica dispensatione ab irregulatitate Ordinum sacrorum assumptio denegatur per rescriptum *non*

expedire Lucensi Medico Josepho Benvenuti annorum 70., licet ejus uxor an. 64. perpetuum emittere votum castitatis pollicetur cohabitando tamen cum viro sub eodem tecto: *Lucana* 18. *Julii* 1795. *dub*. 1.

§. VIII.

Sacramentum Ordinis quoad Ritum Collationis.

Occultum est, an Clerici Johannes, Andreas et Franciscus Antonius Italo Graeci baptizati ritu Graeco, et ad primam tonsuram, nec non quatuor Ordines Minores cum literis dimissorialibus Ordinarii ritu latino absque nota suspensionis promoti licite ad reliquos majores Ordines eodem ritu latino promoveri possint, sed potius redire debeant ad ritum Graecum? S. C. aperuit responso affirmativo ad primam partem, negativo ad secundam: *Rossanen*. 14. *Januar*. 1764. *dub*. 2.

§. IX.

Sacramentum Ordinis quoad Tempus, et Locum Collationis.

1. Quum in hoc negotio opus esset majore disceptatione, Archiepiscopus sedem consuluit Romanam, ut ad caput Ecclesiarum; id est, in dispensationibus de promovendis extra tempora diebus festis, an ad omnes, etiam Sacros, et Presbyteratus ordines possint isti tales similiter promoveri quolibet die Festo, de quo in Ecclesia fit officium, an vero debet esse festum a populo colendum? S. C. respondit intelligi oportere in diebus festis, qui a populo servantur: *Caesaraugustana anno circiter* 1583. *dub*. 2.

2. In aliquibus insuper Dioecesibus mos est, quod, qui ordinandi sunt in uno et eodem die quatuor minores suscipiunt, et ad subdiaconatus ordines promoventur. Dubitat, an haec consuetudo excuset, quominus sic promoti non incurrant irregularitatem? respondit, quod posita consuetudine posse Episcopum uno, atque eodem die, ad quatuor Minores Ordines quempiam promoveri: *Ibid*. *dub*. 3.

3. In aliis quoque Dioecesibus mos est, quod quatuor minores suscipiunt die veneris, qui postea die sequenti ad Ordinem subdiaconatus promoventur, anceps est similiter, an haec consuetudo eos excuset, licet a Sacro Concilio Trid. statutum sit *Sess*. 23. *cap*. 8. (82), quod haec fiant, statutis a jure temporibus? rescribitur licere Archiepiscopo, si dies veneris sit dies Festus, et necessitas, aut Ecclesiae utilitas judicio Archiepiscopi id postulat juxta decretum Concilii *Sess*. 23. *cap*. 11. (83) non tamen in publicis

(82) *De reform*. ubi cautum est „ Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrentur " Tempora a jure statutis *ex Cap. Deo de tempor. Ordinat.* scilicet in Sabbato quatuor temporum, aut Sabbato ante Dominicam Passionis, colliguntur. Huic Decreto Tridentino accessit *Const*. Sixti V. *Sanctum*, *et salutare* 5. *Januar*. 1588. (*Bull. Rom. Tom*. 5. *part*. 1. *pag*. 40.) in qua §. 2. et 3. poenas tam in dictos ordines extra tempora conferentes, quam in recipientes inflixit. Hac postmodum Constitutio moderata fuit quoad hoc a Clem. VIII. *Const. Romanum Pontificem*, 28. *Febr*. 1596. (*Bull. Rom. tom*. 5. *part*. 2. *pag*. 97.), et redacta ad terminos juris communis Bullae Pii II. Cum ex sacrorum (*Bull. Rom. tom*. 3. *part*. 3. *pag*. 109. *et Concil. Trid*.

(83) Concilium Trid. *Sess*. 23. *cap* 11. *de reform*. satis perspicue declaravit, etiam in minoribus ordinibus interstitia esse servanda, cum eos conferri jussit *per temporum interstitia*; verum nullum certum tempus definivit, remque totam Episcopi arbitrio permisit; quod arbitrium tam late patere non debet, ut sine justa causa nulla adhibeantur. Quod attinet ad interstititia majorum ordinum, saltem unius anni spatium inter unum, atque alterum ordinem intercedere debet, nisi aliud Episcopo videatur ob Eccle-

ordinationibus, sed privatе et paucis praedictos quatuor ordines conferre: *Ibid. dub.* 4.

4. Prolato dubio, an diebus Festis duplicibus, non tamen de praecepto possint Ordines Sacri conferri habentibus Breve dispensationis Apostolicae super insterstitiis, vel extra tempora? prodiit resolutio negativa, sed tantum diebus Festis de praecepto: *Brixien.* 15. *Januar.* 1689.

5. Instante Capitulo Ecclesiae Cathedralis, quod Episcopus extra tempora omnes Regulares Mendicantes tam suae quam alienae Dioecesis dispensando cum eis ab interstitiis ad Sacros Ordines promovere non ambigit, agitatis dubiis; an Episcopus potuerit Ordines extra tempora Regularibus conferre? et quatenus negative.

6. An, et in quas poenas Ordinati inciderint? S. C. respondit dilata, et scribatur Episcopo, ut abstineat, donec exibeantur privilegia Regularium: *Assisien. Ordinat.* 23. *Januar.* 1706. *dub.* 1., *et* 2.

7. Non est indulgendum Congregationi Presbyterorum secularium B. M. V. de necessitatibus loci nuncupatae *de Tomina*, quae suas regulas auctoritate Apostolica approbatas habet, ut promoveri possint aggregati in Festis tribus diebus, et servatis temporum insterstitiis: *Elboren. Indult.* 8. *Aug.* 1711. *dub.* 2.

8. Episcopus Barchinonis consuluit S. C. an Episcopi possint Regulares cujuscumque Religionis expresse non privilegiatae vigore tamen praetensae communicationis privilegiorum PP. Societatis Jesu ad Sacros Ordines extra tempora promovere?

9. An, et quam poenam incurrant tum Praelati Regulares dictarum Religionum non privilegiatarum concedentes Religiosis suis subditis literas dimissoriales cum clausula extra tempora, quam Episcopi illos extra tempora ordinantes, et ipsimet Ordinati? S. C. non definivit quaestiones, et dixit: dilata, et Episcopus uti Delegatus S. C. termiminum sex mensium praefigat Regularibus suae Dioecesis ad deducenda jura sua in S. C.: *Barchinonen. Ordinat.* 2. *Octob.* 1717. *dub.* 2. *et* 3.

10. Dubium fuit ponderatum, an posita consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam tonsuram, et Minores Ordines die vespere feriae sextae ante diem Sabbati quatuor temporum? rescripsit S. C. affirmative quoad primam tonsuram, et quoad ceteros Ordines Minores consuetudinem immemorabilem posse tolerari, sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano *Tit. de Minor. Ordin.* (84) *Portallegren.* 13. *April.* 1720.

11. Archiepiscopus Calaritanus ad tollendos abusus Clericorum Conjugatorum, qui in dedecus Ordinis Clericalis et in perturbationem jurisdictionis Ecclesiasticae facinora committunt, vilesque exercent artes, petiit ut sibi indulgeretur, ut una eademque die, hoc est in quatuor temporibus in Sabbato sitientes, et in Sabbato Sancto primam tonsuram, Ordines Minores, et subdiaconatum iisdem personis conferre possit: sed negativam retulit res-

siae utilitatem, ac necessitatem. Ceterum hic interstitiorum annus, qui inter unum, atque alterum majorem ordinem debet intercedere, est annus Ecclesiasticus, ideoque ordinatus Diaconus in quatuor temporibus Quadragesimae recte ordinatur Sacerdos in quatuor temporibus Quadragesimae anni consequentis, licet Pascha celerius advenerit, uti secundum sententiam S. C. Concilii monet Fagnanus *in cap. literas num.* 2. *de tempor. ordinat.. et in cap. Ad nostram num.* 18. *vers. et confirmatur de Regul.*

(84) *Vide not.* 721. *tom.* 2. *pag.* 514.

ponsionem (85): *Calaritana* 21. *Febr.* 1728. *dub.* 1.

12. Episcopus Tirasonensis orat S. C., ut quid observare debeat evidenter ostendat, an pro habentibus indultum suscipiendi Ordines Sacros extra tempora haberi valeant Ordinationes diebus Festis, in quibus fideles audita Missa ex Apostolica dispensatione operibus servilibus vacare possunt? S. C. respondit affirmative: *Tirasonen. Visit. SS. LL.* 11. *Maii* 1782.

§. X.

Sacramentum Ordinis quoad Ordinandum cum titulo, vel sine titulo Ordinationis.

1. Episcopus Seguntinus ignorat an Clericus alioquin idoneus habens beneficium insufficiens de per se, sed injuncto patrimonio habeat quod sufficiat ad honestam vitae conservationem, an possit promoveri? posse respondit S. C. juxta formam Concilii *Sess.* 21. *Cap.* 2. (86): *Seguntina Collat. Ordinum Mense Octob.* 1589. *dub.* 1.

2. Quid si cum beneficio, aut patrimonio insufficiente injungatur pitantiae, eleemosynae, anniversaria, societates, et alia emolumenta, quae ex celebratione Missarum, et exercitio Sacrorum ordinum (si ad eos promoveantur) percipere, et lucrari possunt, quae omnia ad victum honeste sufficiant; an possit promoveri? non posse rescribitur: *Ibid. dub.* 2.

3. Et ad rogatum, an possit promoveri Clericus ad Sacros Ordines si

(85) ,, Nos qui tunc temporis ejusdem S. C. Secretarium agebamus, opportunam elaboravimus dissertationem, quae extat *tom.* 4. *Thesaur. Resolut. pag.* 162. (*edit. Rom.*), in qua post accurate examinatum Textum *in cap.* 2. *de eo, qui furtive ordinem* suscepit, et caetera expensa, quae a Doctoribus allegantur Episcopi precibus abnuendum concluimus: S. vero C. nostro sensui adhaerens, *die* 21 *Febr.* 1728. Archiepiscopi instantiam rejecit: Non enim derogandum, censuit juri communi, ad propulsandos abusus, qui aliis juris remediis poterant coerceri " Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 7. *cap.* 67. *num.* 5. *tom.* 12. *Edit. Rom.* 1748. *pag.* 553.

(86) *De Reform.* ubi legitur ,, Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverint assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque eis ad vitam sustentandam satis sint; atque deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum Canonum poenas super his innovando " Hic titulus circa finem Saeculi XII. institutus est, ut ex Decretali Alex. III. *rel. in cap. Episcopus, de Praebendis*. Ideo ,, certissimus est (ut monet Thomasinus *de Vet., et Nov. Eccl. Discipl. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. *tom.* 2. *pag.* 27.) tamen exinde penes Episcopos fuisse liberam potestatem, ut Clericos ordinarent, vel sub vero, et prisco Titulo, seu Beneficii, vel sub recentiore Patrimonii ". Et *num.* 7. subjungit, quod Concilium Tridentinum ,, cavit, ut convenienter regulis Concilii Calcedonensis, ne posthac ordinarentur, nisi qui utiles, et necessarii fungendis Ecclesiae muneribus existimarentur " Nam Titulus Patrimonii ex dispensatione admissus est, ad utilitatem, et necessitatem Ecclesiae, quod observat Fagnanus *in lib.* 3. *Decret.* 12. *cap. Episcopus de Praeb. et Dignit. num.* 24. *pag.* 72. qui ait ,, Hodie solum beneficium est titulus legitimus ad ,, Sacros Ordines; patrimonium vero nonnisi ,, dispensative. " In id praeterea animadvertens Innoc. XI. ut hoc Trid. Decretum penitus observaretur, ad singulos Episcopos literas encyclicas per Congr. Concil. mitti jussit 13. Maii 1679. hisce verbis ,, Deindeque per hasce circulares literas Episcopis omnibus Sanctissimum Tridentini Decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus omnes illud sancte custodiant, sciantque non aliter ordinandum ad titulum Patrimonii, vel Pensionis, nisi cum Ecclesiae necessitas, vel commoditas ita exigat, qua in re prudens Episcopi, timoratumque judicium versari de-

nihil praedictorum nil minus sufficienter habeat, si Episcopus obliget se suppleturum quoad alimenta, sufficiat, quousque habeat aliunde se sustentari possit? non posse decernitur: *Ibid. dub.* 3.

4. Habens ex propria industria, et honesto labore tantum lucrum, quantum satis sit ad vitae conservationem, promoveri non valet: *Ibid. d.* 4.

5. Denique animus nutat, quid agendum sit de his, qui alioquin idonei, et propter eorum scientiam, vel Ecclesiae utilitatem, aut necessitatem ad titulum non sufficientis patrimonii, vel beneficii ante dictam Constitutionis publicationem fuerunt ad Sacros Ordines non tamen ad Presbyteratus Ordines promoti? S. C. non promovendos ad ordines superiores, nisi fuerint prius consequuti unde congrue possint sustentari resolvitur: *Ibid. dub.* 5.

6. In promovendis Clericis ad Ordinem Subdiaconatus praecise observandam esse dispositionem Sacri Concilii *Sess.* 21. *Cap.* 2. *de reform.* (87) statuitur. *Derthusen.* 27. *Maii* 1634. *dub.* 12.

7. Disputato articulo in S. C., an stante novissima Const. *Speculatores* (88) posset Episcopus familiarem triennalem ad titulum patrimonii promovere

bebit " Tridentinum Decretum praeterea servari debet, licet ordinandus obtinuerit privilegium ordinationis extra tempora, non obstante clausula illa in Diplomate Apostolico apponi solita „ ut parentibus tuis solatio esse possis, et fervore devotionis accensus ad Sacros Ordines extra tempora, ac interstitiis non servatis, ad titulum patrimonii tui, seu perpetui beneficii Ecclesiastici, dummodo illud pacifico possideas, promoveri possis, concedimus " Proposito enim S. C. hoc dubio ab Archiepiscopo Urbinate „ An vigore Brevium hujusmodi quis promoveri possit ad titulum patrimonii non obstante, quod non concurrat Ecclesiae necessitas, vel commoditas, dum causa motiva concessionis videtur solatium parentum? respondit„ negative " *die* 9. *Sept.* 1679. *lib.* 30. *Decret. fol.* 400. Et etiam declaravit Innocentius XII. ad Ordinationem cum hujusmodi Indulto Episcopos non coarctari, *Const. Speculatores* 4. *Novemb.* 1694. §. 1. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag.* 374.) Hinc. *Proposit.* L. 11. reprobatae Synodi Pistoriensis anni 1786. hisce verbis conceptam „ Item quae innuit non alium titulum Ordinationum fuisse quam deputationem ad aliquod speciale Ministerium, qualis praescripta est in Concilio Calcedoniensi: subjungens (§. 6.), quamdiu Ecclesia se se his principiis in delectu Sacrorum Ministrorum conformavit, Ecclesiasticum Ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu Ministrorum Sanctuarii; " Pius VI. Pont. Max. *Const. Auctorem fidei* 28. *Aug.* 1794. damnavit, uti *Doctrinam singulis suis partibus falsam, temerariam, ordinis pro Ecclesiarum necessitate, et commoditate inducti perturbativam, in disciplinam per Canones, et speciatim per Trid. Decreta probatam injuriosam.*

(87) *De Reform.* ubi statuitur, neminem secularem promovendum esse ad Sacros Ordines sine beneficio Ecclesiastico, quod sibi ad victum honeste sufficiat, quodque pacifice possideat; atque praescribit regulam servandam in promovendis ad titulum patrimonii, seu pensionis.

(88) 4. *Novemb.* 1694. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag.* 374.) ubi §. 6. legitur „ Ad haec nullus Episcopus alienae Dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam Tonsuram promovere, seu ordinare praesumat absque ejus proprii originis scilicet, seu Domicilii Praelati Testimonialibus literis, ut supra, et nisi ad prescriptum Conc Trid. praefati *Sess.* 23. *cap.* 9. *de reform.* Familiarem praedictum per integrum, et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius praefinitum sufficiat, quacumque fraude cessante, statim hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factae Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi Testimonio expressam itidem familiaritatis, ac literarum praedictarum mentionem facere teneatur. "

ad Sacros Ordines ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae, nullo collato Ecclesiastico beneficio? S. C. negativam dedit responsionem: *Tricarien. Ordinat.* 27. *Julii* 1697.

8. Dominicus Lucanus oriundus ex Dioecesi Hieracii licet natus in Civitate Neapolis cupiens ad ordines promoveri, reportare non valuit opportunas literas testimoniales a Card. Archiepiscopo Neapolitano, ut ad Episcopo Hieracii sacrum reciperet Ordinem, utpote absque necessitate Ecclesiae nolebat ordinare ad titulum patrimonii. S. C. consulta sub die 27. Junii anni proximi praeteriti respondit testimoniales literas esse concedendas, dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum. Deinde resolvit praevio recessu a decisis ordinationem spectare ad Card. Archiepiscopum Neapolitanum qui vigore Constitutionis *Speculatores* (89) praetendebat non fortuito ortum habuisse in urbe Neapolis ubi post domicilium annorum 10. Matrimonium contraxit, et 11. filios suscepit, et Civitatis privilegiis gaudet: *Neapolitana, seu Hieracen. Ordinat.* 15. *Januar.* 1701.

9. Impetrato per clericum Mariam Mannelli a munificentia Augustissimi Imperatoris ad effectum suscipiendi SS. Ordines quodam titulo (ut ajunt) Mensae duraturo, quousque provisus fuerit de sufficienti beneficio, praesentavit idem Mannellus proprio Ordinario Florentino Diploma postulans SS. Ordinum collationem. Sed quaesita S. C. decrevit Oratorem licite, et valide ordinari non posse ad titulum dictae Mensae: *Florentina Ordinat.* 28. *Junii* 1704.

10. Franciscus Jacobus Pintus ex oppido Castellanae Romae tonsura clericali initiatus fuit, et exoptans ulteriores Ordines adipisci, exhibuit pro patrimonii titulo instrumentum donationis quorumdam bonorum, quae quum non sufficiant, elargita nonnulla alia bona fuerunt. Haec omnia reditus sunt ducat. 41. gran. 43. At obstante Communitate dicti loci disputato dubio: an constet de legitima constitutione patrimonii, et aliis requisitis ad effectum promovendi ad Ordines Subdiaconatus? rescripsit, ut Ordinarius procedat prout de jure ad formam Concilii (90): *Nullius Castellanae, seu Conversanen. Ordinat.* 9. *April.* 1707. *dub.* 1.

11. Non est concedendum indultum aggregandis ad Congregationem Presbyterorum secularium B. M. V. de Necessitatibus loci nuncupati *de Tomina*, quae suas regulas Auctoritate Apostolica approbatas habet, ut valeant ordinari ad Sacros Ordines, sine patrimonio, vel beneficio, sed ad titulum Mensae Communis: *Elboren. Ind.* 8. *Aug.* 1711. *dub.* 1.

12. Quum ex duplici diplomate Pontificio evincatur facultas impertita Congregationi clericorum secularium Doctrinae Christianae in Gallia ordinandi ad titulum Congregationis clericos omnes, qui vota simplicia emiserant, adjuncta poena suspensionis ipso facto incurrenda, si absque licentia Provincialis hac facultate dicta Congregatio usa sit. Hinc ad instantiam propositam S. C. decrevit Exprovincialem Congregationis praedictae, sive illos, qui suspenso Provinciali ab officio vel eo mortuo, aut alio quocumque modo deficiente, Vices Provincialis obeunt, non possunt clericis eorum Provinciae licentiam concedere ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines suscipiendos: *in Congregationis Doctrinae Christianae Ord.* 13. *April.* 1715. *dub.* 1.

(89) *Vide not.* 26. *pag.* 268.

(90) *Sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform. vide not.* 87.

13. Orto ac diligenter tractato dubio; an Franciscus Massi cum sufficienti beneficio, et Stephanus Rilli cum congruo patrimonio a Vicario Generali Ascentiano dimissorias ad Sacros Ordines consequuti sint? S. C. non constare de sufficienti patrimonio utriusque resolvit. Nam uti asseritur primi Beneficium reditus erant annui scut. 39. cum personali obligatione; secundi in rata scut. 12. in petiolo terrae dotalis Matris, et scut. 24. in obligatione personali Stephani Silveri solvendi dictam summam annuatim consistit: *Tolentina Ordinat.* 2. *Octob.* 1717. *dub.* 5.

14. Deinde ad alterum dubium; an dictus Vicarius Generalis teneatur dicta patrimonia de proprio supplere? remittitur res Archiepiscopo Firmano, qui procedat pro ut de jure tam pro supplemento patrimonii, etiam cum facultatibus S. C.: *Ibid. dub.* 6.

15. Post collatam ab Archiepiscopo Sypontino Johanni Pace Clerico Romano suo familiari Mansionariam residentialem una cum simplici beneficio, quorum fructus congruam patrimonii Sacri a Synodo Sypontina praescriptam excedebant, quoad sufficientiam patrimonii ad tramites taxae Urbis, ab Archiepiscopo ex bonis patrimonialibus supplementum obtinuit. Disputatum autem fuit, ac resolutum Oratori indulgendam esse facultatem ascendendi ad Ordines Sacros ad titulum Mansionariae una cum supplemento ex bonis patrimonialibus: *Romana, seu Sypontina* 23. *Julii* 1718. *dub.* 1.

16. Sacerdos Joseph Fattore praetendit, quod Hyacinthus Miconus Francus primam tonsuram illicite receperit ab Episcopo Marsorum, eo quod S. C. Episcoporum quae Vicario Apostolico Aquilano facultatem dedit concedendi literas dimissoriales pro Hyacinthi ordinatione, non innotuerit jus, quod idem Joseph habebat ad beneficium in hypothesi, in qua Hyacinthus non esset Clericali Militiae adscriptus, et quod unica tantum in Ecclesia Parochiali impleta fuerit pro collatione primae tonsurae denunciatio, et litterae ipsae non a Vicario Apostolico, sed ab Archidiacono Antonello a Vicario oretenus in Pro-Vicarium electo expeditae fuerint. Enucleato itaque dubio, num ille licite fuisset tonsuratus? S. C. petiit votum Joseph de Alfaro e Societate Jesu Theologi Sacrae Poenitentiariae: *Aquilana* 3. *Aug.* 1720. Ad examen iterum revocata quaestione definitum fuit Hyacinthum fuisse illicite tonsuratum, et praevia relaxatione suspensionis esse capacem beneficii: 7. *Sept. ejusd. anni.* Josepho Fattore declarationem hanc capacitatis non posse sibi de jure vindicare locum propter assertam in sui favorem vocationem ad Capellaniam probare conante, reproposita fuit causa; sed in decisis standum esse, responsum fuit: 18. *April.* 1722.

17. Paullus Jordanes Montis S. Angeli Sipontinae Dioecesis a suo Episcopo ad titulum patrimonii Sacri in subdiaconum ordinatus Mansionariam quamdam residentialem obtinuit in Ecclesia Cathedrali Vestana, ad cujus titulum fuit ordinatus ab Episcopo Asculano ad reliquos Sacros Ordines cum literis dimissorialibus Vicarii Capitularis Vestani, sine testimonialibus Archiepiscopi Sipontini. S.C. Jordanem suspensum, et irregularem sub die 4. Maii 1719. *inter sum. prec.*, praesertim quum Mansionaria amovibilis adnutum depehensa fuisset, ac ea privatus existeret. Modo reproposita causa, an sit standum, vel recedendum a decisis? rescripsit, ut coadjuventur probationes super qualitate Mansionariae, an sit perpetua, vel ad nutum amovibilis? *Vestana, seu Sipon-*

tina Ordinat. 11. *Maii* 1720.

18. Clericus Laurentius Meldicheschius subditus Episcopi Pientini ratione domicilii, et originis postquam a sua Dioccesi discesserat, beneficium obtinuit ab Episcopo Ilciuensi in ejus Dioccesi. Episcopus Pientinus de natura beneficii, scilicet de ejus amovibilitate vel perpetuitate quaestionem instituit: innotuit tamen illud esse amovibile cum causa, ejus reditus sufficientes ad ordines suscipiendos, aliosque Clericos titulo ejusdem beneficii Sacris Ordinibus inauguratos fuisse. Hac de causa S. C. planum reddit Laurentium licite ordinatum fuisse ad titulum praefati beneficii: *Pientina, seu Ilcinen. Ordinat.* 18. *Julii* 1733. *dub.* 1.

19. Bonifacius de Ferrer, et Senioan ad subdiaconatus ordinem initiatus est ex titulo beneficii Ecclesiastici, ac ex titulo patrimonii sacri per publicum instrumentum a Josepho de Ferrer, et de Vigo ejus patre constituti in annua pensione octuaginta librarum Barchinonensium super omnibus, et singulis bonis et speciatim super duobus praediis *la Torre*, et *Pla de Palau* facta ipsi Bonifacio potestate percipiendae hujus annuae pensionis ex fructibus eorumdem praediorum, quod Episcopus praedecessor approbavit? Dubitatum fuit, an de legitima constitutione patrimonii ad tramites Concilii Tridentini (91). Sed S. C. de ea constare respondit: *Urgellen. Ordin.* 13. *Julii* 1743. *dub.* 1.

20. Quum Sacrum agerent Ludovicus Cosma, Hieronymus de Rivas, et Franciscus Gonzalez cum literis dimissoriis Vicarii Commendae Hierosolymitanae de Pazos, qui Capellanias in titulum eis contulit, ad Sacros Ordines promoti, Auriensis Episcopus, in cujus Dioecesi situm est Levosendae oppidum in quo hi sunt, eos monuit, ut ordinationum titulos ederent. Repugnarunt illi, sed inde eos ediderunt, et Episcopus male initiatos fuisse credidit, suspensosque declaravit. Recursum habuerunt ad S. C., quae rescripsit suspensa exequutione Decretorum a l mentem (92): *Aurien. Ordinat.* 8. *Maii* 1745.

21. Postulat Pro-Vicarius Apostolicus Sagonensis, ut quid fieri debeat de his, de quibus adjiciuntur casus, S. C. decernat. Ait ille, inter alia, quae hic illacrymanda invenit, sunt non pauci Diaconi, et Sacerdotes nulliter promoti ad Sacros Ordines defectu patrimonii sufficientis: alii quia nulliter assignatum a mulieribus destitutis consensu agnatorum juxta statuta loci, et laudemio potestatis laicae fuit illegitime confirmatum a Vicario Generali, et ideo non pauca hujusmodi patrimonia irritanda veniunt: alii ratione abusus introducti per Episcopos assignandi clericis in patrimonium quasdam Capellanias laicales jurispatronatus laici contra mentem fundatorum, qui fere omnes in unum consentiunt, ut Capellani pro tempore assignandi sint Cives Calvi, hic inhabitent, et Missas celebrent in Ecclesiis Calvi, quorum voluntas clare patens ex tabellis testamentariis raro locum habuit, et ut plurimum nondum consecuta fuit suum effectum. S. C. super hisce scribendum Pro-Vicario Apostolico juxta instructionem mandavit: *Sagonen.* 14. *Januar.* 1747.

22. Petrus Guidius promotus ad titulum Capellaniarum cum supplemen-

(91) *Vide not.* 87. *pag.* 297.

(92) Et mens est, ut Presbyteri recurrentes exhibeant seorsim titulos, et documenta suae ordinationis coram Ordinario, qui procedat ad declarationem prout de jure. *Ead. caus.* 8. *Maii* 1745.

to patrimonii fuit a Capitulo electus aedituus Ecclesiae Cathedralis, et quum ex stipendiis Sacrorum, et eleemosynis fidelium se alere posset, passus est, ut illa Sacra, quae agi debebant pro Capellania collata a Capitulo, a Canonicis agerentur; alia onera tamen implevit donec finito aeditui munere per se, quum vellet agere Sacra dictae Capellaniae per seipsum repulsus fuit a Capitulo, quod censuit nullam fuisse Capellaniae illius collationem. Ideo illicitam ordinationem Episcopus decernere volens, S. C. cui causa fuit relata, decrevit constare de legitima ordinatione Sacerdotis Petri Guidi: *Nepesina Ordinat.* 21. *Novem.* 1750. *d.* 1.

23. Quum Archiepiscopus Valentinus facultatem obtinuisset a Benedicto XIV. Pont. Max. ob magnam copiam Paroeciarum Dioecesis, ac exiguum Presbyterorum numerum, ut 24. Clericos initiare possit in sacris ordinibus *titulo sufficientiae* digniores ex oppositoribus concurrentibus ad beneficia Curata, inibi octogesimum, et nonagesimum numerum plerumque excedentibus, fere omnibus in Sacra Theologia Doctoribus, et scientia morali instructis. Modo ob lapsum 12. annorum praefinitum numerum ordinavit, sed necessitas sublata non est, hinc indiget prioris indulti renovatione. Et S. C. precibus adhaesit pro viginti quatuor Presbyteris ad formam praecedentis indulti facto verbo cum SSmo: *Valentina* 17. *Januar.* 1761.

24. Accurate discutitur, an Clericus Joseph de Donghis de ultima familia a testatore Jo. Augustino de Capellis vocata nominatus ad Capellaniam de illis, quas ille fundaverat in oppido Vulturis Januensis Dioecesis ordinandus sit ad titulum praedictae Capellaniae in Civitate Cadicis servata Const. Innoc. XII. incipien. *Speculatores* (93)? S. C. dilata et scribatur Episcopo juxta instructionem (94); *Januen. Capellan.* 25. *April.* 1761. *dub.* 2. *confir.* 30. *Januar.* 1762. Postea Episcopi relatio venit, et responsum esse ordinandum in urbe Cadicis a S. C. emanavit. Ejusdem vocatio privativa ad Capellaniam in dubium vocabatur: 16. *Decem.* 1764.

Reliqua *Vide Capellaniam* §. *IX. Patrimonium Clericorum*.

§. XI.

Sacramentum Ordinis per vim et Metum susceptum.

1. Joseph Sarco praetendens Sacrum subdiaconatus ordinem per vim, et metum illatum a Sebastiano patre nulliter suscepisse curavit post obitum patris testes examinari; at quum resultare compertum fuisset vim, et metum cadentem in constantem virum, imo Promotor Fiscalis protestatus in actis est Oratorem nullam praemississe contestatam denunciationem, et non post obitum patris reclamasse, sed post triennium, S. C. non constare de nullitate ordinis decrevit: *Hispalen. Nul. lit. Ord.* 2. *Maii* 1716.

2. Nihil intentatum Mater Jo. Baptistae Josephi Saveri reliquit, ut licet invitus in Ordinem Clericorum Consiliariorum Supremi Senatus Parisiensis adlegeretur. Rationibus enim politicis, assiduis contumeliis, et minis exhaeredationis filium urgebat. His fractus adolescentis animus Matrem decipere duxit, assensum simulans, et subdiaconatum lubentissime se suscepturum. Verum pridie Notario, et te-

(93) 4. *Novem.* 1694. §. 3. *Vide not.* 41.

(94) Instructio fuit, ut Episcopus S. C. referret, an adsint alii ex frequentantibus scholam a testatore institutam, qui potiantur requisitis ab eo volitis etiam mediante affixione Edictorum: *Regist. Lit. Lib.* 32. *die* 25. *April.* 1761.

stibus declaravit, ut matri placeret, ordini subdiaconatus initiaturum. Ordinem inde suscepit, et mortua matre binas edidit declarationes, quibus nullitatem actus definiri postulabat. Ad S. C. relata ac re enucleate disputata, responsum est non constare de nullitate ordinis subdiaconatus: *Parisien. Nullit. Ord. Subdiacon.* 28. *Maii* 1746.

3. Petente subdiacono Thaddaeo Staniszwski Posnaniensis Dioecesis, ut nulla declaretur ordinis susceptio, quippe qui ad eum per vim, et metum a patre incussum ascenderit, qui saepius, constanterque protestatus fuerat se filium derelicturum, nisi sacrum subdiaconatus ordinem suscepisset, et revera alimenta illi denegaverit, unde orator miseriis aereque alieno pressus praedictum ordinem suscepit. Inde pater ipse fassus fuit gravem animi sui moerorem, factique poenitentiam. Validam, his non obstantibus declarat S. C. praefatam ordinis susceptionem. *Posnanien.* 11. *Maii* 1782. *dub.* 1. *confir.* 13. *Julii ejusd. anni*.

4. A matre coactus, metuque amittendae haereditatis suscepit Andreas Borg subdiaconatum. In ipso Ordinationis actu alieno ab ea fuit animo, suamque contrariam voluntatem alteri Ordinando pandit. De sua postridie sententia Confessarium interpellavit, eaque pro validitate ordinis accepta, ultro deinde ad Diaconatum, et Presbyteratum ascendit, et per decennium in utroque ministravit. Sed inde S. C. oraculum fuit petitum, et an constet de nullitate ordinis subdiaconatus, itaut sit reiterandus? rescripsit dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem (95): *Melevitana Subd.* 26. *Novem.* 1791. *dub.* 1. Deinde locum esse ordinationi subdiaconatus sub conditione, et secreto faciendae: 16. *Junii* 1792.

§. XII.

Sacramentum Ordinis quoad Votum Continentiae.

1. Hermannus Antonius de Velhen Canonicus Cathedralis Ecclesiae Pontifici exposuit, se per vim, et metum Ordine subdiaconali fuisse insignitum, probavitque metum sibi intulisse patrem austerum. Administrator Apostolicus Monasteriensis Episcopatus informans, ratam habuit Hermanni expositionem, putavitque ex gravi metu reverentiali illum Subdiaconatus Ordinem suscepisse: Hinc quoniam continentiae votum liberam exposcit voluntatem, Hermannus quaesivit, an teneretur ad hoc servandum votum? et fuit illi responsum, ut coadjuverentur probationes juxta instructionem (96) *Monasterien* 19. *Decem.* 1722. *dub.* 1. Deinde eum teneri ad votum continentiae servandum sancitum est. 15. *Januar.* 1724.

2. Petiit Joseph Franciscus Germain, an teneatur ad continentiae votum stante subdiaconatus Ordinis susceptione? et quamvis in informatione Episcopi Namurcensis, in cujus Dioecesi Franciscus obtinet Canonicatum, plura deducta sint circa vim, et metum Oratori a suo genitore incussum, ut Sacrum subdiaconatus ordinem reciperet, accedentibus etiam depositionibus testium, qui a praedicto Episcopo examinati fuerunt, et dictum metum confirmant, ipsum teneri S. C. affirmavit; *Namurcen. Dispens.* 16. *Decem.* 1724. *dub.* 1. Ac reproposita causa, ac missa die 19. *Novem.* 1729. Instructione inde comprobatum fuit eum vi, me-

(95) Pro formali scilicet examine Sacerdotis Borg., et Ordinandi, cui suam ille ante ordinationem pandit contrariam voluntatem, super pluribus praescriptis interrogatoriis: *Ead. caus.* 16. *Junii* 1792. §. 1.

(96) *Vide not.* 90. *tom.* 3. *pag.* 112.

tuque gravi in constantem virum cadente sacrum subdiaconatus Ordinem suscepisse, ac ad maxima populi offensione vitanda, quae oriri possent, quum idem Franciscus esset Canonicus in Capitulo utriusque sexus, dispensationis remedio illi succurrendum esse, et S. C. susceptum consilium abjecit, et non teneri ad Votum Continentiae, et ad mentem pronunciavit judicium: *die 10. Martii 1731.*

3. Ludovicus Antonius d' Escudier prius militiae nomen dedit, in eaque permansit usque ad annum 1717. postquam in Collegio PP. Jesuitarum Civitatis Avenionensis, ac in Seminario Nemausensi moram traxerat, clericali Ordini fuit adscriptus et anno 1724. ad subdiaconatus ordinem promotus fuit ad titulum patrimonii. Anno 1725. obtinuit Canonicatum, et Praecentoriam in Ecclesia Collegiata S. Ægidii. Elapso quatriennio reclamavit asserens, quod per vim, metumque fuerit ordinatus, postulavitque declarationem nullitatis suae ordinationis. Testes nullo modo absolutam, praecisamque probant coactionem. S. C. rem involutam aperuit definiendo Oratorem teneri ad votum continentiae ordini subdiaconatus annexum: *Arelaten. Dispens. 17. Febr. 1731. dub. 1.*

4. Dum 22. agebat annum subdiaconatus ordine ab Episcopo Montis Pessulani initiatus est Johannes Petrus Silvestre ex oppido Paulhan, sed veluti ad id paternis coactus minis, et saevitiis ad majores non ascendit ordines, sibique victum ex labore manuum, industriamque comparare consuevit. Inde adiit Curiam Biterrensem, quae confecto processu declaravit: *Che il Signor Giovanni Pietro Silvestre è stato violentato ad entrare in sacris, ed a ricevere il suddiaconato*. Id causa fuit assequendi declarationem super nullitate voti continentiae, et S. C. consulendum esse Sanctissimum pro dispensatione sine ulla dubitatione respondit: *Biterren. Ord. subdiacon. 21. Aug. 1790. dub. 1.*

5. Joseph Bartholomaeus Claudius Monicault tonsuram, minores sacrumque Ordinem subdiaconatus suasionibus, illecebris, minisque parentum, sed his absentibus accepit, ac inde protestatus esse per vim ordinem sacrum assumpsisse. Solicitus itaque fuit petendi a S. C., an teneatur ad votum continentiae, et ad alia onera dicti ordinis? S. C. respondit affirmative: *Valentien. Ordinis subdiacon. 31. Maii 1794. dub. 1.*

Sacramentum Poenitentiae quoad Administrationem, Validitatem vel Nullitatem.

1. S. C. post maturam discussionem censuit Archiepiscopum Burdegalensem non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ut a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive administrare non valeant personis secularibus Sacramentum Poenitentiae: *Burdegalen. 9. Julii 1644.*

2. Occultum quum esset, an Regularis quicumque etiam Societatis Jesu possit administrare Sacramentum poenitentiae secularibus absque licentia Episcopi Dioecesani, etiamsi in aliena Dioecesi approbatus sit? respondetur Regulares etiam Societatis Jesu in una Dioecesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas nequaquam posse in alia Dioecesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Dioecesani: *Angelopolitana 14. Maii 1648. d. 9.*

3. Est dubitatio, an Archiepiscopus possit jubere Regularibus, ut a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis ministrare nequeant Sacramentum Poenitentiae personis secu-

laribus etiam in periculo vitae constitutis? respondetur, Archiepiscopum prohibere non posse Regularibus ad audiendas Confessiones personarum secularium approbatis ministrare Sacramentum Poenitentiae eisdem personis secularibus a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis: *Senonen.* 28. *Febr.* 1654. *bub.* 1.

4. Et quaesito constituto, an Regularibus praevio examine ad audiendas personarum secularium Confessiones approbatis possit Archiepiscopus ad tempus limitatum restringi facultatem audiendi dictas Confessiones? rescribitur praevio examine Regularibus simpliciter approbatis ad audiendas Confessiones personarum secularium non posse Archiepiscopum facultatem illas audiendi coactare: *Ibid. dub.* 2.

5. Inde ad examen subjicitur, an eisdem Regularibus praevio formali examine approbatis ad audiendas hujusmodi personarum secularium Confessiones, possit Archiepiscopus ex causis occultis non respicientibus administrationem dicti Sacramenti facultatem concessam revocare? praecipitur dandam esse resolutionem antiquam *diei* 1. *Sept.* 1603. (97) *Ibid dub.* 3.

6. Quidam Capellanus communitus facultate excipiendi Sacramentales Confessiones a naufragio jactatus ad quamdam insulam ex Orientalibus Americae oris appellere coactus fuit, ubi deficientibus Missonariis suscepit gubernium unius, vel plurium quasi Parochialium Ecclesiarum, ac etiam praesentibus Missionariis continuavit. S. C. desuper requisita decrevit praefatum Capellanum valide Sacramenta Poenitentiae absentibus Missionariis administrasse. *Veneten. Dubium administ. Sacram. Poenit.* 21. *Maii* 1707. *dub.* 1.

7. Non idem Sacramentum pariter administrare valide potuisse, et in futurum valere praesentibus Missionariis deciditur: *Ibidem dub.* 2.

8. Ferentinus Episcopus Meculum Archipresbyterum, et Parochum Collegiatae Ecclesiae S. Agatae oppidi Proxeudis surditate laborantem, et inhonestam vitam ducentem ab audiendis Sacramentalibus Confessionibus arcuit. Appellavit hic, et ponderato congruo dubio, prohibitionem non sustineri rescriptum habuit: *Ferentina Coadjut.* 29. *Febr.* 1744. *dub.* 1.

9. Facultatem ab Episcopo audiendi sacras Confessiones in sua Dioecesi Fabricio Paolangeli denegatam validam esse S. C. arbitrata est: *Nepesina* 20. *Aug.* 1757. *dub.* 1.

10. In urbe Hildeshemii usus invaluit, ut nonnulli Regulares ad Civitatem ipsam pluribus infra annum vicibus accedentes, ibique per aliquot dies commorantes, soleant Presbyterum secularem ab Episcopo non approbatum sibi eligere, quorum confessiones audiant; quamvis non desint qui vel ex secularibus, vel Regularibus, propriaque cujusque Ordinis Familia, de Episcopi, vel Praelati Regularis licentia confessiones excipiant. Id minime ferri posse censet laudatus Episcopus; sed ne in re tam gravi quidquam decernat inconsulta Sede Apostolica,

(97) S. C. habita coram Sanctissimo D. N. Clem. VIII. die 7. Sept. 1603. censuit Episcopum ex nova causa, etiamsi de ea in actis non constat, posse rursus examinare, ac minus idoneos repertos reprobare Regulares semel ad audiendas Confessiones approbatos, idque ejusdem Episcopi arbitrio, quod tamen esse debet moderatum atque discretum; itaut non abutatur, verum ubi hoc facere voluerit debere in Superioribus Regularibus significare exprimendo tantum se velle ob novam, quae supervenerit causam ad hujusmodi examen, et reprobationem procedere; Episcopi tamen in casibus controversiis notificare tenentur eid. S. C.

quaedam dubia declaranda proponit. De his S. C. decrevit hujumodi Confessiones licitas non esse. *Hildesimen.* 18. *Novem.* 1769. *dub.* 1.

11. Ac ignorante Episcopo non fuisse validas voluit. *Ibid. dub.* 2.

12. Immo Episcopo sciente et contradicente in posterum peragendas validas futuras non esse putavit. *Ibid. dub.* 3.

Reliqua *Vide Confessarius* §. *III. Parochus* §. *I.*

Sacramentorum Administratio. *Vide Parochus* §. *I.*

Sacramentorum Reiteratio *Vide Baptismi Sacramentum* §. *II.*

Sacrarium.

Erecta Ecclesia Parochiali S. Babylae, ubi erant quatuor Portionarii, in Collegiatam fuerunt jura praeservata dictis Portionariis, qui curam animarum exercent, ac commune habere Sacrarium cum Capitulo decretum fuit cum facultate posse Parochos novum aedificare. Et revera aedificarunt supra ostium Lapide apposito, his verbis *retento veteris Sacristiae jure*, *et usu*. Sed Canonicis contradicentibus S. C. Sacrarium vetus non adjudicavit Capitulo, et Canonicis privative quoad Parochos, sed esse continuandum cumulative judicavit: *Mediolanen. Sacrist.* 21. *Maii* 1707.

Sacrarum Caeremoniarum Magister *Vide Magister Sacrarum Caeremoniarum.*

Sacri Ordines *Vide Sacramentum Ordinis.*

Sacrificium Missae *Vide Missa.*

Sacrista *Vide Æditruus.*

Salarium *Vide Stipendium.*

Sanatio.

1. Quum Capellani cujusvis exercitus, sive Regulares, sive Seculares Catholici administrare nequeant Militibus in praesidiis degentibus Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicae, vel licentia, et Ordinarii adprobatione, in cujus Dioecesi extare contingerit; ad dubium an et quid pro sanatione gestorum in praeteritum? S. C. statuit non esse perturbandas conscientias quoad Sacramentum Poenitentiae; quo vero ad Matrimonia inita sine speciali facultate Apostolica, vel sine licentia Ordinarii loci vel Parochi non servata forma Sacr. Concilii Trid. *in Cap.* 1. *sess.* 24. *de Reform. Matrim.* (98) pro sanatione, si SSmo D. N. placuerit, renovato tamen consensu etiam coram Confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensus Parocho illius loci, in quo fieri contingat hujusmodi renovatio: *Dubia Jurisd. Capell. Exer.* 6. *Martii* 1694. *dub.* 9.

2. Confratres Societatum laicalium Terracinae bona renunciarunt ad hoc ut collegiata Ecclesia octo Canonicorum erigeretur. Mutarunt inde sententiam Collegiatae impensis deterriti, et supplicarunt pro facultate erigendi 8. Capellanias residentiales, et Chorales. Hanc Erectionem explevit Episcopus. Obloquuti sunt Sodales nonnulli una cum Capitulo Cathedralis adversus erectionem praefatam. S. C. erectionem non substineri praecipiens, ad dubium, num pro sanatione arbitrium intraret? jussit, ut doceretur de legitimo consensu: *Terracinen. Capellan.* 20. *Aug.* 1701. *dub.* 5. Deinde sanationem concessit 27. *Maii* 1702.

3. Plurimis urgentibus necessitatibus quibus Monasterium Matris Dei de Monchique Ordinis S. Clarae Ulyssiponis premebatur, Nuntius Apostolicus potestate Legati a latere utens, Monaste-

(98) *Vide not.* 370. *tom.* 2. *pag.* 325.

rio ad annos 50. Parochiam S. Mariae de Pindello univit cum onere manutenendi Vicarium amovibilem. Unio haec prorogata fuit ab Episcopis ad anno 30. et ad alios inde annos 50. Moniales hodie dubitantes de ejusdem validitate, ex quo Aurelius quidam de Britto fuerat ab Innoc. XII. Sum. Pont. de ea Parochiali provisus, supplicarunt pro unionis, et prorogationis confirmatione, necnon pro perpetua unione reportanda. S. C. annuit pro residuo temporis ultimae prorogationis, praevia omnium praecedentium prorogationum sanatione: *Portucallen. Unionis* 29. *April.* 1702.

4. Examine et collatione ad vacantem Archipresbyteralem Ecclesiam S. Nicolai terrae Arielli nulla a S. C. declarata, fuit inde sanata per literas Apostolicas novae provisionis a Summo Pontifice reportatas: *Lancianen. Concur.* 6. *Febr.* 1706. *dub.* 2.

5. Villa nuncupata *de Caparrosso* Monasterio de Oliva Ordinis Cisterciensis duc. 7. cum dimidio, nec non 400. robos tritici quotannis praestare tenebatur. Vicani ab onere se eximere cupientes summa soluerunt ducat 20000. Abbas, et Monachi dicti Monasterii hujus summae partem in tot censuum extinctionem erogarunt, et partem in solutione fructuum qui debebantur, eorumdem censuum: Propterea sanationem modo postulant, et non obtinent. In utilitatem enim Ecclesiae nequaquam versum fuisse sortem censuum Card. Relator putabat: *Pampilonen. Confirm. Concor.* 3. *Decem.* 1707.

6. Quum hactenus rationes omnium redituum Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis tam liberorum, quam oneribus obnoxiorum inordinatae extitissent, ita ut aliquatenus desitum fuerit ab implemento piorum operum, ac in aliquibus plus expensum quam essent reditus assignati, ac inspecta antiquitate temporis omnia liquidare haud permissum sit, ac nulla compensationis spes ex notoria Archiconfraternitatis maxima inopia affulgeat. Ideo Officiales ejusdem supplicant pro sanatione gestorum in praeteritum, ac eorum approbatione. S. C. sanationem tantum impertitur: *Romana Oper. Pior.* 7. *Julii* 1708.

7. Indulgetur sanatio transationis a S. C. Capitulo Ecclesiae Cathedralis transactionis cum Scipione Perelli initae, cui interpositum non fuerit Beneplacitum Apostolicum. Nam Episcopus mediator, ut transigeret, fuit ad evitandas lites, quae ex praetensis Fideicommissis contra causam piam ortae fuerant: *Gallipolitana Trans., et Reduct. Oner.* 5. *Martii* 1712. *dub.* 2.

8. Exoptata fuit ab Archiconfraternitate B. Mariae Suffragii Missarum reductionis, de qua validitas non constabat, sanatio, S. C. nihil definiit, sed ut audiatur modernus Protector mandavit: *Romana Reduct. Miss.* 3. *Decem.* 1712. *dub.* 2.

9. Quum Dioecesana Synodus a pluribus annis coacta non fuisset, Examinatores Synodales nominari approbante Capitulo ab Archiepiscopo censuerunt, summa igitur ratione dubitari contingit super legitima provisione Parochialium Ecclesiarum ex defectu formae a Concilio praescriptae *cap.* 18. *sess.* 24. *de refor.* (99). Ideo Archiepiscopus Bracharensis exorat revalidationem titulorum, perinde ac si ab initio legitimi existerent praevia sanatione omnium, et quorumcumque defectuum S. C. ad hoc postulatum pro gratia juxta modum (100) facto verbo cum SSmo

(99) *Vide not.* 82. *tom.* 3. *pag.* 175.

(100) „ Illas convalidandas censuit, quia sup„plicantes bona fide Parochiales acceptaverunt, „ atque ex Archiepiscopi attestatione con„stabat, multa oritura scandala, si novus „ concursus ad illas foret indicendus. “ *Ead.*

respondit: *Bracharen. Dubior.* 26. *Januar.* 1715. *dub.* 1.

10. Petrus Costa unus ex Capellanis, qui Choro, supplicationibus, et functionibus intersunt Cathedralis Ecclesiae, donavit Collegio suo libras mille; imposito onere duarum Missarum quolibet mense, et alterius Missae solemnis in suo anniversario, nec non admittendi ad Capellaniam primo vacaturam Sacerdotem Michelettum. Inde timentes de simoniae labe Capellani protestati sunt, ut vel obtineretur sanatio contractus initi a Costa vel donatio rescinderetur. Postulata itaque sanationis gratia, dictum fuit ad mentem: *Montis Regalis* 16. *Decem.* 1724.

11. Benedictus de Berardis voluit auro liniri ornamenta ex gypso confecta in fornice publici Oratorii S. Josepho dicati. Sed quum periti judicassent ornamenta illa esse ruinae proxima, surrogata fuit ab Episcopo haeredibus instantibus fundatio Capellaniae cum onere Missarum in eodem Oratorio satisfaciendo. Hanc erectionem indigere sanatione facto verbo cum SSmo S. C. putavit: *Callien. Capellan.* 15. *Decem.* 1731. *dub.* 1.

12. Locum esse S. C. judicavit sanationi translationis tituli Parochialis factae ab Ecclesia SS. Laurentii, et Hilarii ad Ecclesiam SS. Philippi, et Jacobi Villae Colbuccani, et dismembrationis familiarum trans Flumen Flastram existentium peractae a Plebania S. Donati, et eorum aggregationis ad dictam novam Parochiam Colbuccani cum omnibus juribus Parochialibus: *Firmana Translat. Paroch.* 27. *Febr.* 1734. *dub.* 1.

13. Quum Senatus Januensis bona stabilia relicta a Sacerdote Johanne Luca Fabiano, qui constituto multiplico Romae disposuit in favorem constructionis collegiatae in oppido S. Romuli, ac inde primogeniturae pro descendentibus Aloysii Arconati, partim adjudicaverit ratione primogeniturae Marchioni Josepho Antonio Arconato, partim piis operibus a testatore ordinatis ut multiplicum conficeretur. S. C. consulta primum non sustineri mandavit provisionem hujusmodi tam quoad multiplicum Januae constitutum, tam quoad divisionem, modo non esse locum sanationi decrevit: *Januen. Erect. Colleg.* 23. *Januar.* 1734. *dub.* 2.

14. Invalida judicata erectione Canonicatus ab Archiepiscopo peracta in Ecclesia Collegiata S. Bartholomaei Murrivallium tum quia ob defectum legitimae facultatis, tum quia inconsultis dictae Ecclesiae Mansionariis, quibus detrimentum ex illa erectione obvenibat: Modo sanationem petitam S. C. donavit: *Firmana Erect. Canon.* 5. *Martii* 1735.

15. Concessiones locationis bonorum immobilium ad vitam Canonicorum absque ullo beneplacito Apostolico a Capitulo Collegiatae Ecclesiae oppidi Cryptalearum hactenus factas S. C. sanavit: *Tarentina Benep. Apost.* 4. *Maii* 1743.

16. Quum constituta esset quaestio de jurisdictione Abbatis Generalis Ordinis Praemonstratensis, qui nullam declaravit professionem emissam in Monasterio Leffensi a Francisco Nicolao de Ferrare, silente contra constitutiones ordinis morbum, quo laborabat. S. C. impertita est sanatio sententiae: *Namurcen.* 30. *Januar.* 1745.

17. Dum Gallottus Gallotius redargueret de nullitate concursum confectum ad Parochialem Ecclesiam Civitatis Lacus Liberi, in quo ajebat defuisse numerum trium Examinatorum Synodalium, ac peteret provisionem a Sancta Sede jure devoluto, S. C. concessit sanationem ad cautelam addendo ad mentem: *Policastren. Paroch.* 18. *Sept.* 1745. *dub.* 1., *et* 2. *Confir.* 28. *Maii* 1746.

18. Regina Maria Ascani filia Fratris Gregorii Ascanii Mansionarii Ecclesiae Cathedralis a Congregatione Mansionariorum obtinuit, cum facultate, ut possit in seculo nubere, subsidium Dotale relictum a Matthaeo Bartolacci Mansionario pariter dictae Ecclesiae pro Deo vovendis puellis. Inde petiit, an sit consulendum Sanctissimum pro sanatione nominationis, et nihil obtinuit, nisi ut utaretur jure suo: *Imolen. Subs. Dot.* 24. *Januar.* 1750.

19. Benedictus Brunettius e Villa Petrojae, quae parum distat a Civitate Eugubii, nominatus fuit ad Capellaniam, ad quam assequendam ortus Eugubii requirebatur, re examinata S. C. censuit consulendum esse SSmum pro sanatione ad cautelam: *Eugubina* 18. *Maii* 1765. *dub.* 12.

20. Quum Idelphonsus Valentinus Fernandez Montero adhuc non Clericus nominatus ad quamdam Capellaniam, seu Beneficium, simoniace in favorem cujusdam Sacerdotis dimisisset, facta obligatione, quod statim ac Clericus evasisset, ad beneficium regrederetur, prout accidit patrono consentiente, ideo postulavit convalidationem tituli beneficii, et S. C. rescripsit, dimittat, restituat fructus perceptos, et postea supplicet: *Caurien. Censur.* 30. *Julii* 1774.

21. Quum ad Canonicatus de jure patronatus sodalitii S. Johannis Evangelistae electionem majora suffragia accepissent Franciscus Biscionius, et unum deficiebat pro nominatione obtinenda, ac pater ejusdem protestatus fuerit in eisdem comitiis, velle petere sanationem. Sodales elapso bimestri alium Sacerdotem, elegerunt. Quaestione facta, S. C. noluit sanationem primo concedere dissentientibus patronis: *Urbanien. Canon.* 24. *Januar.* 1778. *dub.* 1.

22. Abbas, et Monaci Benedictini Civitatis Ulissyponis inspecto non implemento legati pii Franciscae Telles, cujus in redemptionis opus eroganda erat summa pecuniae relicta, quaeque ob deficientiam captivorum in Monasterii capsa otiosa manebat, deprecati sunt praevia commutatione voluntatis fructus dicti legati posse impendi in manutentionem Monasterii, et Ecclesiae quae gravem, jacturam subierunt ex terraemotu anni 1755. Pontifex summus in forma Brevis die 29. April. 1778: annuit injuncto onere quatuor annuorum anniversariorum. At post annum Captivorum Promotor institit pro nullitate Brevis, quia in precibus minime fuit narrata lis, quae adhuc pendebat. Modo exorant pro sanatione a quocumque defectu, ac pro extentione commutationis etiam ad summam, quae ex legato scut. 20. pro manutentione Capellae relicto adimpleto onere superesset, quaeque juxta testatricis mentem in captivorum redemptionem erat insumenda. S. C. rescripsit consulendum Sanctissimum pro sanatione quoad summas in alios pios usus hucusque consumptas firma remanente inposterum lege testamenti Franciscae Telles: *Lisbonen.* 29. *Novem.* 1783.

23. Pro sanatione cujuslibet subreptionis, aut obreptionis, in quas Oratrices sine culpa incidissent, tum in precibus S. C. porrectis, tum in aliis S. C. Rev. Fabricae oblatis, obtentoque ab ea rescripto, consulendum esse Sanctissimum rescriptum fuit: *Januen. Reduct. et Trans. Miss.* 16. *Decem.* 1786. *dub.* 4.

24. Concursus indictus, et peractus ad Canonicatum Poenitentiarium Ecclesiae Cathedralis ob neglectum Benedicti XIII. Const:, *Pastoralis Officii* (101), quia Examinatores extra Syno-

(101) *Vide not.* 619. *tom.* 2. *pag.* 473.

dum erant deputati absque S. C. facultate, et omissum juramentum in Encyclica S. C. (102) praescriptum, sanatus praevia consultatione Sanctissimi fuit: *Ripana* 12. *Julii* 1788.

25. Etsi S.C. ratam habuerit electionem in favorem Sacerdotis Honorati Vaccari ad Canonicatum Collegiatae Ecclesiae S. Petri Massae Fiscaleae gestam, novis officialibus Societatis consortii dictae Massae quum vacasset Canonicatus sub decessoribus Officialibus, tamen ad omne removendum nullitatis dubium, consulendum Sanctissimum pro Sanatione electionis S. C. mandat: *Cervien.* 27. *Novem.* 1790.

26. Primum Capellaniam perpetuam, postea legatum pium missarum instituere placitum fuit Octavio Speranza. Propterea Episcopus Beni pium legatum instantibus patronis in Capellaniam erexit, et in favorem cujusdam Clerici patrimonium sacrum constituit. Hodiernus modo patronus pro redintegratione legati pii ad formam testamenti precatur, et S. C. consulta sanavit erectionem confectam celebratis missis 260. in Ecclesia, in qua testator tumulatus est: *Fanen. Capell.* 7. *Maii* 1791. *dub.* 1.

27. Professionis nullitas declarata in favorem Rosae Lucianae Rebelli per Vicarium Capitularem Bracharensem, tanquam Judicem exequutorem Brevis restitutionis in integrum directi Vicario Generali, confirmatur per sanationem sententiae, circumspecta potissimum illius exequutione per Matrimonium Rebelliae: *Bracharen. Restit. in Integ. super circumscrip.* 20. *April.* 1793. *dub.* 2.

Reliqua *Vide Concursus* §. *VI. Emphyteusis* §. *IV.*

Sanatioria seu Gratia cum clausula Perinde valere.

1. Quum Alexander Gallus Clericus annorum 20. provisus de beneficiis fundationis Emanuelis de Ghidis fuisset, et inde animadvertit in reperto instrumento fundationis testatorem requisivisse qualitatem Sacerdotalem, ac aetatem annorum 35. circiter. Itaque considerata ejus bona fide petiit dispensationem, quae dicitur *perinde valere*, et S. C. ei annuit hac conditione „adimpletis nempe oneribus et dummodo adveniente tempore promoveri se faciat ad sacros Ordines „ *Parmen. Dispensat.* 12. *April.* 1710.

2. Card. Marescottus translationem fecit pensionis, quam sibi fuerat in majori summa reservata in favorem Galeatii Tursi pro quantitate scut. 30. annuorum, qui subinde fuit adscriptus inter Equites levis armaturae Pontificiae, ac ulterius cogitavit de Matrimonio contrahendo; hac de causa indultum obtinuit eam retinendi pensionem, etiamsi castra sequeretur, et non incederet in habitu, et tonsura. At in dicto Indulto mentio facta non fuit, quod Galeatius tempore intermedio a translatione pensionis ad concessionem indulti fuerit adscriptus inter Equites levis armaturae, et utpote probus vir se abstinuerit ab exactione pensionis in illo tempore. S. C. tollit dubitationem declarans Officium custodiae Corporis Pontificis Equitum levis armaturae retentioni pensionis obstare, eodemque tempore ponderato quaesito, an Indultum suffragetur Galeatio, vel potius sit locus sanationi seu gratiae *perinde valere?* negativum tulit responsum: *Romana Ind.* 7. *Decem.* 1720. *dub.* 2. Reproposita causa praevio recessu a decisis esse locum sanatoriae dixit: 13. *Maii* 1721. *Confir.* 20. *Decem. ejusd. anni.*

3. Alexander Comes de Marsciano pensionem obtinens scut. 500. super Mensa Episcopali Regiensi in sui favorem translatam a Duce Mutinae cogitavit

(102) *Vide not.* 620. *tom.* 2. *pag.* 473.

ducendam in uxorem comitissam Scottam, et de retinendo pensionem in statu conjugali, qua de causa rogavit matrem suam in urbe commorantem, ut militiam Lauretanam sibi acquireret, qui hoc gaudent privilegio ac indultum obtineret. Mater dedit litteras 8. Julii, in quibus ipsum certioravit omnia expletura sequenti hebdomada, transmissa nota Expeditoris hoc ipsum comprobantis. Hic 27. ejusdem mensis per verba de praesenti Matrimonium contraxit, et indultum expeditum non erat. Nam expeditio habita fuit die 18. Sept. Postulatum fuit idcirco in S. C. an sit locus sanatoriae seu gratiae perinde valere? sed negativa responsio a S. C. emanata est: *Regien. Pens.* 17. *Sept.* 1722.

4. Joseph de Mello Canonicus Cathedralis Ecclesiae electo in perpetuum coadjutorem Raphaele Monteiro de Sylva reservavit pensionem in favorem Francisci de Mello Nepotis. Obiit Joseph, ac Raphael objecit cecidisse Franciscum a jure exigendi pensionem, quia nomen dederat armatae Militiae Lusithani Regis, quum indultum obtentum non extendatur *etiamsi castra sequatur.* Propterea S. C. decreverat revera cecidisse a praedicto jure, modo affirmat non esse consulendum Sanctissimum pro revalidatoria, ac indulti ampliatione: *Ulissiponen. Orientalis Pens.* 23. *Novem.* 1737. *dub.* 2.

5. Declarata a S. C. nullitate Matrimonii initi inter Violantem Josepham Henriquez de Almada, et Ludovicum Franciscum Sanchez de Baena a muliere postulata, vir postmodum curavit ut recederetur a decisis. Interim vero a Muliere comperta fuit Apostolica dispensatio contrahendi dictum Matrimonium non obstante impedimento tertii, et quarti gradus simplicis consanguinitatis a Clem. XII. Pont. Max. concessam; e contra vero certior facta fuit de eodem impedimento ex utroque latere, adeoque duplicis praedicti gradus, quod expressum non fuit. Sed quum id etiam innotuisset Ludovico, obtinuit literas in forma *perinde valere*, ex quo Violantes impedimentum ignoraret. Re denique in S. C. absoluta rescriptum est, literas in forma *perinde valere* expeditas servandas non esse, et matrimonium nullum fuisse uti in primo loco decisum fuit: *Lisbonen. Matrim.* 13. *Sept.* 1755.

Sancteses *Vide Administrator.*

Sancti Officii Congregatio *Vide Congregatio* §. *VI.*

Scholastriae Dignitas Ecclesiastica.

Ad obtinendam Dignitatem Scholastriae in Ecclesia etiam Collegiata requiri aetatem annorum 22. ex decreto S. Concilii Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. §. *ad ceteras autem Dignitates* (103) S. C. resolvit *Nullius* 15. *Martii* 1601.

Scriba *Vide Cancellarius.*

Scripturae *Vide Liber, Libri, Redditio Rationum.*

Secretum, seu Conscientiae Matrimonium *Vide Matrimonium* §. *XXXII.*

Sede Episcopali Vacante *Vide Capitulum Ecclesiasticum* §. *IX.*

§. I.

Seminarium quoad Alumnos, et Convictores.

1. Omnes Alumni Seminarii erecti ab Episcopo Mauritio Petra in Civitate Viglevanensi, ac curae Patrum Congregationis Somaschae commissi non sunt eligendi per Episcopum. Episcopus enim Sormanus, qui reditus Seminarii adauxit, disposuit, quod in Seminario perpetuo alerentur 20. alumni, quorum 12. a successoribus

(103) *Vide not.* 24. *tom.* 3. *pag.* 20.

nominari deberent Episcopis, reliqui a Rectore: *Viglevanen. Semin.* 27. *Januar.* 1714. *dub.* 1.

2. At illi octo alumni nominandi per P. Rectorem ejusdem Seminarii indigent approbatione Episcopi: *Ibid. d.* 2.

3. Et Patribus eisdem praeter praefixum numerum viginti alumnorum, licet in Seminario recipere alios Convictores de aliena Dioecesi, sed de licentia Episcopi. *Ibid. dub.* 12.

4. Andreas Canutus Episcopus Oppidensis Collegium in hac Urbe erigi mandavit pro sex alendis alumnis e Castello S. Elpidii oriundis. Collegio Piceno Innocentii XII. Pont. Max. auctoritate fuit incorporatum Collegium Canuti. Communitas quatuor nominat alumnos, et exorat, ut reliqua summa inter eos etiam quatuor distribuatur alumnos ad vestes sibi comparandas. Protector vero censet quidquid ex reditibus superest in sorte converti, ut sex inde ali possint alumni. Sententiam hanc S. C. probavit, Sententiam hanc hodie confirmat eadem S. C. *Firmana Colleg. Can.* 28. *Martii* 1733.

5. Episcopo Tyburtino, qui aliquos alumnos post expleta inferiora studia Grammaticae, et Rhetoricae penes Presbyteros Congregationis Missionis sumptibus seminarii collocare praeconceperat, ibique donec Philosophiae, ac Theologiae cursum absolverint retinere voluerat, S. C. obstitit et dixit ad mentem: *Tiburtina Semin.* 8. *Febr.* 1734.

6. Quum ex binis applicationibus Conventuum S. Mariae Sepulcri, ac SS. Cosmi, et Damiani oppidi Vicovarii peractis Seminario Tyburtino, Communitas dicti oppidi nominassent duos adolescentes e dicto oppido oriundos, et in praefato Seminario retinendos, modo contendere coepit ex solo fructu bonorum dicti conventus S. Mariae Sepulcri unum alumnum, tres alios vero vel duos saltem ex reditibus bonorum alterius Conventus SS. Cosmi et Damiani, quum sufficiant ad congruam conservationem unius cujusque alumni annua scut. 46. juxta taxam pridem statutam. Postulata decisione a S. C. esse locum incremento alterius alumni praeter duos hactenus retentos resolvitur: *Tyburtina Loc. Semin.* 27. *Julii* 1737. Inde praevio recessu a decisis servari solitum respondit 29. *Martii* 1738. Deinde augendum esse numerum alumnorum Vicovarii ratione redituum, habita ratione taxae ordinariae Seminarii: 26. *Sept.* 1739. *Confr.* 25. *Febr.* 1741.

7. Deinde fuit resolutum a S. C. Seminarium Tyburtis teneri ad formam transactionis anno 1745. accipere, et retinere tres alumnos a Communitate Vicovarii, ejusque Prioribus nominatos, ita ut danda est manutentio; *Tyburtina* 11. *Martii* 1752. *dub.* 1.

8. Ac licere Episcopo Tyburtino arctare eosdem alumnos ad emittendam obligationem reficiendi alimenta Seminario in casu, quo vel non ascendant ad Sacros Ordines, vel ante completa studia discedant e dicto Seminario sine licentia Episcopi: *Ibid. dub.* 2.

9. Et quoad erogationem summae per eosdem alumnos vigore hujus obligationis reficiendae, rescripsit in commodum Seminarii arbitrio Episcopi cum consilio Deputatorum: *Ibid. dub.* 3.

10. Card. Uldericus de Carpineo quatuor jussit manuteneri juvenes in Seminario Dioecesis Feretranae eligendi ex locis Scavolino, Gattara, Bascio, e Miratojo; novissime contingit nullum in Castro Miratorii reperiri idoneum adolescentem, qui posset ad locum vacantem in Seminario eligi, Marchio Emilius de Cavaleriis, ad quem jus eligendi dictos alumnos delatum est, alium nominavit juvenem ex Castro Scavolino: sed obstitit Rector Seminarii sub obtentu, quod in hoc casu alius non debeat in illo recipi. S. C. hanc

quaestionem dirimit sanciendo licere dicto Marchioni Emilio nominare alumnos ex quocumque loco ex designatis a testatore deficiente, idoneo in altero ex Castris: *Pennen. seu Feretrana Leg.* 10. *Junii* 1741.

11. Ludovici Manni reditus in favorem binorum juvenum Civitatis Plebis, ut ad studia alerentur in commodiori loco Romae, vel Perusiae relictos, Episcopus applicavit Seminario Episcopali eum onere binos a testatore volitos, aliosque duos, tresque a Consilio Civitatis nominandos juvenes alendi. Inter plures concurrentes Juvenes eum praeferri mandavit donator, quem Ludi Magister, et Familiae Manni caput aptiorem, atque magis idoneum judicassent. Et revera familiae Manni caput ac Ludi-Magister Dominicum Salvatori elegerant, et posthabuerunt Angelum Angelis, qui protinus convolavit ad Vicarium Generalem, qui in expleto examine magis idoneum Angelum renunciatum fuisse gnarus sententiam edidit, qua electionem a Magistratu et Capite familiae Manni factam irritavit, illumque ad fruitionem loci praeferendum pronunciavit. Causam penes S. C. proponi deinde animum appulit Dominicus, qui in sui favorem inspecta renuntiatione liti admissioni esse locum responsum habuit: *Civitatis Plebis Leg. Stud.* 27. *Febr.* 1768. *dub.* 1.

12. Admissionem vero perdurare ad sexennium; tempus in secunda classe a testatore praescriptum debere S. eadem C. statuit: *Ibid. dub.* 2.

13. Decernit S. C. non esse locum electioni alumni, ex oppido Polimartii a Societate Misericordiae peragendae, ac respective subministrationi annuorum scut. 30., ita ut electio facta in favorem Clerici Johannis Baptistae Ricci non sustinetur. Nam etsi coactis Comitiis cum interventu Episcopi sodales ceperint resolutionem ex reditibus Societatis applicandi Seminario Scut. 30. in manutentionem alumni, tamen duo sodales in aliis Comitiis protestati sunt, non esse mandandam exequutioni antea captam resolutionem tum ob impares reditus Societatis, tum ob onera incumbentia. Et id omnes unanimi sententia comprobarunt accusantes primam resolutionem tumultuariam fuisse, ac absque praevia sodalibus de more denuntiatione negotii, quod expendi debebant: *Balneoregien. Elect. Alum.* 16. *Sept.* 1769. *dub.* 1.

14. Quum ad Seminarium Fani patres Oratorii S. Philippi dicti Civitatis ex haereditate Juliae Uffreducci Danieli pro quatuor alumnis persolvant summam scut. 100., et Fabrica Seminarii egeat, S. C. augendam esse pensionem haereditatis Danieli pro alumnis in summa juxta votum Episcopi, et ad mentem: *Fanen. Semin.* 18. *Decem.* 1790. *dub.* 2.

15. Necnon adprobandam esse ad formam resolutionis pro tempore arbitrio Episcopi, resolutionem Societatis *del Soccorso* Montis Majoris diei 13. Aug. 1790. pro manutentione alterius alumni. Nam Rector applicationem superextantium scut. 400. ejusdem Societatis, annuamque ex illius reditibus praestationem pro alumno exoravit: *Ibid. dub.* 3.

§. II.

Seminarium quoad Bona Redditus, ac Administrationem.

1. Haec in S.C. habetur. Alias S.C. ad interpretationem Decreti *Cap.* 18. *Sess.* 23. (104) censuit Episcopum Oscensem cum consilio Deputatorum teneri tam circa institutionis disciplinam, et mores clericorum, quam cir-

(104) *Vide not.* 380. *tom.* 2. *pag.* 334.

ea temporalium rerum administrationem providere sufficere tamen, quod Episcopus hujusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse Episcopum statuere, et deliberare, quae pro prudentia sua magis expedire judicaverit; exactionem vero quae fit pro Seminario, ad solum Episcopum pertinere. Latescit nunc mortuo Episcopo, et in Sede vacante ad quem pertineat erectio, et administratio dicti Seminarii, et videtur, spectare ad Capitulum, quia Sede vacante capitulum fungitur vicem Episcopi tam in spiritualibus quam in temporalibus *cap. penult. et ult. de supplen. neglig. Praelat. in* 6. *et cap. is cui elect. in* 6. (105)? S. C. censuit pertinere ad Capitulum. *Oscen. Octob.* 1585.

2. In controversia versatur, an alii quatuor sint deputandi et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxatione contributione fructuum ex unione beneficiorum, ut in aliis difficultatibus, ob quas Seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur, an etiam in exactione, et temporalium administratione tam dicti Seminarii, ut puta, deputatione, vel expulsione Ministrorum, et famulorum temporalium, expensis quotidianis, provisionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcumque redituum ipsius Seminarii etiam ex beneficiis unitis, ut puta locationibus, concessionibus, alisque contractibus, litibus? S. C. deliberavit teneri Episcopum adhibere Deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam, et mores, quam temporalium rerum administrationem: *Salernitana Julii* 1589. *dub.* 3.

3. S. C. censuit omnes quatuor Deputatos adhibendos esse in consilio in tota temporali administratione Seminarii praeterquam in exactione, quae ad solum Episcopum spectat. *Cavrien.* 5. *Octob.* 1594.

4. Statuitur omnes quatuor Deputatos, de quibus agitur *in cap.* 18. *Sess.* 23. *vers. Et quia* (106) adhibendos esse in consilio in administratione rerum ipsius Seminarii, praeterquam in coactione ad portionem Seminario debitam, cujus facultas ad solum Episcopum spectat: *Nullius* 19. *Januar.* 1595.

5. Planum fecit S. C. dubium, an Episcopus in revisione, et solidatione computorum Seminarii Rectoris debuerit sequi consilium eorumdem Deputatorum? rescribens teneri adhibere consilium, sed non sequi: *Fundana Deput. Offic. Semin.* 26. *Martii* 1689. *d.* 3.

(105) Nam *in Cap. Si Episcopus de Supplen. neglig. Prael. in* 6. cautum est, quod Episcopo a Paganis, vel a Schismaticis capto, non Archiepiscopus, sed Capitulum administrat; nisi Papa quam cito hoc fieri poterit, super hoc per Capitulum consulendus aliter ordinaret. *Et in cap. Ecclesiae eod. tit.* sancitur, quod Ecclesia Cathedrali vacante, solus Papa Visitatorem deputat, nisi Archiepiscopus propter negligentiam, vel dolosam Capituli administrationem in spiritualibus, et temporalibus cum causae cognitione deputaret. Denique *cap. Iscui, de Elect. in* 6. statuit, quod habens plenam administrationem Cathedralis Ecclesiae in spitualibus, et temporalibus jurisdictionalia exercere potest, Sacramentalia non, nisi Episcopus fuerit.

(106) „ Et quia ad Collegii fabricam instituendam, et ad mercedem Praeceptoribus, et ministris solvendam, et ad alendam juventutem, et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii; ultra ea, quae ad instituendos, vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis, et locis destinata, quae eo ipso huic Seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur; iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur; itemque duorum de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat; ex fructibus integris mensae Episcopalis, et Capituli quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Officiorum, praebendarum etc. „.

6. Facta est disceptatio in S. C. an locus esset redintegrationi Seminarii ad mediam decimam, et fructus beneficiorum Insulae Melitae jam vigore Brevis Clem. VIII. per modum provisionis addictorum collegio Societatis Jesu Civitatis Vallettae? et S. C. demandavit sub die 12. Decem. 1699. firmationem status, modo resolvit affirmative pro nunc quoad quatuor beneficia primo loco unita, necnon quoad taxam debitam ab Episcopo, et Beneficiatis, et firmetur status omnino coram Inquisitore praefixo termino quatuor Mensium. *Melevitana Semin.* 31. *Julii* 1706. Confirmat. et additum est non retardata exequutione decreti super statu: 2. *Octob. ejusd. anni.* Inde resolutum est, ut iterum firmetur status 21. *April.* 1708. Demum confirmatur resolutio diei 31. Julii et 2. Octob. 1706. et quoad alia quatuor beneficia unita Collegio non esse Seminarium redintegrandum deciditur: 2. *Aug.* 1710. *dub.* 1. *et* 2.

7. Exactio redituum, qui destinati sunt pro alimonia alumnorum Seminarii Viglevani PP. Congregationis Somaschae curae commissi, et illorum administratio non debet ad Episcopum cum consilio deputatorum Seminarii excluso P. Rectore privative spectare: *Viglevanen. Semin.* 27. *Januar.* 1714. *d.* 3.

8. Sed saltem administratio, et exactio facienda est per dictum P. Rectorem consulto tamen Episcopo pro tempore, imo cum ejusdem consensu et mandato: *Ibid. dub.* 4.

9. Ac de bonis administratis Patres praedicti tenentur reddere rationem Episcopo cum praesentia Deputatorum Seminarii: *Ibid. dub.* 5.

10. Et Patres supradicti devincti sunt edere rationem de annuis libris 3256. pro toto tempore, quo in Seminario non fuerint alumni, Episcopo, ac per eum cogi juris remediis possint: *Ibid. dub.* 10.

11. Non autem iidem tenentur restituere pro eodem tempore, quo Seminarium remansit clausum, proventus pro eorum manutentione et salario assignatos: *Ibid. dub.* 11.

12. Episcopus Spoletanus consilio inito cum Deputatis assignare statuit administrationem Seminarii, curamque puerorum Patribus Congregationis Doctrinae Christianae Avenionis. Ac pro Patrum alimentis insumantur scuta 50. annuatim pro eorum quolibet ex reditibus Seminarii salvo Beneplacito Apostolico, et incertum est, an sit locus concessioni? respondit S. C. dilata, et Episcopus conficiat taxam super Beneficiis ad formam Concilii (107) remotis PP. a Seminario. *Spoletana Se-*

(107) *Sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* Ubi statuitur, quod „ ex fructibus integris Mensae Episcopalis, et Capituli quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Officiorum, praebendarum, portionum, Abbatiarum, et Prioratuum cujuscumque Ordinis, etiam Regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, et hospitalium, quae dantur in titulum, vel administrationem, juxta Const. Concil. Viennensis, quae incipit, *Quia Contingit;* et beneficiorum quorumcumque etiam Regularium, etiamsi juris patronatus cujuscumque fuerint, etiamsi exempta, etiamsi nullius Dioecesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, et hospitalibus, et aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexa, et ex fabricis Ecclesiarum, et aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis Ecclesiasticis reditibus, seu proventibus, etiam aliorum Collegiorum: in quibus tamen Seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu non habentur: haec enim exempta esse voluit praeterquam ratione redituum, qui superflui essent ultra convenientem ipsorum Seminariorum sustentationem, seu corporum, vel Confraternitatum, quae in nonnullis locis scholae appellentur, et omnium Monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quocumque ratione ad Laicos, ex quibus subsidia Eccle-

min. 22. *Sept.* 1714. Deinde censuit respondendum in decisis non amotis pro nunc Patribus, facta tamen prius per Episcopum obligatione de manutenendo eos absque impensa Seminarii, atque Ordinandorum, et justificet deinde praefata coram Card. Praefecto: 12. *Januar.* 1715.

13. Œconomicam Seminarii Tricariensis administrationem Episcopo cum consilio Deputatorum competere decernitur; exactionis vero administrationem ad solum spectare Episcopum statuitur: *Tricarien. Administ. Semin.* 24. *Martii* 1736. *dub.* 1.

14. Concesso Seminario Albanensi Clericis Regularibus Scholarum Piarum sub nonnullis conditionibus anno 1729. Vicarius Generalis, ne circa Seminarii proventus, aliosque pro Convictoribus destinatos confusio aliqua deinceps oriretur statuit, ut dicti Patres distinctos conficerent libros, in quibus separatim ratio accepti, et expensi pro Seminario, ac pro Convictoribus describeretur. Patres se exemptos esse ab onere rationem proventuum exhibendi, quos a Convictoribus quotannis percipiunt, asseruerunt. At re ad S. C. relata rescriptum est, esse referendam rationem ac edendos libros convictus Seminarii: *Albanen. Semin.* 23. *Junii* 1742. *confir.* 1. *Sept. ejusd. anni.*

15. Pro administratione noviter erecti Seminarii in Pinhelensi Dioecesi providendum esse pro nunc per deputationem graviorum, et seniorum de Clero loco deficientium Capitularium ad formam in reliquis S. Concilii Trid. *sess.* 23. *cap.* 18. (108) judicium tulit: *Pinhelen. Erect. Semin.* 15. *Januar.* 1791. *dub.* 2.

16. Quamquam Seminario Septempedae provisum fuerit instante Episcopo de incremento redituum, tamen status ejusdem passivus superat activum in scutis circiter 120., ideo Episcopus renovat preces protaxa Sodalitiorum, et detractione frumenti ex Montibus frumentariis Civitatis, qui secundum Episcopum reditibus abutuntur ad propriam commoditatem, et utilitatem. Sed S. C. distulit resolutionem, et scribendum Episcopo pro praefixione termini omnibus interesse habentibus ad deducendum jura sua in S. C. mandavit: *S. Severini seu Septempedana Semin.* 12. *Martii* 1796.

§. III.

Seminarium quoad Deputatos, Magistros, et Officiales.

1. Non reliquit S. C. incertum, ac dubium Capitulum Ecclesiae Cathedralis, sanciens duos Canonicos electos ab Archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum Seminarii non posse amoveri nisi ex legitima causa non pro libito Archiepisco-

siastica solvi solent, et milites cujuscumque militiae, aut Ordinis pertinentibus fratribus S. Jo. Hierosolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent: " Hanc dispositionem Benedictus XIII. *Const. Creditae Nobis* 9. *Maii* 1725. *Bull. Rom. Tom. XI. Part. II. pag.* 409. declaravit, ac taxam §. 3. designavit ,, Juxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii, et si necessitas urgeat augeatur etiam ad summam quinque pro centenario, ita nunquam minor scutis tribus, neque major sit scutis quinque pro quolibet centenario, et anno; ac in illius confectione regula a Trid. Concil. in praedicto Cap. 18. sancita accurate, et adamussim observetur ". Inde de mandato ejusdem Pontificis transmissa fuit cum Epistola Encyclica 30. Maii 1726. Instructio circa Taxam Seminariorum ad Episcopos Italiae, et Insularum adiacentium *rel. in Lib. Decret. S. C.* et in Bibliot. Ferrari *verb. Seminarium.*

(108) ,, Quae omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, et necessaria Episcopi singuli, cum consilio duorum Canonicorum seniorum, et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent. "

pi: *Salernitana Julii* 1589. *dub.* 1.

2. Eorumque consilium est adhibendum tam in praescribendis regulis universalibus Seminarii, electione singulorum pueorum admittendorum, electione magistrorum, visitatione, et similibus: *Ibid. dub.* 2.

3. Et res dubia cum esset, an alii quatuor sint designandi, et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxa, contributione fructuum ex unione beneficiorum, ut in aliis difficultatibus, ob quas Seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur, an etiam in exactione, et temporalium administratione tam dicti Seminarii, ut puta, deputatione, vel expulsione ministrorum, et Famulorum temporalium, expensis quotidianis, provisionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcumque redituum ipsius Seminarii etiam ex beneficiis unitis, ut puta locationibus, concessionibus, aliisque contractibus litibus? aperte posuit, teneri Episcopum adhibere Deputatorum Consilium tam circa institutionem, disciplinam, et mores, quam temporalium rerum administrationem: *Ibid. dub.* 3.

4. Denique definitur hos quatuor Deputatos esse perpetuos non amovibiles: *Ibid. dub.* 4.

5. Canonicos ab Episcopo electos ad Seminarii administrationem ad praescriptum *Cap.* 18. *Sess.* 23. *vers. Quae omnia* (109) esse perpetuos, nec posse amoveri, nisi ex justa, et legitima causa affirmatur: *Papien.* 7. *Junii* 1591.

6. S. C. rescripsit Oratorem ab Episcopo electum ad Seminarii administrationem juxta praescriptum Sacri Concilii *Sess.* 23. *Cap.* 18. *vers. Quae omnia* (110) non posse amoveri nisi ex justa, et legitima causa: *Sarzanen.* 25. *Junii* 1639.

7. S. C. aperuit suam sententiam, an Episcopus potuerit, et possit deputare Rectorem, aliosque Officiales Seminarii absque consilio Deputatorum a Capitulo, responso negativo: *Fundana Deput. Offic. Semin.* 26. *Martii* 1689. *dub.* 2.

8. Magistri a Congregatione Somaschensi, cujus Patrum curae commissum est Seminarium Viglevanense, ad servitium ipsius Seminarii pro Grammatica, Rethorica, et casibus conscientiae electi non sunt examinandi, et approbandi ad Episcopo: *Viglevanen. Semin.* 27. *Januar.* 1714. *dub.* 8.

9. Nec hoc ipsum tempore Sedis vacantis spectat ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis, seu ad Vicarium Capitularem: *Ibid. dub.* 9.

10. Decrevit S. C. locum esse amotioni Canonici Filliucci Deputati Seminarii, instante Episcopo Tricaricensi. Quum deprehendisset, ut dictus Canonicus in administratione oeconomica Seminarii praedicti patraverit excessus, ac minus recte perfunctus munere illi concredito sit: *Tricarien. Administ. Semin.* 24. *Martii* 1736. *d.* 3.

11. Remotio Innocentii Mariani Parochi Cathedralis a munere Deputati Seminarii Tuderti, ad quod viva voce electus fuit a Clero Tudertino, ac respective in ejus locum electio Sacerdotis Petrucci declaratur illegitima. Nam triennium ab expleta electione effluxerat, et munere absque cognitione causae privari non poterat: *Tudertina* 15. *Sept.* 1792. *dub.* 1.

§. IV.

Seminarium quoad Erectionem, et Fundationem.

1. Si Seminarium puerorum ob tenuitatem redituum Mensae Episcopalis, et Capitularis, et ob paupertatem,

(109) *Vide not.* 108.

(110) *Vide not.* 108.

et exiguitatem Beneficiorum Civitatis, et Dioecesis erigi non possit, debet Episcopus suae obligationi satisfacere, retinendo Magistrum Grammaticae, et Musicae: *Leyrien.* 7. *Sept.* 1630. *d.* 1.

2. Quum actum fuisset in S. C. de necessitate erectionis Seminarii, censuit concedendam esse facultatem Episcopo Sarsinae uniendi reditus Hospitalium Castri Ciolae, et Castri Taipi suo Seminario, salva tamen Hospitalitate, et salvis reditibus pro dicto effectu necessariis: *Sarsinaten. Unionis* 10. *April.* 1645.

3. Quum Episcopus, et Capitulum Cathedralis accedente consensu administratorum Hospitalis S. Nicolai *de Savora* occasione erectionis Seminarii exorassent pro applicatione redituum dicti Hospitalis superextantium, et postquam S. C. cognovit reditus taxae Cathedralis, et Beneficiorum erectioni Seminarii obligatos a Clemente VIII. PP. Societatis Jesu fuisse applicatos, cum onere aperiendi Scholas Humanitatis, et Grammaticae, et proventus Hospitalis *de Savora* esse in annuis scutis 1391., et impensam pro alimentis pauperum esse in scutis 337. circiter singulis annis, opus fuit discutere, an sit locus praedictae erectioni Seminarii, et Unioni? Affirmative respondit S. C. salva in totum Hospitalitate et satisfactis oneribus. *Melevitana Erect. Semin., et Unionis* 18. *Febr.* 1690.

4. Antiquae aemulationis Cathedralium Salmonensis, ac Valvensis nova constituta est lis, an nempe tantum in urbe Sulmonae erigendum sit Seminarium, aut in alterum prope Ecclesiam S. Pelini praesidio S. C. partes nituntur, an erectio Seminarii Pentimae demandata a Vicario Capitulari anno 1705. sit exequenda, seu aliud construendum in Civitate Sulmonae pro utraque Dioecesi inservire debeat? S. C. rescripsit dilata, et Episcopo pro informatione juxta instructionem: *Valven. et Sulmonen. Erect. Semin.* 10. *April.* 1717.

5. Quum Episcopus Civitatis Conceptionis, quae est in America Meridionali, et in Ora maris Pacifici deplorabilem suae Dioecesis statum, et defectum idoneorum Magistrorum exposuisset, quo occurrere non potest efficacius, nisi Seminarii institutione ad tramites Concilii Tridentini (111) et committenda administratione ac gu-

(111) *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* ,, ubi Synodus statuit, ut singulae Cathedrales Metropolitanae, atque his majores Ecclesiae, pro modo facultatum, et Dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius Civitatis, et Dioecesis, vel ejus provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur " Erectio Seminariorum ubi nondum facta reperitur, demandata igitur locorum Ordinariis Italiae, et Insularum adjacentium a Bened. XIII. *Const. Credit. Nobis* 9. *Maii* 1725. (*Bull. Rom. tom.* 1 *part.* 2. *pag.* 409.), et novissime a Benedicto XIV. *Const. Ubi primum* 3. *Decem.* 1740. (*Bull. ejusdem tom.* 1. *pag.* 2.) monentibus Episcopos §. 2., ut in Cathedralibus, in quibus Seminaria hactenus erecta non sunt, illa quamprimum erigi, ac omnino institui curent, *vel jam instituta amplificentur,* si majori Alumnorum numero pro Ecclesiarum conditione opus sit. Imo si ita exigat earumdem Ecclesiarum necessitas, est in facultate Episcoporum unum, vel plura Seminaria in eadem Dioecesi erigendi juxta disposita in eodem *Cap.* 18. §. *In Ecclesiis autem*, cum hac tamen limitatione, ut in decreto S. C. Concilii statuitur, Episcopum posse unum, vel plura in Dioecesis, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quae ab illo uno, quod in Civitate constitutum fuerit in omnibus dependeant. Ita tamen, ut si unum tantum erigere voluerit, totius Dioecesis beneficia taxet pro illius contributione: si autem plura, pro quolibet Semina-

bernio PP. Societatis Jesu; S. C. precibus adhaesit tribuendo Episcopo facultatem, ita tamen, ut alumni nominentur ab Episcopo, et Seminarium sit sub patrocinio, protectione, et subjectione Episcopi: *Americana* 13. *Junii* 1722.

6. Urgebat in urbe Coloniae Seminarii erigendi necessitas, tum quia Lutherani et Calvinistae ibi affluunt, tum quia Ecclesiastici capaces desunt, ita ut uni, eidemque personae plures Vicariae, pluresque Canonicatus conferre oportebat. Inter plurima pro erectione Seminarii excogitata media, illud visum fuit opportunius, quod Domus Congregationis Presbyterorum nuncupatorum Frantrensium suppressionem praemonstrabat. Opponuntur Presbyteri, et asserunt, quod licet ipsi non vacent studiis, vacant tamen Choro, et celebrationi Missarum, et privatae lectioni Sacrorum Librorum ad tramites sui instituti; et quod haereticis alii Coloniae degentes viri docti, et Patres Societatis Jesu obsistunt. Pro horum suppressione proque Seminarii erectione S. C. consulta denegavit assentiri addendo ad mentem: *Colonien. Erect. Semin.* 19. *Aug.* 1724. *dub.* 1.

7. Nicolaus Simoncellius post uxoris suae obitum duo Canonicatus erigi mandavit. In Codicillis alterum consimilem fundari jussit. At quum aere alieno premeretur haereditas, Episcopus necessariam esse prorogationem existimavit, et petiit interim voluntatis commutationem, ut nimirum hac haereditate potius Seminarii, quam Canonicatuum fieret erectio, sed non obtinuit. Dioecesis enim Auximi Seminarium habebat: *Cingulana Commut. Volunt.* 9. *Sept.* 1752.

8. Exorat Communitatis Priverni ob Dioecesis amplitudinem indulgere aperitionem novi Seminarii juxta dispositionem Concilii Tridentini *Sess.* 23. *Cap.* 18. *de reform.* (112); maxime quia Ecclesia Priverni declarata fut Cathedralis a Bened. XIII. Pont. Max. in literis Apostolicis annorum 1725 et 1726. Insuper Clem. XIII. in Bulla 20. Sept. 1758. hodierno Episcopo directa mandavit „ Ac in Terracinensi, et Privernensi Civitatibus Seminarium ad praescriptum Concilii Tridentini instituas, montemque Pietatis erigi cures, conscientiam tuam super hoc onerantes „ S. C. tamen decrevit in Civitatibus Priverni, et Terracinae ex hactenus deductis non esse locum aperitioni. Nam Setiae est erectum et ibi aluntur juvenes ex tribus Civitatibus: *Privernen. Aper. Semin.* 20 *April.* 1771. *dub.* 2.

9. Seminarii erectio in Pinhelensi Dioecesi demandatur juxta votum Apostolici Lusitaniae Nuntii, cum annuis nempe scut. 500. per Episcopum oblatis ex Episcopali Mensa, et cum applicatione redundantium decimarum, quas Lusitanus Rex Emanuel assignavit in favorem Ecclesiarum Simacovae: *Pinhelen. Erect. Semin.* 15. *Januar.* 1791. *dub.* 1.

rio taxet beneficia ejus partis Dioecesis, quam ipse cum deputatorum consilio pro suo arbitrio, et prudentia designaverit. Item consuit, hanc ob causam non teneri Synodum congregare, sed satis esse, ut in erectione hujusmodi observet formam a Concilio praescriptam *Cap.* 18. *Sess.* 23. *Lucana* 21. *Januar.* 1617. *Lib.* 11. *Decretorum*. Imo si duae Ecclesiae Cathedrales aeque principaliter unitae sint, tenetur Episcopus, ut satisfaciat praecepto Concilii, in utraque Seminarium erigere: cum enim Concilium utatur distributivo verbo *Singulae*, refertur ad utramque Ecclesiam Cathedralem: et ita etiam decisum fuisse refert a S. C. Concilii Card. Lanfredini in *Respons.* 46. *in Valven. Erectionis Seminarii num.* 3.

(112) *Vide notam praecedentem*.

§. V.

Seminarium quoad Fabricam.

1. Seminarium Arimini plurima possidet bona, et omnibus onus est originarium, et non leve. Terrae hodie vehementi motu, tum Seminarium, tum Ecclesia, tum etiam Urbanae et rusticae aedes scissae sunt. Plurimi Architecti summam fabricae impendendam ad 4000. circiter scuta adscendere existimarunt, et plurimi proponuntur modi, quibus fieri reparatio possit, sed sanior expectatur a S. C. definiendus. Sed nihil prima facie eadem S. C. respondit, nisi ut scriberetur Episcopo juxta instructionem (113): *Ariminen. Suspens. Oner.* 20. *Decem.* 1788. *dub.* 1. *et* 2. Referente Episcopo, et causa iterum deliberanda proposita rescriptum fuit esse aedium Seminarii reparationi providendum juxta instructionem dandam Episcopo: 25. *April.* 1789.

2. Ad perficiendam Fabricam Seminarii Fani scuta adhuc 800. circiter requiruntur, annuique illius reditus tamen non permittunt alumnorum magnum numerum. Propterea supplex ivit Rector pro applicatione superextantium scut. 400, Societatis B. M. V. Succursus Montis Majoris, annuaque ex illius reditibus praestatione pro alumno, necnon pro incremento annui Legati scut. 100., quae PP. Oratorii S. Philippi dictae urbis ex haereditate Juliae Uffreducci Danieli pro alumnis 4. solvunt. S. C. ad haec rescripsit esse consulendum SSmum pro fabrica Seminarii juxta votum Episcopi: *Fanen. Semin.* 18. *Decem.* 1790. *dub.* 1.

§. VI.

Seminarium quoad Taxam.

1. Archiepiscopus Bracharensis erexit Seminarium, pro quo contribuere debent obtinentes Ecclesiasticos reditus. Sed Fratres quidam non mendicantes recusant contribuere praetendentes eorum monasteria exempta esse per Conc. Triden. *Sess.* 23. *Cap.* 18. (114), eo quod in illis lectiones Grammaticae, et casuum conscientiae quotidie habentur, S. C. interrogata decidit, monasteria non esse ob id exempta, sed tantum ejus impensae rationem habendam quae ante Concilium fieri solebant pro salarii horum lectorum, et eum tanquam aes alienum detrahendum, de reliquo contribuendum Seminario ad ratam. *Bracharen. anni* 1573. *dub.* 1.

2. Deinde resolvit Fratres Ordinis S. Johannis Hierosolymitani teneri ad conferendum Seminario pro illis beneficiis Ecclesiasticis, quae ad suam Religionem Hierosolymitanam non pertinent: *Ibid. dub.* 2.

3. Patavii in Civitate, et Dioecesi sunt nonnulla monasteria Monialium S. Benedicti etiam aliarum non Medicantium Monialium, quae plura bona immobilia diversis temporibus eis relicta possident, super quibus Domino temporali persolvunt onera consueta secularia, nec de eis decimas solvunt Summo Pontifici, quando illae imponuntur, aut aliquod onus cum ceteris Religiosis, et Clero ratione dictorum bonorum sustinent. S. C. tractans de Seminario declaravit, si haec bona non reperiuntur descripta in libro decimarum, non teneri contribuere Seminario erecto post diem 11. Julii 1567.; quod si reperiantur quidem descripta, et taxata in eo libro decimarum, sed tamen intuitu paupertatis Monialium nunquam solvisse decimas eadem ratione, immunia esse debere a contributione Seminarii: *Patavina anno circiter* 1574. *dub.* 1.

(113) Nempe referat de actuali taxa pro Seminario, ejusque annuo reditu: *Ead. caus.* 25. *April.* 1789. §. *Ariminen.*

(114) *Vide not.* 107. *pag.* 314.

4. Ibidem alia monasteria reperiuntur, quae bona possident, licet ignoretur, an ea habeant in fundatione monasteriorum, vel magis tractu temporis per aliquas uniones, et de iis bonis omnia onera solvunt? S. C. teneri etiam solvere Seminario censuit: *Ibid. dub.* 2.

5. Ex eidem Monasteriis Monialium non mendicantium nonnulla ob paupertatem eorum fuerunt facta immunia a solutione decimarum? respondetur, ut ad primum dubium: *Ibid. d.* 3.

6. Insuper dubio perpenso, num Seminario contribuere tenerentur monasteria quaedam Monialium ordinis mendicantium, quae ex Apostolico Indulto bona immobilia in communi possidebant, sed quo titulo ignorabatur? Censuit, nisi Episcopus probaverit uniones Beneficiorum, aut perceptiones aliorum redituum Ecclesiasticorum, non posse a mendicantibus quidquam pro Seminario exigere: *Ibid. dub.* 4.

7. Censuit S. C. eam ab Episcopo una cum Deputatis taxam instituendam, quae pro Seminarii conservatione sufficiens esse videatur, non tamen illam publicandam, sed antea ad S. C. mittendam: *Anconitana Febr.* 1587.

8. In dubium fuit revocatum, an Fratres Mendicantes, Moniales Ordinis S. Basilii, et Monachi Carthusiani pro Granciis, qui omnes in Civitate Hieracensi ante annum 1567. taxati pro Seminario sine ulla controversia contulerunt, possint etiam hodie cogi ad eamdem rationem? respondetur, Fratres Mendicantes exemptos esse ex Concilio (115), reliquos Regulares ex privilegio S. Pii V. (116), Moniales tamen teneri, nisi ob eorum paupertatem aliqua bona possideant, quae effecta sint immunia a solutione decimarum: *Hieracen. Martii* 1587. *d.* 1.

9. Utrum Societates numero 80., quae oblationes incertas, et maximas habent similiter contribuere teneantur? eos teneri tantum ratione bonorum Ecclesiasticorum rescribitur: *Ibid. d.* 2.

10. An pensiones super Curatis, et Mensa Episcopali ad rationem simplicium non curatorum taxare possint? pensiones teneri firmatur pro rata portione illius taxae, quae ab Episcopo cum consilio Deputatorum ad praescriptum Concilii *Sess.* 23. *Cap.* 18. (117) fuit imposita beneficiis ipsis, ex quorum fructibus penduntur pensiones: *Ibid. dub.* 3.

11. Num ubi non adsunt praebendae in Cathedrali distributiones teneantur? Non taxandas esse distributiones mere quotidianas statuitur: *Ibid. dub.* 4.

12. An qui habet Praebendam in Cathedrali, et curatam in urbe ex dispensatione Apostolica pro distributionibus teneantur? non teneri pro distributionibus mere quotidianis resolvitur: *Ibid. dub.* 5.

(115) *Vide not.* 107. *pag.* 314.

(116) *Const. Romanus Pontifex* 3. *Octob.* 1567. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 397.) ubi Sanctus Pontifex declaravit, Ordines Mendicantes esse quatuor, Ordinem Fratrum Praedicatorum, Ordinem Fratrum S. Francisci, Ordinem Eremitarum S. Augustini, et Ordinem Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo; et addit Ordinem Fratrum Servorum Mariae sub Regula S. Augustini viventium, qui censentur quoad Regulas esse tanquam Eremitas S. Augustini. Hi gaudere debent omnibus indultis, et privilegiis, quae data sunt, dantur Ordinibus Mendicantibus.

(117) *De reform.* ubi cautum est „ Ad hanc autem portionem solvendam beneficiorum, dignitatum, personatuum, et omnium, et singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab Episcopo loci per Censuras ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur. “

13. Utrum Card. pro Abbatiis, et beneficiis eorum, et ad simplicium rationem teneantur? teneri juxta taxam ab Episcopo, et Deputatis, ut supra legitime factam constituitur: *Ibid. d.* 6.

14. An Equites Hierosolymitani pro Granciis? non teneri declaratur: *Ibid. dub.* 7.

15. Denique, An Abbatia, et beneficia, quae habent Ecclesias Matrices in alia Dioecesi? teneri si bona, quae habent in Dioecesi sint propria alicujus Ecclesiae ibidem sitae, quae tanquam membrum subjecta sit, aut unita Ecclesiae Matrici in aliena Dioecesi existenti, definitur: *Ibid. dub.* 8.

16. S. C. respondit, si praedia in Dioecesi Caputaquensi propriam ibidem Ecclesiam non habeant non devinci ad contributionem pro Seminario Caputaquensi: *Caputaquen. Junii* 1587.

17. Exponitur „ *In questa Diocesi sono alcune Confraternite, le quali poi per godere l' indulgenza, si sono aggregate a diverse Archiconfraternite, si dimanda se sono obbligate al pagamento della tassa del Seminario dell' entrate vive, che tengono?* „ non teneri, nisi ratione bonorum ecclesiasticorum respondetur: *Triventina Febr.* 1588. *dub.* 2.

18. S. C. scripsit Archiepiscopo Neapolitano. Hospitale S. Michaelis Archangeli de Sede Nidi non esse ex illis, quae ex Decreto S. Concilii Tridentini *Sess.* 23. *Cap.* 18. (118) Seminario debent contribuere: *Neapolitana Julii* 1588.

19. In S. C. Commentariis legitur: Visum est SSmo Domino Nostro Abbatem Castri Durantis, et Beneficiatos illius jurisdictionis teneri contribuere Seminario Urbinati; cum Concilium Tridentinum voluerit pro Seminariis detrahendam esse portionem aliquam ex illis beneficiis, quae nullius Dioecesis sunt: Verum voluit Sanctitas Sua Seminarium Urbinatense debere recipere aliquot pueros jurisdictionis dictae Abbatiae habito respectu ad summam contribuendam: *Nullius Castri Durantis, seu Urbinaten.* 13. *Novem.* 1593.

20. Censuit S. C. Abbatem, et Monachos non excusari a contributione facienda Seminario praetextu Collegii pauperum ab ipsis erecti, ideo cogendos esse contribuere: *Audomaren.* 13. *Januar.* 1594.

21. Titularem occasione contributionis per eum factae Seminario non posse detrahere ex pensione, quam solvit, nisi pro rata parte pensionis, et ad eam rationem, ad quam ipse titularis contulit: *Nullius* 30. *Martii* 1594.

22. Statuitur a S. C. scribendum esse Episcopo Audomarensi, ut supersedeat in exigendo taxam pro Seminario Duacensi a Monasterio S. Bertini donec certiorem reddiderit S. C. de juribus, quibus id posse facere praetendat; quum Monasterium alleget, se non teneri ad dictam contributionem eo respectu, quia post Concilii Tridentini Decreta in executionem illorum erexerit Seminarium; in quo quadraginta scholares aluntur: *Audomaren.* 30. *Martii* 1594.

23. Putavit S. C. scribendum ad Episcopum Attrabatensem, ut curet ne Abbas Marchianensis gravetur in Seminarii taxa praeter illud quod deductis Monasterii et Collegii Juniorum Monachorum oneribus, aequum esse eum Deputatorum consilio prudenter cognoverit: *Attrebaten.* 9. *Sept.* 1594.

24. Ponitur in dubio, an Canonici, cunctique de Capitulo, qui Seminario conferunt ex fructibus suae Praebendae, debent ex distributionibus quoti-

(118) *Vide not.* 107. *pag.* 314.

dianis contribuere? ex distributionibus mere quotidianis non esse contribuendum ad Seminarium S. C. aperte reddit: *Salernitana Julii* 1589.

25. S. C. consultum. Obtinentes beneficia, tam simplicia, quam curata, quamvis tenuis valoris existant, nec ad conservationem sufficientia, debent pro ratione fructuum Seminario contribuere, nisi tanta sit tenuitas, ut juxta Extrav. Bonifacii VIII. incipien. *Declarationes*, quae habetur *inter Extrav. Comm.* (119) non teneantur solvere decimas Papales; eo enim casu, nec ad Seminarium conferendum, cum solos milites S. Johannis Hierosolymitani Sacr. Concilium (120) exceperit, posse Episcopum ea obtinentes etiam censuris ad solvendam portionem Seminario debitam compellere: *Derthusen.* 11. *Aug.* 1605. *dub.* 1.

26. Ex pensione ducatorum 1200. super fructibus Mensae Episcopalis reservata Collegio Patrum Ordinum Praedicatorum, in quo aluntur, et docentur pueri Neophitarum nihil esse contribuendum Seminario; ipsum autem Episcopum ex fructibus Mensae Episcopalis contribuentem debere ante omnia dictae pensionis perpetuae onus ex fructibus deducere, nec ejus ratione quicquam Seminario solvere tenere statutum est: *Ibid. dub.* 2.

27. Dignitates Cathedralis omnes praesertim pinguiores fructus habentes teneri ad contributionem, ac propterea etiam ex eis debere Episcopum certam fructuum ratam partem cum deputatorum consilio detrahere, et Seminario applicare decretum est; *Ibid. dub.* 3.

28. Beneficia nullos fructus habentia nequaquam debere conferre, tametsi decimam solvant, ut ad distributiones admittantur; nedum Milites Hierosolymitani, sed etiam Priores, et obtinentes parochialis ejusdem Militiae esse exemptos ab hujusmodi contribu-

(119) *Tit. de Decimis cap. unic.* ubi decernitur, quod „ Moniales, aliaeque regulares personae quarum reditus, et proventus Ecclesiastici adeo sunt tenues, et exiles, quod de illis substentari non possunt, sed pro habendo vitae suae sustentationem necesse habent publice mendicare, et eleemosynas publice petere, dictam Decimam non persolvent. Seculares quoque Clerici, quorum Ecclesiastici reditus, et proventus annui summam septem florenorum auri non excedunt, eamdem Decimam non praestabunt."

(120) *Vide not.* 107., et cantum in Const. Bened. XIII. *Creditae nobis* 9. *Maii* 1725. §. 2. (*Bull. Rom. tom.* 11. *part.* 2. *pag.* 409) „ Utroque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi Seminarii, quam pro supplemento redituum Seminarii jam erecti, Taxam cum consilio duorum de Capitulo, et totidem de Clero conficiant a memorato Trid. *cap.* 18. *Sess.* 23. *de reform.* praescriptam, incipiendo ab integris fructibus Mensae Episcopalis, et absque ullo discrimine prosequendo juxta normam ibidem expressam, et provide constitutam eidem vero Taxae omnia, et singula Beneficia Secularia, et Regularia per quoscumque etiam venerabiles Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, necnon nostros, et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et Camerae Nostrae Apostolicae Clericos, Ministros, ac Officiales quoscumque praesentes, et futuros obtenta, et in posterum obtinenda, ac omnia insuper Beneficia Secularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulatibus Ordinis Fratrum S. Jo Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de caetero unienda, necnon fructus, ac reditus Confraternitatum Laicorum, ex certis fundis, et capitalibus provenientes, (non autem summas pecuniarias, quae a Confratribus quolibet mense vel anno, vel per modum eleemosynae, vel in vim statutorum contribuuntur) subjici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus, et mandamus; Declarantes, et ab ea exemptos esse debere Regulares pro iis tantum Beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte, ac expresse, et ex causa vere, ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere Taxe pro Seminario exempti sint. „

tione, si tempore collationis jam fuerint dictam Militiam professi, vel eis in collatione fuerit injunctum, ut professionem regularem emittere teneantur: *Ibid. dub.* 4.

29. Ex Monasterii reditibus, quamvis sit nullius Dioecesis, contribuendum esse Seminario Archiepiscopi Theatini, si Archiepiscopatus aliorum Episcoporum dicto Monasterio vicinior sit, S. C. firmavit: *Theatina* 11. *Sep.* 1610. *dub.* 2.

30. Respondit S. C. si Hospitalia non dentur in titulum, Commendam, seu administrationem, ex eis non esse contribuendum Seminario: *Lucana* 5. *Julii* 1628. *dub.* 3.

31. Societates tenentur tantum pro bonis Ecclesiasticis, quae possident: *Ibid. dub.* 4.

32. Tenentur contribuere pro beneficiis unitis: *Ibid. dub.* 5.

33. Ac Pensionarius tenetur pro rata parte pensionis, et ad rationem, ad quam titularis contribuit, nisi pensio fuerit ab hujusmodi onere exempta: *Ibid. dub.* 6.

34. Licet Episcopo taxam erigere pro Seminario a Societatibus laicorum bona Ecclesiastica possidentibus: *Signina* 18. *Novem.* 1628.

35. Censuit S. C. Rectores Capellaniarum, quae in titulum conferuntur adstricti sunt ad contributionem Seminario, non autem Capellanos amovibiles: *Sabinen.* 23. *Junii* 1640. *dub.* 2.

36. Societates onus habent Seminario contribuendi pro reditibus ex bonis Ecclesiasticis, et ex beneficiis unitis, seu annexis provenientibus, non autem pro aliis reditibus laicalibus, vel ex collectis, et eleemosynis societatum: *Ibid. dub.* 3.

37. Hospitalia tenentur ad contributionem Seminario, si dentur in titulum, Commendam, seu administrationem, secus si sint mere laicalia: *Ibid. dub.* 4.

38. Taxa pro Seminario est facienda juxta formam traditam a Sacr. Concilio Tridentino (121), etiamsi ad summam trium pro centenario ascendant: *Ibid. dub.* 5.

39. Censuit S. C. dandam esse declarationem alias factam tenoris sequentis, ex Legatis piis cum onere Missarum non esse contribuendum Seminario: *Cassanen.* 24. *Maii* 1681.

40. Ita S. C. rescripsit. Secundum ea, quae proponuntur, supradicta Monasteria, quae Seminario sui Ordinis contribuunt, teneri etiam Seminario Episcopi ex reditibus, qui supersunt conferre: *Manasterien.* 7. *Sept*, 1630.

41. Quum a Clemente VIII. fundatum fuisset, et erectum in Urbe Collegium Clementinum, et eidem facta fuisset unio Prioratus S. Ægidii Dioecesis Civitatis Castelli exorta est dubitatio, an Collegium teneretur contribuere Seminario dictae Civitatis? et negativum responsum editum fuit 26. Febr. 1639., sed ratione privilegii specialis Clementis VIII. qui exemerat a contributionibus etiam a S. C. Trident. (122) praefixis: *Romana* 26. *Febr.* 1639.

42. Decrevit S. C. citatis interesse habentibus, nullum esse exemptum a contributione Seminarii, nisi qui nominatim a S. C. Tridentino *in cap.* 18. *Sess.* 23. *de reformat.* (123) excipiuntur, etiamsi sint Praelati, Familiares Papae, et S. R. E. Cardinales, quamvis Camerales, nec eis suffragari privilegia exemptionis, nisi in dictis privilegiis fuerit facta specialis, et individua

(121) *Vide not.* 107. *pag.* 314.
(122) *Vide not.* 107. *pag.* 314.

(123) *Vide not.* 107. *et* 120.

derogatio Concilii Lateranensis, necnon expressa mentio quasi possessionis exigendi ante hujusmodi privilegia contributionum pro Seminario ex beneficiis, et pensionibus possessis: *Romana* 3. *Febr.* 1646.

43. Perspicuum non est, an remedia canonica praescripta a Sacro Concilio Trid. *Sess.* 23. *cap.* 18. (124) pro erectione Seminarii, eaque procedant in ejus conservatione; itaut omnes illi, qui coguntur contribuere Seminario erigendo adigi possint ad conferendum eidem Seminario pro ejus conservatione? procedere decisum est: *Urbinaten. Visit. SS. Liminum* 10. *Martii* 1663. *dub.* 13.

44. Quum Capitulum Collegiatae S. Eustachii Urbis proposuisset hoc dubium; an sit locus reductioni Taxae in favorem Capituli S. Eustachii, et in qua summa? rescriptum prodiit, esse locum reductioni pro medietate in casu, de quo agitur; et providendum redintegrationi Seminarii cum nova taxa super beneficiis non taxatis, non retardata interim quoad alia exactione taxae antiquae: *Romana Taxae Semin.* 26. *Januar.* 1697.

45. Exemptos se esse praetendentes a solutione taxae Seminarii Praesules Nicolaum de Arcanis, Raynaldum de Albicis, et Hyacinthum de Pilastris, licet beneficia simplicia in dioecesi possiderent, vi assertorum privilegiorum, primus uti unus ex Episcopis assistentibus in Capellis Pontificibus, alii duo uti praelati Domestici ab antecessoribus Pontificibus declarati: Examen fecit dissidii S. C., et distulit decretum quoad Praesulem de Albicis, quo vero ad Praesules Nicolaum de Arcanis, et Hiacynthum de Pilastris respondit affirmative: *Caesenaten. Taxae Semin.* 19. *April.* 1704. Deinde teneri dictum Raynaldum ad taxam solvendam constituit: 27. *Junii* 1705.

46. Taxa Seminarii in duc. 10. super Communeria Cathedralis sustinetur: *Boven. Taxae Semin.* 12. *Januar.* 1709. *dub.* 1.

47. Item eadem Taxa Seminarii debetur a Capitulo praedicto pro beneficiis eidem unitis; licet adducetur ratio, quod reditus tum Communeriae, tum dictorum beneficiorum pro distributionibus quotidianis deserviant: *Ibid. dub.* 2.

48. Renuerunt Abbas, et Monachi Monasterii S. Catherinae Ordinis Coelestinorum persolvere contributionem Seminario Oppidensi in summa ducat. 40. sicuti taxati fuerunt, allegantque in eorum favore privilegium S. Pii V. quod revocatum non fuit a Constitutione Gregorii XIII. (125) S. C. consulta non teneri resolvit: *Oppiden. Contrib.* 16. *Novem.* 1715.

49. Quum Card. Rapacciolus Episcopus Interamnae in Synodo habita 1653. devenisset ad fundationem, ac institutionem Seminarii, taxam constituit ad rationem duorum scutorum pro quolibet centenario. Haec pacifice exacta fuit, sed modo contendentibus nonnullis beneficiatis S. C. decernit Parochos, Be-

(124) Ubi decernitur, Quod si Cathedralium, et aliarum majorum Ecclesiarum Praelati in hac Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint; Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum, et Superiores Synodus Provincialis acriter corripere, et ad supradicta cogere debeant, et ut quamprimum hoc sanctum, et pium opus, ubicumque fieri poterit promoveatur, studiose curabit.,,

(125) Redacti Fratres Mendicantes ad jus commune privilegiorum per Concilium Tridentinum gravamina sua detulerunt ad S. Pium V., qui iisdem multa privilegia concessit (*vid. not.* 116.). Haec omnia privilegia rursus revocat Gregorius XIII. *Const. In tanta* 1. *Martii* 1573. *Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 250.

neficiatos, Confraternitates, ceterosque omnes comprehensos in taxa Seminarii Conciliaris Interamnae facta de anno 1653. per dictum Card. Episcopum cogendos esse coram Curia Episcopali dictae Urbis ad solutionem ejusdem taxae pro terminis elapsis, et decurrendis, quacumque appellatione suspensive; et quibuscumque inhibitionibus Urbis non obstantibus: *Interamnen. Taxae Semin* 11. *Maii* 1720.

50. S. C decrevit beneficium Beatissimae Virginis erectum in Cathedrali Velitern, ac per Sistum V. unitum Collegio Pl. S. Bonaventurae Urbis esse subjectum axae in favorem Seminarii; licet esse rendicantes, ac centenariam asserant libertatem: *Veliterna Taxae Semin.* 24. *April.* 1723. *confir.* 31. *Julii ejusd. anni*(126).

51. Nomine Capituli, et Canonicorum Urbis raenestis fuit S. C. narratum, quod a solutione taxae Seminarii gravamen patiebatur, quando potius levamen experiri debuisset propter unionem beneciorum eidem Seminario factam, et eius annuos reditus auctos. Taxa fuit praescripta usque ab anno 1669. ratione scut. duorum pro quolibet catenario, quae etsi postea decreverit, amen diminutionem idem Capitulum ac Canonici petunt. S. C. distulit solutionem, et remisit ad Card. Praefectum, qui peritum eligat ad effectum firmandi statum super reditu Canonicatuum, detractis distributionibus, aliis oneribus: *Praenestina Taxae Sin.* 29. *Januar.* 1724.

52. Abbatem Farfensem non teneri taxam persolvere Romano Seminario, et fribus mensae Abbatialis S. C. resolv quum ille Abbas doceret S. C. derogatione dictae taxae in favorem Seminarii Toffiae ad seipsum spectantis: *Romana Taxae Semin.* 11. *Aug.* 1742.

53. Inter cetera Beneficia, quae Seminario contribuere tenentur adest Capella S. Caeciliae erecta in Ecclesia B. M. de Planctu, quae fuit collata a Clem. XI. Praesuli Alexandro Bonaventurae suo Elemosynario, et Vestiario, inde Archiepiscopo Nazianzeno, qui dum vixit taxam non persolvit, nec modo haeredes persolvere volunt, quia fuit familiaris Papae. Hac de causa requiritur, an familiares Papae habentes indultum Clem. XI. teneantur solvere taxam Seminario pro tempore, quo inserviunt Summo Pontifici viventi? rescripsit dilata, et ad mentem: *Romana taxae Semin.* 12. *Febr.* 1724.

54. Majoricensis Episcopus ad taxam beneficiorum suae Dioeceseos decrevit, ad hoc ut fieret pro Seminario contributio ad rationem quatuor pro centenario, et inter cetera beneficia subjecit taxae quatuor beneficia unita, et annexa Monasterio PP. Carthusianiorum Vallis de Mosa. Putabant PP. Carthusiani beneficia eorum Monasterio unita esse a contributione pro Seminario exempta. Favorabilem coram A. C. Gentili reportarunt sententiam, sed quaestio ab hac S. C. oraculo responsum fuit, ut scriberetur juxta instructionem: *Majoricen.* 10. *Maii* 1727. *dub.* 2.

55. Clericorum Collegio, quod ad praescriptum Tridentinae Synodi in urbe Romae institui, et a PP. Societatis Jesu regi voluit Pius IV. ratam portionem quoque fructuum ex omnibus beneficiis detrahendam assignavit, dotem sic Seminario Romano constitutam confirmavit postea inviolateque servari jussit Urbanus VIII. Itaque Collegiatae Ecclesiae SS. Celsi et Juliani impetra-

(126) nc causam patrocinatus est Advocatus inicus Ursaya in favorem Curiae Episcopalis, et rationes cumulavit *in discept. Eccl. XXIV. tom. V. part.* 2. *per tot.*

ta fuit contributio annuorum Scut. 38. et ob. 50. quae hactenus soluta fuit. At modo docens de exiguitate redituum moderationem postulat. S. C. respondit consulendum Sanctissimum pro confectione novae taxae Generalis per Card. Urbis Vicarium constituendae et interim quoad Capitulum SS. Celsi, et Juliani supersedendum in solutione pro medietate: *Romana Taxae Semin.* 9. *Aug.* 1732. *dub.* 1. *et* 2.

56. Episcopus Montis Alti Visitator, ac Administrator Setinae Dioecesis in taxa Seminarii anno 1727. ab ipso confecta statuit, ut Monasterium sub Instituto S. Clarae in Civitate Setiae jampridem erectum pro annuo reditu, qui in scutis 400. ex nonnullis bonis percipi asseritur, quolibet anno summa scut. 12. Seminario contribueret. Haec fuit soluta per plures annos, postea moniales exponentes se nullum possidere beneficium Ecclesiasticum adnexum suo Monasterio, ac temporalibus bonis destitutas adeo esse, ut vivere nequiverent, nisi Communitas dictae Civitatis annua scut. 100. pro earum victu suppeditaret, supplicarunt pro exemptione injuncti oneris, et sub die 20. Maii 1731. inspecta Episcopi informatione benigne (Sanctitas sua) annuit pro petita exemptione, et solutione taxae Seminarii, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Conquesti sunt Seminarii deputati de subreptione gratiae impetratae, quia expressum non erat, taxam examinatam, ac approbatam fuisse a S. C. super Seminariis deputata. Hinc cognitio praetensae exemptionis remissa fuit ad S. C. quae primum rescripsit firmari statum Monasterii: *Setina Taxae Semin.* 24. *Sept.* 1735. Deinde ad taxam praedictam Monasterium teneri decrevit: 2. *Junii ejusd. anni.*

57. Carolus Grandulfus Rector Capellaniae, quam comes Ferdinandus Montemarte jussit erigi in Ecclesia SS. Nominis Jesu, quum fuerit gravatus onere solvendi Seminario Romano taxam in annuis scutis 4. et ob. 90. postulavit, ut donec viveret, eximeretur ab hoc onere, tum quia nulla facta fuerit ei peculiaris citatio ad deducenda jura sua in S. C. particulari deputata pro taxa Seminarii, tum ob tenuitatem redituum, tum demum quia fuit super alias quascunque praegravata dicta Capellania, et S. C. teneri ad solutionem et quoad summam ad formam taxae decrevit: *Romana Taxae Semin.* 14. *April.* 1736.

58. Beneficiati, Parochi et loca Pia Abbatiae SS. Trinitatis Seminario Miletensi in summa per peritos taxata persolvere tenentur, quum Abbatia haec sit mensae Episcopali unita et illius pueri inter alumnos Seminarii recipiantur. Licet ante unionem haud taxam solveret, et in unione jura, et privilegia fuerint ei praeservata: *Mileten. Taxae Semin.* 6. *Decem.* 1738.

59. Ob multiplici tot oppositorum colluctatione, qui renuunt taxam Seminario Marispurgensi persolvere, sententiam S. C. Apostolicus Nuntius apud Helvetios residens exoptat. Nam opponuntur Equites Hierosolymitani, Equites Theutonici, Abbas Monasterii ad vineas, Praeses Congregationis Benedictinae, Congregatio Benedictina Helvetica, Abbas S. Galli, Praefectus Monasterii Rhenoviensis, Abbas Campidonensis, Monasterium S. Blasii in sylva Hernicia, Ordo Praemonstratensis, et tres Abbates Ordinis Cisterciensis, videlicet Salermitanus, Macistellanus, et S. Urbani. Dubium S. C. exhibetur, an Ordines Equestres, et Regulares, de quibus agitur in Dioecesi Constantiensi teneantur ad contributionem taxae pro erectione, et in qua summa? respondit, ut exequatur votum unius ex Cardinalibus, et ad mentem. *Con-*

stantien. *Taxae Semin.* 19. *Januar*. 1739.

60. Non Commendatarios Religionis Hierosolymitanae cui duo oppida, Melicucca, et Drusium nuncupata subjecta sunt in temporalibus, sed Episcopum Miletensem, intra cujus Dioeceseos fines illa sita sunt, quique consueverat, manutenendum esse in jure exigendi taxam Seminarii ex Beneficiis erectis in dictorum oppidorum Commendis: *Mileten. Jurisd.* 3. *Aug.* 1743. *dub.* 13. *confir.* 23. *Novem. ejusd. anni.*

61. Monasterium S. Mariae del Patirio ordinis D. Basilii situm in Dioecesi Rossanensi, quod commendari solet, Granciam habet adnexam quae nuncupatur Scalito sitam in Dioecesi Miletensi. Hujus reditus, qui summam annuam efficiunt scut. 190. quique lege separationis utriusque mensae liberi, et immunes esse debent ab omnibus oneribus, quod alimentis Monachorum destinati fuerint, taxam Seminarii nunquam persolverunt, modo posito reditibus Granciae sequestro solvi coacti fuerunt Monachi, qui res definire postularunt. S. C. primum rescripsit dilata suspensa solutione taxae: *Mileten.* 7. *Aug.* 1745. *dub.* 1. *et* 2. Deinde praedictos Monachos non teneri ad solutionem dictae taxae pro Grancia, et Ecclesia Scaliti statuit: 4. *Decem. ejusd. anni dub.* 1. *confir.* 18. *Junii* 1746.

62. Nec non teneri Seminarium restituere ducata 27. a dictis Monachis anno elapso exacta, definitur: *Ibid. dub.* 2. *confir. ibid.*

63. Est in Civitate Tarenti simplex Beneficium seu Abbatia titulo SS. Petri, et Andreae, quae annuum reditum praestat ducat. 58. aut. 60. solvitque Seminario Tarentino contributionem ducat. 25. Quum hanc possideret Abbatiam, Johannes Vincentii ultimus Abbas conquestus est, ea ratione quod non solum habet bona dicta Abbatia in Civitate Tarenti sed etiam plurima in terra Mandurii Dioecesis Uritanae. Ignatius Marrese hodiernus possessor dicti beneficii renovat instantias. S. C. protelavit resolutionem addens ad mentem *Terentina Contrib.* 15. *April.* 1747. Deinde deberi pro rata parte bonorum dumtaxat possessorum per Abbatem Ignatium Marrese decrevit: 12. *Aug. ejusd. anni.* Postea vero mandavit exhiberi litteras Apostolicas Provisionum utriusque partis: 27. *Januar* 1748. confirmat, et additum, quoad summam deberi pro rata portione bonorum: 27. *April. ejusd. anni confir.* 9. *Maii* 1750.

64. Erecto Seminario ab Episcopo Asculano, quum illius reditus tenues esse et vix ad Ducatos biscentum perveniant, non obstante taxa beneficiorum, locorumque piorum, atque unione simplicium beneficiorum, censuit Episcopus PP. Minores Conventuales, et PP. Eremitas Ordinis Divi Augustini cogi posse, ut in causam Seminarii contribuerent. S. C. eos non teneri resolvit. *Asculana in Apulia* 5. *Julii.* 1749.

65. Coacto ab Archiepiscopo Laelio Brancatio, qui tunc temporis Ecclesiae Surrentinae praeerat, Provinciali Concilio an. 1572. consensum praestantibus Capitulo, et Clero Civitatis, et Dioeceseos, constitutum fuit, ut juxta Tridentini Decretum (127) Collegium seu Seminarium erigeretur, cui omnes Surrentinae Dioeceseos certam annuam quantitatem praestare tenerentur. Renuit autem Archiepiscopus Capuanus Abbas S. Petri ad Crapollam, quae intra fines Surrentinae Dioecesis sita est. Re in S. C. deducta decretum est taxam Seminario Surrentino esse solvendam: *Surrentina Taxae* 5. *Decem.* 1750. *confir.* 16. *Januar.* 1751.

66. Quum Seminarium in urbe Se-

(127) *Vide. not.* 111. *pag.* 317.

tiae pro unaquaque Dioecesi Setina, Privernati et Terracinensi erectum, nec opibus necessariis, nec aedibus potiretur, largitate Card. Corradini aedes aedificatae fuerunt, quae tamen imperfectae remanserunt, proindeque mandavit Pontifex ut taxa conficeretur juxta Tridentinum (128) ac constititutionis *Creditae nobis* impressae post concilium Romanum *num.* 27 (129) Et constituta fuit ad rationem scut. 3. ac per Brevem Apostolicum approbata. Renuerunt tamen solvere Abbas Commendatarius S. Mariae Fossae Novae, et Monasterium, ac Monachi Ordinis Cisterciensis Civitatis Priverni. S. C. decrevit de hac quaestione consulta non intrare arbitrium pro aperitione oris, sed quoad Monachos videatur particulariter : *Terracinen. seu Setina Taxae* 9. *Sept.* 1752. *dub.* 1.

67. Ac taxa imposita in favorem Seminarii sustinetur ad formam resolutionis primi dubii : *Ibid. dub.* 2.

68. Insuper non retardata solutione taxae pro praeterito ad formam Brevis firmari status pro futuro praecipitur : *Ibid. dub.* 3.

69. Quum Episcopo nunciatum fuisset nomina Seminarii Brictinorii, ac expensas ejusdem, ducto calculo decennali superare singulis annis acceptum in scut. 130. Ipse Episcopus in ultima Synodo novam taxae impositionem indixit. Statim quaestio facta est in S. C., ac dubia disputata fuerunt an Canonici, Parochi, et Beneficiati Brictinorii, et totius Dioecesis debeant persolvere taxam scut. duorum cum dimidio Seminario? et quatenus affirmative.

70. An ad hujusmodi taxam teneatur solvere dictum taxam a tempore ultimae Synodi?

71. An a reditibus Parochiarum, et Beneficiorum prius detrahi debeant onera Missarum, Festivitatum titularium aliaque onera, et expensae fixae?

72. An eligi debeant quatuor Deputati Seminarii, alter nempe a Capitulo alter a Clero, et alii duo ab Episcopo ad formam Concilii (130)?

73. An in admittendis alumnis diminui possit annua solutio scut. 25. pro Dioecesanis, et scut. 30. pro exteris ordinata in erectione Seminarii?

74. An administratio cum sententia Syndicatoria describi debeat in libris legaliter retentis, seu potius in exiguis codicibus volantibus? et quatenus affirmative ad primam partem.

75. An multandi sint Rectores pro tempore, si eorum administrationem non transcribant in iisdem libris Seminarii?

76. An Credita inexacta per culpam Rectorum pro tempore debeant ipsis, seu eorum haeredibus assignari pro eorum creditis? ad singula S. C. rescripsit dilata in omnibus, et interim non retardata solutione taxae firmetur status Seminarii : *Brictinorien. Taxae* 7. *April* 1753. *dub.* 1. *usque ad* 9.

77. Magna impendit contentio fuit ad Taxam quo Seminarii Archiepiscopalis Tranensis. Ad examen ponitur, an PP. Ordinum Praedicatorum S. Dominici, Minorum Conventualium S. Francisci, Eremitarum S. Agustini, Carmelitarum S. Johannis de Deo, Servorum B. M. V., Societatis Jesu, et Coelestinorum Civitatis Baruli, et respective Corati teneantur ad taxam pro Seminario? S. C. respondit quoad Patres S. Johannis de Deo affirmative: Quoad PP. Coelestinos videatur particulariter, quoad reliquos negative. *Tranen. taxae* 14. *Maii*

(128) *Vide not.* 107. *pag.* 314.

(129) Edita 9. *Maii* 1725. (*Bull. Rom. tom.* 11. *part.* 2. *pag.* 409.), qua locorum Ordinariis Italiae, Insularumque adjacentium districte mandatur, ut Seminariorum honestae conservationi provideant taxa, et subsidiaria respective unione beneficiorum, juxta modum a Sacro Tridentino Concilio praescriptum.

(130) *Vide not.* 106.

1763. *d.* 1. Instantibus PP. S. Johannis de Deo, quia instituto suo habent curam infirmorum, pro qua omnes suos reditus consumunt S. C. recessit a Decisis, et decrevit bona pro manutentione Hospitalis Baruli non teneri: 17. *Decem. ejusd. anni.*

78. Capitula Ecclesiarum S. Mariae Majoris, et S. Jacobi dictae Civitatis Baruli, et Capitulum Collegiatae Ecclesiae urbis Corati tenentur ad taxam praedictam ad formam instructionis Bened. XIII. Pont. Max. (131) *Ead. Caus. dicto mense Maii* 1763. *dub.* 2. *et* 5.

79. Postea disputatum fuit, an Monasteria Monialium S. Stephani, S. Luciae, et S. Clarae ejusd. Urbis Baruli teneantur ad praedictam taxam?

80. An possessores Beneficiorum, seu Legatorum piorum de Domo, et familia Trisono, Valentini Mangione, Barbirosso, dell' Aglio, Raimondi, Taddei, Queralt, Bonelli, Veneri, Scioti, Anelli, Caldi, Pacis, Gerardini, et Molini, necnon Sanctae Mariae Constantinopolis, Sanctissimae Assumptionis, SS. Blasii et Nicolai de Tolentino, S. Michaelis Archangeli, Purificationis, et S. Ægidii dictae Civitatis Baruli teneantur etiam ad illam?

81. An denique Monasterium Monialium Sanctissimae Annuntiationis dictae Civitatis Corati teneatur pariter ad eamdem taxam? S. C. responsum affirmativum praebuit; addendo, et ad Card. Praefectum ad mentem suspensa interim exequutione taxae: *Ibid. dub.* 3. 4. *et* 6.

82. Deinde inquirere conati sunt de aequitate contributionis ab Archiepiscopo, et Seminarii deputatis constitutae, indicta taxa ad rationem quatuor centenario, a qua exempti sunt Mensa Archiepiscopalis, Capitulum Cathedralis, et Civitatis Trani Clerus ob alias contributiones in duc. 600. urbi impositas, et S. C. discusso dubio an locus sit approbationi taxae? respon-

(131) Transmissae ad Episcopos Italiae, et Insularum adjacentium cum Epistola Encyclica 30. Martii 1726. in qua instructione §. 2. quoad Capitula Metropolitana, aut Cathedralia, ac Collegiata Dioecesis legitur „ Sono i predetti Capitoli, Dignità, e Canonici tenuti al pagamento della Contribuzione, o sia Tassa del Seminario, come si deduce dal Sagro Concilio di Trento alla citata *Sess.* 23. *Cap.*° 18. *de reform.*, e nel liquidare l' annue entrate, ad effetto di regolare la Tassa, dovranno osservarsi (*S. C. Concil. in Panormitana anni* 1585. *in Salernitana anni* 1589. *dub.* 4. *in Avellina* 15. *Januar* 1601. *in Eugubina* 1. *Decem.* 1605. *in Sabin.* 23. *Junii* 1640. *dub.* 1.) le regole poc' anzi accennate, ed inoltre la seguente, ed è di non valutare nell' annua entrata ciò, che si dà a chi interviene ai Divini Offizj a titolo di distribuzione, essendo queste esenti dal pagamento al Seminario in tal maniera, che se i Canonicati non hanno Prebenda, e se tutta l' entrata consiste nelle distribuzioni, non si devono questi Cononici astringere al pagamento a proporzione di tutta l' entrata, ma di due delle tre parti della medesima, facendo in questo caso le dette due parti la figura di Prebende, e la terza delle distribuzioni, secondo la vera intelligenza delle risoluzioni della S. C. del Concilio.

E nel caso, in cui fossero stati uniti al Capitolo, o alle Prebende alcuni Benefizj, acciò colle rendite di questi si costituissero le distribuzioni quotidiane a proporzione delle annue entrate de' Benefizj uniti al Capitolo, o i Prebendati, sarebbero obbligati al pagamento della Tassa al Seminario, come pure più volte è stato risoluto dalla S. C. del Concilio. (*in Narnien. Contributionis Seminarii* 2. *April.*, *et* 30. *Maii* 1661. *in Lucana* 29. *Januar.* 1686.)

E per terminare ciò, che risguarda i Capitoli si soggiunge, che per regolare la Tassa non si dovranno calcolare i Legati Pii delle Messe, che ad essi sieno stati lasciati, siccome nè meno le elemosine, che si fanno alle loro Sagrestie, ma solamente le rendite fisse, e stabili d' esse, ancorchè le medesime provengano da Legati Pii giusta la risoluzione della S. C. del Concilio (*in cit. Sabinen* 23. *Junii* 1640. *dub.* 1.) ".

dit dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta instructionem (132): *ead. Caus.* 23. *Martii* 1765. Inde decrevit, Mensam Archiepiscopalem teneri ad taxam deducto, quod impendit Archiepiscopus in contributione ducat. 600. 14. *Januar.* 1769. *dub.* 1.

83. Necnon Capitulum Cathedralis, et Clerus tam secularis, quam Regularis Civitatis Trani tenetur ad taxam deducto quod impendit Clerus in contributione ducat. 600. *Ibid. dub.* 2.

84. Et locum esse denique definiit approbationi taxae ad rationem 3. pro centenario facto verbo cum Sanctissimo: *Ibid. dub.* 3.

85. Convitrices Sacrae Familias Civitatis Setinae ad solutionem taxae Seminarii habentes scholas ad instituendas, et praesertim ad pietatem puellas, et mendicantes esse fatentes, minime teneri responsum prodiit: *Setina.* 18. *Maii* 1765. *dub.* 2.

86. Seminarium Viterbii elapso seculo erectum opera, et munificentia Episcopi Brancacii, canonicam hic contributionem pro eo statuit, quam in Synodo anni 1724. Episcopus Sermattei, ditiori jam facto Seminario non amplius solvendam decrevit. Elapso anno ob aes alienum, quo Seminarium gravabatur deputati supplicarunt pro approbatione taxae ad rationem 1. 50. pro centenario. Ob id S. C. placuit decernere contributioni Seminarii taxae esse locum ad ratam scut. 3. juxtam votum Card. Episcopi (133) servatis tamen conditionibus praescriptis a Sac. Concil. Trident. (134) *Viterbien. Taxae* 10. *Maii* 1766.

87. Pensionarios ad solutionem taxae in favorem Seminarii Veliterni teneri S. C. decrevit: *Veliterna Taxae Semin.* 20. *April.* 1771.

88. Inter alia beneficia, quae taxam Seminario Romano respondere debent, in motu proprio 19. Aug. 1636. Urbani VIII. qui illam taxam in meliorem formam redegit, descripta reperitur Capellania sub Invocatione S. Nicolai erecta in Collegiatam Ecclesia S. Marci, taxata pro annuis scutis quatuor. Hanc Capellaniam possidet Aloysius Franchi Clementini qui contributionem solvere detrectat, eo quod fuerit cubicularius intimus Clem XIV., et S. C. teneri affirmavit addendo, et facta relatione Sanctissimo Domino Nostro Sanctitas sua resolutionem S. Cong. approbavit, et in posterum observari mandavit: *Romana Taxae Semin.* 24. *Julii* 1784.

89. Seminarii taxam solvendam non esse ex Capellaniis mere Laicalibus institutis in Parochiali Ecclesia S. Crucis Montis Bodii, quae a fundatore Francisco Fisico nuncupatur *di Fisico*, declaratur: *Senogallien. Taxae Semin.* 6. *Decem.* 1794.

§. VII.

Seminarium quoad Visitationem et Exemptionem.

1. Licet Episcopo cum assessione De-

(132) Datae proinde fuerunt Archiepiscopo literae eumdem monentes, ut ad confectionem taxae procederet juxta formam traditam a Concilio Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.*, et a S. M. Bened. XIII. *in Const. Creditae nobis*, habita ratione tum personarum, a quibus solvenda foret, tum quantitatis redituum beneficiorum super quibus imponi debuisset: *Ead. caus.* 26. *Novemb.* 1768. §.

(133) Ait enim „ Quapropter optimum factu ducerem, si ab EE. VV. juxta praefatae Benedictinae Constitutionis normam perpetua ea taxa stabiliretur, per quam ad rationem scut. 5. pro quolibet centenario, et anno nedum repararetur contractum aes alienum, verum etiam pueri pauperum filii gravi illo onere levabuntur solvendi annuam eam prestationem, quae ditioribus etiam filiis non levis videtur " *Ead. caus.* 19. *April.* 1766. §. *ut*

(134) *Vide not.* 107. *pag.*314.

putatorum, quoties voluerit, Seminarium Viglevanense PP. Congregationis Somaschae curae commissum visitare tam in temporalibus quam in spiritualibus: *Viglevanen. Semin.* 27. *Januar.* 1714. *dub.* 6.

2. Idemque licet cum assessione ut supra Capitulo Cathedralis, seu Vicario Capitulari, Sede Vacante visitare: *Ibid. dub.* 7.

3. Quum unitum fuisset Seminarium Colimbriense Congregationi Piorum Operariorum, quam unionem Sum. Pont. approbavit, illudque exemit a jurisdictione Parochi, subjecitque Rectori, idem utens facultatibus tributis Rectori tum in implemento Paschalis praecepti, tum in administratione Sacramentorum infirmitatis tempore, tum in humatione decedentium, quae nisi alibi sepulcrum electum fuisset tradi voluit in Ecclesia publica ejusdem Seminarii. Id aegre ferens Prior Collegiatae, et Parochialis S. Petri quaestio proposuit in S. C., quae resolvit in favorem libertatis ejusdem Seminarii, ac locum non esse in dicto Seminario exercitio jurium, ac functionum parochialium: *Colimbrien. Exempt. Semin.* 12. *Martii* 1757. *Confir.* 18. *Junii ejusd. anni.*

§. VIII.

Seminarium quoad Unionem, Translationem, ac Restitutionem.

1. Quum adhuc Seminarium Urbis Carpentoracti careret domo pro habitatione alumnorum, ac aliis necessariis pro manutentione Directorum modernus Episcopus praevia donatione libr. 6000. illud univit Collegio Societatis Jesu dictae Civitatis certis adjectis conditionibus, inde supplicavit S. C. pro confirmatione, quae annuit petitis juxta votum Card. Ruffi (135): *Carpenctoraten. Unionis* 23. *Febr.* 1709.

2. Unio Ecclesiae SS. Annuntiatae terrae Squintiani facta de consilio Deputatorum a Capitulo, et Clero Lyciensi ab Episcopo, necnon incorporatio Seminario Dioecesis non sustinetur instante Communitate Squintiani. Sed Episcopus conficiat taxam prout de jure. Ita S. C. decrevit. *Lycien. Unionis* 16. *Maii* 1711.

3. Quum Episcopus Melevitanus S. C. indicasset suum Seminarium esse in Civitate Notabili, et se suam habere ordinariam residentiam in Urbe Vallettae, quae quinque miliaribus distat a Civitate Notabili, seque idcirco magna cum difficultate posse illud administrare, et visitare, exorassetque pro facultate transferendi ad memoratam Vallettae Civitatem sub obtentu, quod in eadem scholae reperiuntur apertae in quibus aptius alumni studiis essent vacaturi, nullo habito respectu vel ad locationem Domus conducendae in Civitate Vallettae vel ad servitium praestandum Cathedrali, quae est in Civitate Notabili, tum quia Seminarium propriam Domum non habebat, tum quia alumni solemnioribus festis, quibus Episcopus ad suam accedit Cathedralem debitam poterant praestare as-

(135) Requisitum insuper fuit votum Card. Ruffi, qui pacta in Instrumento Unionis adjecta singillatim librando, eaque uti Sacris Canonibus, et Concilio consentanea laudando, sensuum suum pro unionis approbatione aperit; non alias tamen, quam ad formam Sacri Concilii *Cap.* 18. *Sess.* 23. *de reform.* ad tollendum quodcumque aequivocum, quod ex praememoratis clausulis emergere posset ita ut omnimoda jurisdictio in Seminarium pertineat ad Episcopum preservata tantum apud Superiores Soc. Jesu jurisdictione quoad Personas suorum Regularium in Seminario degentium ad instar similis unionis Seminarii Albanen. nuper factae Religioni PP. Scholarum Piarum a SSmo D. N. " *Ead. caus.* 23. *Febr.* 1709.

sistentiam, S. C. sub die 5. Junii 1723. facultatem petitam eidem tribuit, qua de causa translatio peracta fuit. De qua modo Capitulum Cathedralis conqueritur, et S. C. in Decisis respondit: *Melevitana Semin.* 9. *Julii* 1725.

4. Seminarium, quod jam pridem in aedibus Monasterii Abbatiae S. Salvatoris Majoris, quae una cum Abbatia Farfensis Abbati seculari commendari solet, extructum deinde translatum, unitumque alio Seminario Tophiae reperiebatur, quum Card. Lante Abbas Commendatarius in actu visitationis advertens tres esse in aedibus S. Salvatoris Majoris Ludimagistrum, nempe Vicarium totius Abbatiae, et Æדituum, et si in iisdem aedibus Seminarium restitueretur, posse Vicarium obire munus Rectoris, Æditaus, Praefecti, et stipendia ex reditibus Mensae Abbatialis solvi, agnoscens plurimos esse, qui grammaticae studebant, et die noctuque in iisdem aedibus morabantur, postulavit transferri Seminarium Tophiae ob aerem salubriorem. Opposuerunt Universitates pene omnes Abbatiae Farfensis. S. C. decrevit esse locum restitutioni Seminarii in aedibus Monasterii Abbatiae S. Salvatoris Majoris pro alumnis dictae Abbatiae: *Nullius Farfen. et S. Salvat. Maj. Semin.* 25. *Januar.* 1749. *dub.* 1.

5. Qua causa annua praestatio scut. 144. ex Mensa Abbatiali S. Salvatoris soluta Seminario Tophiae pro alumnis S. Salvatoris continuanda non est Seminario Tophiae, sed potius debetur dicto Seminario S. Salvatoris: *Ibid. dub.* 2.

6. Ac dicto Seminario Tophiae non debetur suppeditatio scut. 144. annua elapsa, et soluta pro tempore quo non fuerunt retenti alumni in dicto Seminario: *Ibid. dub.* 5.

7. Et pro medietate est locus arbitrio Card. Abbatis applicandi Seminario S. Salvatoris attributionem annorum scut. 150. a Seminario Romano dismembratam: *Ead. Caus.* 6. *Decem. ejusd. anni dub.* 1.

8. Et quoad alumnos de Abbatia S. Salvatoris retineri possit in Seminario Tophiae in vim dispositionis testamentariae quondam Martii Ruffetti medietas juxta vires haereditatis: *Ibid. dub.* 2.

9. Ac dicto Seminario Tophiae non debetur assignatio scut. 150. elapsa, ac non soluta tempore, quo non fuerunt retenti alumni in dicto Seminario. *Ibid. dub*: 3.

10. Posthaec Card. Abbas detexit Bened. XIV., quod in Seminario S. Salvatoris Majoris augetur quotidie numerus alumnorum, et Seminarium Tophiae redditur absque spe denuo aperiendi ex defectu proventuum, et petitam ad tempus translationem redituum eidem spectantium, ut admitti possint alumni Farfenses in Seminario S. Salvatoris, suo arbitrio commissam obtinuit. Hic utens facultatibus sibi tributis applicavit, univitque reditus praedictos. Capitulum Collegiatae Ecclesiae terrae Tophiae, ac Universitates Farfenses se opposuerunt, quum ab una ad alteram Abbatiam translatio dicta praesefferat voluntatis Fundatorum commutationem. Locus ob id fuit dubiorum examini. An substineatur indultum Bened. XIV. Pont. Max. diei 25. *Maii* 1751. de quo agitur?

11. An locus restitutioni Seminarii Farfensi ab aedibus Monasterii S. Salvatoris ad terram Tophiae, et quatenus affirmative.

12. An sit standum vel recedendum a decisis sub die 25. Januar. quoad 1. 3. 4. et 5. dubium, et 6. Decem. 1749., ad quae definitivum non retulit responsum, dilata et impetrentur facultates a SSmo, et causa proponatur citatis omnibus interesse habentibus

Procuratore Abbatis Commendatarii, Rectoris Seminarii SSmi Salvatoris, et ad mentem (136) dixit : *Nullius Farfen. Semin.* 9. *Aug.* 1777. *dub.* 1. 2. *et* 3.

Senior Canonicus *Vide Canonicus* §. *II.*

Separatio Thori. *Vide Matrimonium XXVII.*

Sepeliendi Jus. *Vide Cadaver* §. *IV. Capitulum Ecclesiasticum.* §. *III.*

§. I.

Sepultura quoad Constructionem, ac Dominium.

1. Societatem Ecclesiae Plagarum SS. Domini constructionem monumenti Johanni Bartoli legata pia relinquenti in favorem Altaris Majoris dictae Ecclesiae ab haerede dicandi cum inscriptione in Ecclesia dicta Sodalitii impedire posse S. C. decernit: *Romana Apposit. Insig.* 4. *Sept.* 1700. *dub.* 2.

2. Indecorum existimans Episcopus quod abusum inoleverit effodiendi pavimenta Ecclesiarum Dioecesis pro tumulandis cadaveribus, edicto vetuit hoc sub poena ducat. 50. Hinc occasione mortis mercatoris Antonini Micii haeredes supplicarunt pro dicta excavatione, Episcopus concessit facultatem solutis duc. 20., renuentibus illis majorem summam, quam consuetam 6. duc. persolvere invocarunt S. C., quae decrevit ad dubia, an Episcopo volenti concedere facultatem frangendi pavimentum pro humandis cadaveribus, licitum sit praetensam taxam ducat. sex diminuere, augere seu etiam in totum tollere et quatenus augeatur ultra duc. sex.

3. An exactio incrementi injungi possit, ut fieri debeat a Capitulo? Responsum datum est negativum, et servetur Bulla B. Pii V. (137): *Fundana Sepul.* 19. *Maii* 1708. *dub.* 1. *et* 2.

4. Parochus Castri S. Felicis impedire nequit constructionem duorum sepulcrorum in Ecclesia Parochiali unum nempe pro viris alterum pro mulieribus, quae Communitas construere voluit, quia Defunctorum cadavera ut plurimum in coemeterio sepeliebantur, quum pro humatione in tumulo existente in Ecclesia solvi deberent scuta tria pro adultis, et unum cum dimidio pro impuberum cadaveribus: *Spoletana Sepul.* 24. *Aug.* 1709. *ad dub.* 1.

5. Monumentum sibi, suaeque Familiae construxit in Sacello Ecclesiae PP. Cappuccinorum a se aedificato Pius Georgius, ibique cadaver filii in pupillari aetate defuncti sepeliri curavit. Pro sepulcri constructione Religionis consensus accessit praevia licentia S. C. Episcop. et Regul., contradicente vero Parocho Mondavii, intra cujus Parochiae limites existit conventus, res autem ad aures S. C. pervenit, quae rescripsit erectionem sepulcri sustineri non solum pro persona Pii Georgii, verum etiam pro tota ejus familia: *Fanen. Sepult., et Quart. Funer.* 6. *Maii* 1719. *dub.* 1.

(136) Mens non potuit invenire, sed ex Synodo Dioecesanae Abbatis Commendatarii Lanti anni 1789. (Romae 1790 pag. 127.) habemus *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. „ quod Seminarium in terra Tophiae postea a Card. Lante proximo praedecessore translatum fuit ad Monasterium S. Salvatoris Majoris, ibique ab eo tempore ad majorem, melioremque formam redactum, hodie nunc non sine nostro gaudio, nostrarumque Dioecesium utilitate, ac decore undique splendescit. “ et paulo post „ quod maneant ibi 26. Alumni duodecim ex Abbatia Farfensi eligantur juvenes, reliqui vero 14. ex altera S. Salvatoris Majoris. “

(137) Edita 1. *April* 1566. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 284.) quae incipit *Cum primum*, decernit §. 6. „ Et ut in Ecclesiis nihil indecens relinquitur, iidem provideant, ut capsae omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur “.

6. Fundatrici Margharitae Leité de Figueredo sepulcrum in Capella suis impensis erecta, et dotata B. Joannae Principissae Portugalliae dicata pro se, suisque successoribus salvis juribus parochialibus retinere concedendum esse S. C. resolvit: *Portucallien.* 11. *Januar.* 1727. *dub.* 6.

7. Constructa Ecclesia S. Mariae Liberatricis ex piorum eleemosynis in terra Scanni: inibi erecta fuit Societas Laicorum, inde quaesitum, an liceat in eadem Ecclesia habere Sepulcra, et tumulare cadavera absque licentia Parochi, et in praejudicium jurium parochialium? responsum prodiit, licere habere sepulcra accedente licentia Episcopi, et posse in eis cadavera humari, si eligatur sepulcrum absque licentia Parochi; sed salvis juribus parochialibus: *Valven., seu Sulmonen.* 10. *Maii* 1727. *dub.* 2.

8. Pro constructione novi sepulcri per Confratres Societatis SSmi Rosarii existentis in Parochiali Ecclesia S. Nicolai oppidi Montellae unita alteri Parochiae S. Mariae del Piano in Collegiatam erectae, quae facta fuit in ipsa Ecclesia S. Nicolai satis fuit facultas Episcopi, nec requirebatur expressa licentia Capituli Collegiatae S. Mariae, quae unicam Paroeciam esse praetendebat: *Nuscana Sepult.* 28. *Januar.* 1736. *dub.* 1.

9. Incolae terrae Curtis initio saeculi XV. convenerunt cum PP. Minor. Observantibus S. Francisci de eligendo sepulcrum in eorum Ecclesia, ut funerum emolumentis facilius ali possent. Anno 1740. Sacerdos Andreas Arrighi aedificato Oratorio sive Ecclesia sub titulo B. M. V. in Coelum Assumptae S. Andreae, et S. Aloysii Gonzagae postulavit ab Episcopo Ecclesiae patronatum pro se suisque haeredibus in perpetuum, necnon facultatem construendi sepulcrum pro se, suisque parentibus, et haeredibus prout obtinuit, perfecitque: reclamantibus autem PP. Min. Observantibus, et Parocho sepulcrum, ut supra erectum ratum habuit S. C. *Alerien. Sepult.* 17. *Januar.* 1756. *d.* 1.

10. Et in concessione praedicti sepulcri comprehenduntur non solum agnati de familiae Arrighi verum etiam cognati in casu electionis: *Ibid. dub.* 2.

11. Quoad haeredes vero non continentur ii, qui non habent jus patronatus Ecclesiae, sed tantum haeredes habentes jus patronatus: *Ibid. dub.* 3.

Sepultura quae datur Cadaveri. *Vide Cadaver* §. *IV.*

§. II.

Sepultura quoad Electionem.

1. Supplicatur declarari; an pater possit sepulturam eligere filio impuberi, si in loco non adsit talis consuetudo, imo contraria Synodalis constitutio?

2. An electio hujusmodi sepulturae filii impuberis in praejudicium Parochi sit probanda per plures testes? S. C. respondit ad primum si legitime consuetudo loci id non habeat eligere non posse; ad secundum non esse opus resolutionis: *Placentina* 27. *Novem.* 1649. *dub.* 1. *et* 2.

3. Quaeritur, *Se sia valida l' elezione della sepoltura, che si fà nella presenza del Parroco da chi è sano, o infermo?* censuit S. C. esse validam dummodo Parochus non attestetur ad proprium commodum: *Neapolitana Elect. Sepult.* 13. *Febr.* 1666. *dub.* 1.

4. *Se al valor dell' elezione della sepultura si richieda il testamento nell' ultima volontà, o vero basti, che s'eleggi innanzi per altro atto pubblico, che non sia testamento?* rescribitur non requiri necessario testamentum: *Ibid. dub.* 2.

5. *Se sia nulla essa Elezione di sepoltura, quando s' elegga, eziandio per testamento fatto in vita, e non in mor-*

te? putavit non esse nullam: *Ibi. d.* 3.

6. *Se chi ha Capella di sua famiglia con sepoltura propria, o si comprasse Capella con propria sepoltura, morendo senza elezione di sepoltura, si debba sepellire nella Cathedrale?* non esse sepeliendum in Cathedrali respondetur: *Ibid. dub.* 4.

7. *Se sia valida l'elezione della sepoltura fatta alla presenza di due, o più testimonii?* esse validam respondit: *Ibid. dub.* 5.

8. *Se l'elezione della sepoltura fatta* per nutum *e per* signa *in caso che taluno non possa parlare sia valida?* esse validam dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis arbitrata est: *Ibid. dub.* 6.

9. *Se li Fratelli delle Confraternite si possino sepellire nella sepoltura della loro Chiesa, non facendo elezione di altra?* negativum datum est responsum: *Ibid. dub.* 7.

10. *Se l'elezioni della sepoltura, le quali* de jure praesumuntur, *come quella della Moglie rispetto al Marito, de' figli rispetto al Padre, e loro Maggiori, de' schiavi rispetto a' padroni, e simili siano valide?* cernitur, quatenus electo non fuerit sepulcro, uxorem in sepulcro ultimi viri sepeliendam esse, filios vero in monumento majorum, servos autem in Parochia: *Ibid. dub.* 8.

11. Confratres, et Consorores paucis ab hinc annis consueverunt collective, et collegialiter per publicum Instrumentum eligere sepulcri sui locum in aliis Ecclesiis, et signate regularium, in quibus Sodalitia erecta reperiuntur; hinc dubio proposito: an hujusmodi electio sepulcri collective, et collegialiter facta sustineatur in casu, de quo agitur? validam electionem sepulturae collective factam per Confratres individualiter consentientes esse S. C. judicavit: 16. *Maii* 1682. confirmat. addita clausula revocabiliter tamen: 19. *Decem. ejusd. anni.*

12. Dubium, controversumque est, an valida fuerit electio sepulcri facta a Vincentio Caesarino pro ejus filia impubere in Ecclesia PP. Reformatorum S. Francisci oppidi Scantiani? rescripsit; ut Episcopus omnino transmittat processum, et postea providebitur ad quem spectat solutio mercedis: *Suanen. Jur. Funer.* 10. *Julii* 1706. *dub.* 1.

13. Habita est quaestio, an liceat hominibus terrae Nursiae sepulcrum eligere in Ecclesia PP. Reformatorum S. Francisci die solemnis admissionis, et professionis ad ordinem Tertiariorum? respondit S. C. dilata, et audiatur Procurator Generalis Ordinis: *Spoletana Quar. Funer.* 30. *Sept.* 1719. *d.* 2.

14. Franciscam Rugerii de Gregoriis elegisse sepulcrum in Ecclesia PP. Tertii Ordinis S. Francisci terrae Massae constat; nam id desumitur ex duobus testibus, ac ex testimonio confessarii; *sempre mi ha detto e mi diceva di sua propria bocca, che venendo a morte voleva che il suo cadavere fosse sepellito nella Chiesa della Madonna SSma della Pace, e con questa disposizione è morta*: *Tudertina Elect. Sepult.* 4. *Julii* 1722. *dub.* 1.

15. S. C. constare pandit de electione sepulcri facta per Flaminium Marini in Ecclesia PP. Carmelitarum; nam haec desumitur ex quatuor testibus formaliter examinatis: *Sorana Funer.* 24. *April.* 1723. *dub.* 1.

16. Exteris urbis Cavae, et ab ea oriundis, qui incolatum per decennium non fecerant, nec bona possidebant stabilia in eadem Civitate, necnon aliorum per transitum decedentium intra districtum alicujus Parochiae licitum est eligere tumulum extra Ecclesiam Cathedralem absque Capituli consensu etiamsi in Cathedrali adsit fa-

bricatum Peregrinantium sepulcrum: *Caven. Funer.* 7. *Febr.* 1733. *dub.* 4.

17. Electio sepulcri a Confratribus Societatis SS. Rosarii existentis in Parochiali Ecclesia S. Nicolai oppidi Montellae fieri possit in monumento specialiter ab ipsis structo in dicta Parochiali Ecclesia pro Confratribus ejusdem Societatis: *Nuscana Sepult.* 28. *Januar.* 1736. *dub.* 2.

18. Testes super delectu sepulcri sufficit ut deponant oretenus cum juramento coram ipsomet Parocho, vel Vicario Foraneo, nec necesse est, ut recipiantur medio juramento per publicum Notarium: *Senogallien. Funer.* 19. *Decem.* 1739. *d.* 2.

19. Quum Joseph Frigerius diem suum explevisset, statim nata est de sepulcro controversia inter Praepositum Collegiatae Parochialis Ecclesiae S. Laurentii Civitatis Mortarii, ac Fratres Minores Observantes Conventus S. Bernardini; et cadaver ex mandato Vicarii Generalis tumulatum fuit in Ecclesia Parochiali. S. C. cui quaestio delata fuit, decrevit non constare de electione sepulcri. Nam testes declarant habuisse voluntatem Josephum sepeliri in Ecclesia Patrum, sed cum illa adjectione, *se poteva testare, se poteva morire con lingua*: *Violevanen. Funer.* 18. *Maii* 1743. *d.* 1. Confir. 27. *Junii* 1744. *ejusd. anni.*

20. Dominicus Thomas de Pisano, ejusque uxor, filii, et nurus in publico instrumento per se ipsos, et per suos filios sepulcri locum delegerunt in Ecclesia Conventus PP. Ordinis Praedicatorum terrae Tricasii. Conventus hujusce Prior iisdem tumuli locum gratuite, uti S. Dominici Benefactoribus concessit per Dominos de Pisanis, et per uxores praesentes, et acceptantes per semetipsos, eorumque haeredes, et successores. Controversia modo inter Archipresbyterum dicentem ad Fratrum suggestum electum ab illis fuisse sepulcrum, et Priorem electionem firmam esse adstruentem facta est, num electio haec facta a Fratribus de Pisanis pro eorum familia in dicta Ecclesia valida sit itaut ut omnia cadavera ejusdem Familiae, nulla alia facta delectione sepulcri, tumulanda sint in praefata Ecclesia, soluta Parocho portione canonica de jure debita? S. C. validam non agnovit: *Alexanen. Funer.* 3. *Aug.* 1743. *dub.* 1.

21. Ex jurato Sacerdotis Antonii, et Maria Coppula testimonio desumebatur, quod Leonardus de Pisano recens mortuus in Parochiali Ecclesia humari cuperet. Hac de causa etiam de illius sepulcri electione constare S. C. resolvit: *Ibid. dub.* 2.

22. Post mortem filii impuberis contra loci consuetudinem, et ad PP. eorumdem instigationem, et illis suadentibus sepulcrum filio in praefata Ecclesia PP. Praedicatorum delegit Pater Jacobus Minerva. Sed constituitur quaestio de validitate istius electionis, S. C. delectum pro filio impubere a Jacobo factum validum non esse definivit: *Ibid. dub.* 4.

23. Angelus etiam Lezzi pro filia impubere contra loci consuetudinem, et ad eorumdem Praedicatorum suasionem, et impulsum, sepulcrum in dicta PP. Praedicatorum Ecclesia illi delegit. Venit hoc in disquisitionem, et S. C. definitione explicavit, electionis ab Angelo factae validitatem firmando: *Ibid. dub.* 5.

24. Sodales Oratorii SS. Rosarii per actum publicum die 23. Octobris anni 1729. expletum, sepulcrum sibi elegerunt in dicta Praedicatorum Ecclesia. Archipresbyter idem eamdem praeseferens rationem, electiones nempe has omnes ad suasionem, instigationemque eorumdem PP. esse factas, contradicit. Proponi itaque fecit, u-

trum illae ante mortem non revocatae validae essent, validas non esse pariter resolvit: *Ibid. dub.* 6.

25. Locus denique hic habet dubitationis, utrum sepulcri electio facta in eadem Ecclesia per publicum Instrumentum, seu per alium actum ab aliis Sodalibus dicti Oratorii in respectiva ipsorum receptione, et ante obitum non revocata valida sit? pro valida similiter S. C. non habuit: *Ibid. dub.* 7.

26. Sanctinus Thomati biduo ante mortem filiae impuberis sepulcrum illi elegit in Ecclesia PP. Ordinis Dominicani, in qua et alii Sanctini filii, ejusque Majores reconditi fuerunt. Parochus non sinit ad illam Ecclesiam deferri filiolae corpus, detulit ad suam, ibique condidit. De hoc Parochi facto queruntur Patres, et consuetudinem filiis impuberibus eligendi sepulcrum ibi vigere asserunt. Ob id proponi appulerunt animum, an electio illa sustineatur? resoluta causa non fuit; demandatum vero, ut examinarentur testes formaliter, et extraherentur partitae humationis impuberum defunctorum citata parte: *Aquen. Juris elig. Sepult.* 19 *Aug.* 1752.

27. Incolae Ecclesiae Parochialis terrae Montis Cassiani Lauretanae Dioecesis possunt sibi eligere sepulcrum in Ecclesia PP. Reformatorum Forani existenti in Dioecesi Auximana: *Auximana, seu Lauretana Funer.* (138) 24. *Martii* 1753. *dub.* 2.

28. Episcopus Aptae Juliae a possessione functiones sodalitias peragendi in Oratorio, et pompas, publicasque supplicationes ducendi, turbavit Confratres Poenitentium in Civitate Boujeux Apostolica Auctoritate constitutos. Voluit inde, ne Sacerdos aliquis functionem ullam in Capella Confratrum perageret, et Cappellam denique ipsam interdixit. Apellarunt sodales, et obtinuerunt in possessione omnium pietatis operum agendorum collocari, et interdictionem non sustineri: Modo etiam assecuti sunt facultatem sepulcrum sibi eligendi in dicta Capella, jure Paroeciae firmo associandi cadavera, et exigendi quartam funerum manente: *Apten.* 2. *Decem.* 1758. *dub.* 3. *Confir.* 11. *Aug.* 1759.

29. In Dioecesana Synodo anni 1756. Episcopus sancivit sub poena nullitatis actus, et excommunicationis reservatae Sedi Apostolicae, *ut nemo cujusvis gradus, et conditionis, etiam Regularis, inducat aliquem ad sepulcrum eligendum, vel permittendum in propria Ecclesia, sive electum non commutandum*, solis Parochis permittitur interrogare infirmum, quo tumulo condi velit, adversus hoc decretum reclamarunt PP. minores de Observantia terrae Caprarolae; idcirco examinatur, an fas sit Confessario, et quibusvis aliis Ecclesiasticis Personis secularibus, et Regularibus interrogare qua quis in Ecclesia tumulari velit, et respective suggerere, et adhortari, ut sepulcrum eligat apud proprias Ecclesias; seu potius substineatur Edictum Ordinarii?

30. An licet laicis cujuscumque qualitatis, et conditionis non tantum interrogare, ut supra, sed etiam suggerere, hortari, et quocumque modo aliquem inducere ad eligendum sepulcrum apud unam, vel alteram Ecclesiam; seu potius substineatur Edictum Ordinarii? S. C. deliberationem distulit, ac ad Card. Praefectum ad mentem remisit: *Civitatis Castellane Funer.* 4. *Decem.* 1762. *dub.* 1. *et* 2.

31. Quam delectus sepulcri Mariae

(138) Haec Causa proposita fuit *die* 8. *et* 29. *Julii* 1752. sub titulo *Auximana, seu Recineten. Funerum*.

Siboniae, qui degebat in Monasterio S. Jo. Baptistae Fori Pompilli in Æmilia educationis causa probetur factus a puella ex testimonio duarum Monialium, sive Medici, et Confessarii, S. C. ratum judicavit: *Brictinorien. seu Nullius S. Ruphilli Jur. Paroch.* 21. *Junii* 1766. *dub.* 1.

32. Res obscura explanatur, an Patribus Familias competat jus eligendi sepulturam pro infantibus ante septennium morientibus, ad effectum tumumulandi illorum cadavera in sepulcro gentilitio absque licentia Parochorum? S. C. definiens, licere Patribus Familias tumulare filiorum impuberum cadavera in sepulcris gentilitiis sine licentia Parachorum; etiamsi Rituale Romanum (139) disponat, quod Parochi retineant separatum sepulcrum pro infantibus, cum ex hoc non sublatum sit patribus hujusmodi jus: *Reatina Jur. Tumul.* 31. *Martii* 1770. *d.* 1.

Sequestrum quoad Validitatem, ac Remotionem.

1. Ad id quod quaesitum fuit a S. C. ab Episcopo, videlicet liceat ne sibi fidei sequestri dare fructus beneficiorum; etiamsi sint Hierosolymitanorum Militum ad eorum Ecclesias instaurandas non obstante SSmi Domini Nostri Constitutione (140)? respondit id utique licere: *Hieracen.* 18. *Maii* 1590.

2. Episcopus potest ad effectum restaurationis Ecclesiae, ubi beneficia sunt fundata, et pro conficiendis sacris supellectilibus, reditus eorumdem beneficiorum sequestri custodiae committere: *Narnien.* 24. *Martii* 1657. *d.* 3.

3. Quum satisfactum fuerit dispositioni Concilii Tridentini *Cap.* 12. *Sess.* 24. (141) quoad fidei professionem ab Archidiacono Francisco de Podiis sequestrum super fructibus est removendum: *Sarzanen. Profess. Fidei* 14. *Januar.* 1679. *dub.* 2.

4. Dubio ponderato, an sequestrum factum a Vicario Generali super decimis Archiepresbyteri pro deputatione coadjutoris, ac omnia per eum gesta post pendentiam litis in S. C. veniant revocanda? respondetur revocandum esse sequestrum, si fuerit mandatum propter causam coadjutoris: *Farfen. Decim., et Deput. Capell.* 1. *Sept.* 1691. *dub.* 4.

5. S. C. aperuit suam sententiam, ad instantiam, an sequestra facta ab Episcopo Nucerino tam sub die 9. Octob. 1703. quam sub die 13. Julii proxime praeteriti super fructibus Abba-

(139) *Vide not.* 20. *tom.* 2. *pag.* 22.

(140) Nempe S. Pii V. *Exposcit* 21. *Sept.* 1571. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 3. *pag.* 180.), in qua jurisdictio Episcoporum visitandi Parochiales Ecclesias Fratrum Militum S. Johannis Hierosolymitani; quoad animarum curam, et administrationem Sacramentorum tribuitur. Huic Const. accessit altera Bened. XIV. *Inter illustria* 12. *Martii* 1753. (*Bull. ejusdem tom.* 4. *pag.* 33.) qua innovantur privilegia Ordinis Militaris S. Joannis praedicti, et §. 3. decernit „ Itaut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, Ordinarii, Vicarii, Officiales, Locotenentes, et Judices praefati, nullam in eos, vel ea jurisdictionem, correctionem, visitationem, superioritatem, dominium, seu potestatem praeterquam in his, quae ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, aliisque in casibus per dictum Concilium, seu per Apostolicas Constitutiones, aliasque Ordinationes praefatas expressis, et declaratis, exercere, aut excommunicationis, aliasve sententias, censuras, et poenas promulgare (etiamsi forsan hactenus per abusum, seu alterius privilegium, aut negligentiam, etiam per longum tempus taliter observatum non fuisset, seu dicti Hospitalis, ejusque membrorum Ecclesiae non Parochiales, in quibus Sacramenta fidelibus non administrantur, pluries fuissent a Praedecessoribus Episcopis visitatae), nullatenus possint, aut valeant. “

(141) *Vide notam ad Verbum* Professio Fidei *hujus tomi*.

tiae Philippi Pignatarii Collegiatae S. Jo. Baptistae terrae Angri, et Beneficii Assistentiae Johannis Baptistae Pisacanae ejusdem Ecclesiae substineantur? rescriptum prodiit remotis sequestris proponatur causa super dubio residentiae in secunda congregatione: *Nucerina Paganorum Resid.* 2. *Octob.* 1706. *dub.* 1. *et.* 2.

6. Sequestrum factum jussu Episcopi Gallipolitani super proventibus Mensae Capitularis Cathedralis pro multiplico neglecto piae haereditatis Baronis Johannis Baptistae Pirelli est revocandum. Nam S. C. mandaverat licuisse illud praetermittere, quum pervenisset ad eam fere tertia pars bonorum haereditatis ratione cujusdam vindicati fidei commissi: *Gallipolitana Trans., et Recl. Oner.* 5. *Martii* 1712. *dub.* 4.

7. Sequestrum absque ulla citatione relaxatum ab Ordinario super fructibus beneficiorum, quae possidebantur in Ecclesia Parochiali terrae Capistelli a Sacerdotibus Joachim Arquato, et Silvestro de Philippis, quia autumabant onus residentiae illa non habere, non est validum, sed est revocandum: *Marsicana Resid.* 16. *Julii* 1712. *dub.* 2.

8. Sequestrum appositum super bonis beneficii sub titulo S. Mariae de Monte Carmelo erecti in Ecclesia Monialium S. Benedicti Uxenti, ac possessi a Dominico Antonio Vozza non sustinetur. Nam abnuerat exhibere Episcopo visitante documentum fundationis, ac provisionis beneficii, quod postea ostendit, et Episcopus, qui decreverat, ut personaliter compareret, ad exequutionem sequestri devenit: *Ugentina Sequest.* 8. *Aug.* 1716.

9. Item sequestrum appositum super bonis propriis dicti Dominici Antonii Vozzae pro praetenso aere alieno administrationis bonorum dicti Monasterii S. Benedicti, cujus procuratoris munus exercuerat, Monasterio non reclamante, non sustinetur: *Ibid. dub.* 2.

10. Decanus, et major pars Canonicorum Collegiatae B. M. V. oppidi Huensis extractionem nummorum bismille imperialium ab aerario seu capsa Capitulari decreverunt, ut in litis expensas haec summa erogaretur et successive redintegrari deberet. Hoc causa fuit contentionis relatae ad S.C., an ad effectum redintegrandam capsam sit apponendum sequestrum super fructibus praebendarum Decani, et Canonicorum illi adhaerentium? S. C. respondit dilata et dentur literae urgentiores pro solicita informatione juxta instructionem: *Leodien. Redint. Cap. Capit.* 13. *Novem.* 1717. *dub.* 2.

11. Sequestra facta per Parochum Ecclesiae S. Mariae de Platea terrae Lauri pro consecutione certae quantitatis olei pro lampade contra Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti, quae in ipsa Ecclesia est erecta, et quae illam quantitatem tradere promisit, non sunt revocanda: *Terrae Lauri, seu Firmana Disc. Confrat.* 27. *April.* 1720. *d.* 4.

12. Augustanus Ordinarius contra inhoneste viventem et non resipiscentem Jo. Wolphangum Baumharter sententiam protulit, qua eumdem condemnavit ad permutandum simplex beneficium Primiceriatus cum altero simplici beneficio, et deinde non obstante, quod ille apud Moguntinum Metropolitanum interim adpellaverat, eumdem suspendit a divinis. Celebravit hic jugiter suspensionem negligens, et ad Signaturam Justitiae pervolavit. Hujus tamen citatione pendente, Ordinarius idem jussit fructus beneficii Primiceriatus ab eo possessi mancipari. Proponitur nunc, an esset sequestrum hoc super fructibus Primiceriatus factum revocandum? responsum fuit, ut doceret de obsequio et postea supplicaret: *Augustana* 12. *Febr.* 1735. *dub.* 3.

13. Sequestrum appositum ab Epis-

copo Visitatore super fructibus decimalibus a Parochiae incolis Ecclesiae S. Petri Oppidi Escano persolvendis Abbatibus Sanctissimae Trinitatis de Sacargia, quibus in Commendam illa Ecclesia concessa fuit supportatis oneribus firmum est. Nam Episcopus visitans illam Ecclesiam reperiit adeo pauperem, ut omni indigeret: *Bosanen. Repar. Eccl. Par.* 11. *Martii* 1741. *d.* 1.

14. Quum beneficium sub titulo S. Johannis Baptistae in Ecclesia Parochiali S. Martini oppidi Arborei erecti, de cujus fundatione nulla penitus extabat memoria obnoxium satisfactioni onerum ab Episcopo in Pastorali Visitatione impositorum S. C. declarasset, sancivit etiam non esse locum remotioni sequestri ab Episcopo super fructus appositi: *Vercellen.* 12. *Novem.* 1750.

15. Sequestrum super fructibus Canonicatus Theologalis Cathedralis ab Episcopo appositum ratum est pro tertia parte fructuum cujuslibet anni, quo Canonicus Theologus Marianus Vetuli Nari sacrae Scripturae lectiones non explevit, et dicti fructus sunt applicandi ad formam Bullae (142) *Civitatis Ducalis Praeben. Theol.* 18. *Junii* 1757. *dub.* 2.

16. Duas Parochiales dudum unitas Ecclesias Villae Uras unam, Villae Gorosfanadiga alteram auctoritate sua divulsit Episcopus Ussellensis, primamque contulit Sacerdoti Priamo Manca. Possessionem nactus coram Episcopo fidei fecit professionem. Certior factus Episcopum Ecclesias separare non potuisse a summo Pontifice novae Collationis literas accepit, iterumque nactus possessionem est, sed non iteravit fidei professionem. Absolutionem a S. Poenitentiaria obtinuit, et ab Episcopo repulsus ad iteratam fidei professionem emittendam, elapso legitimo tempore petiit, ut fructus bona fide perceptos suos facere posset. Episcopo, et Metropolitano pro informatione, et voto fuit remissa causa. Metropolita illum indulgentia dignum putavit, at Episcopus sequestrum super omnibus Parochiae fructibus apposuit, eosque distrahere decrevit. Sed hujus sequestri revocationi locum esse S. C. existimavit. *Ussellen. Seques.* 1. *Sept.* 1759.

17. Episcopo Aquipendii, qui duplex Cathedraticum ab Archiepresbytero, Collegiatae oppidi Canini etiam ratione curae actualis animarum praeter illud, quod a Capitulo ex massa communi solvebatur, exegerat, et decimales reditus ad illum pertinentes sub sequestro posuerat, esse locum restitutioni et remotioni sequestrorum S. C. injunxit: *Aquipendien. Cathed.* 20. *Decem.* 1766. *dub.* 2.

18. Quum in Visitatione Antistes Alatrinus interdixisset celebrationem Sacrorum in Capella S. Nicolai et S. An-

(142) Quae incipit *Pastoralis Officii* 19. *Maii* 1725. (*Bull. Rom. tom.* 11. *part.* 2. *pag.* 409.) Bened. XIII, et §. 3. disponit „ Caeterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex Praebendae Theologalis institutione preceptum iri speravit, omnino re ipsa, et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus, et mandamus tertiam partem proventuum dictae Praebendae Theologalis ab Episcopo distribui, et proportionabiliter applicari singulis lectionibus Sacrae Scripturae, quae a Praebendato praescriptis diebus, et horis totius anni habendae erunt; itaut si Praebendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur; si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in Sacristiae Ecclesiae beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae Praebendati liceat Episcopo deputare alium Theologum Sacerdotem Secularem, vel Regularem, qui jugiter supplendo ejusdem Praebendati vices, praefatis distributionibus potiatur.“

tonii Abbatis Collegiatae S. Mariae Majoris, ut reparari possit fructibus Capellanorum, positi fuerunt sequestro reditus; S. C. decreta reaedificatione spectare ad patronos Capellae declarat nullitatem praedicti sequestri: *Alatrina Reaedif. Cap.* 29. *Julii* 1775. *d.* 3.

19. Apud sequestrum sunt ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae Abbatialis S. Paulli extra Urbis moenia bona possessa a Maria Theresia Malatesta ad effectum implendi legata pia a Johanne Francisco Avo praescripta, hoc sequestrum per viam nullitatis revocandum est, quum eadem bona obnoxia non esse adimplemento dictorum legatorum S. C. declaraverit: *Nullius Leprignani Legat.* 7. *Julii* 1781. *d.* 3.

20. Sequestra removenda esse voluit S.C. per Episcopum, quorum custodiae commisit ipse pecunias penes debitores Societatis Misericordiae Oppidi Polimartii repertas interdicta Officialibus ejusdem Societatis redituum administratione, quia se opposuerunt pro facienda subministratione ex reditibus Societatis annuorum Scut. 30. Seminario ad alendum alumnum ex dicto Oppido: *Balneoregien. Elect. Alum.* 15. *Sept.* 1769. *dub.* 3.

21. Marianna Baruzzi judicium separationis thori instruxit contra Jo. Baptistam Pagani virum suum ex causa adulterii, aufugit tamen e patria sua, ac in exteram ditionem se recepit una cum Maria Magdalena Cavallazzi ejus Matertera. Episcopus itaque ut fugientes reduceret sequestro mandavit eorum bona, discussum itaque fuit an servari deberent sequestra? servanda esse rescriptum fuit. *Imolen. Separ. Thori* 1. *Maii* 1786. ac reproposita instantia sub die 9. Sept. ejusd. anni rescriptum fuit sequestra esse removenda a die reditus in statum Ecclesiasticum. Rediit Maria Magdalena Cavallazzi in statum Ecclesiasticum, ac amotionem sequestri postulavit in executionem praefati rescripti, exposuit se quam plurimum egisse, ut etiam Mariannam revocaret, nec obtinere potuisse, immo id numquam fieri posse; et S. C. rescripsit esse locum remotioni sequestri super bonis Magdalenae Cavallazzi: 5. *April.* 1788.

22. Quum querelae factae essent de difficili exactione summae in pia opera eroganda Boarii, disputatum est, an sit locus sequestro super responsionibus locationis bonorum fratrum de Manzaliis ejusdem pii operis debitorum? S.C. rescripsit dilata, et ad D.Secret. juxta mentem (143): *Ferrarien.* 16. *Martii* 1793.

Servitium Chori *Vide Archipresbyter* §. *XI. Beneficiati.* §. *VIII. Canonici* §. *X. Capitulum Ecclesiasticum.* §. *X. Dignitates Ecclesiasticae* §. *V. Mansionarius.* §. *V. Praepositus* §. *IV. Presbyteri* §. *IX.*

Servitium Chori quod Indultum absentandi. *Vide Dispensatio* §. *I.*

Servitus.

In Provincia Chablasii Gebennae Dioecesis comperiuntur complures servi, seu Vassalli vulgo *Talliabiles*, quorum haereditates dominis cedunt, si absque prole extremum diem claudant. Antonius Bron servus Abbatis ac Monasterii S. Mariae de Abundantia Ordinis Cisterciensium licet prolem multiplicem genuerit, liberari ab hujusmodi odiosa servitute expetiit annuente Abbate, sub reservatione census florenorum quatuordecim monetae Sabaudiae quotannis persolvendi praevia Apostolici Beneplaciti reservatione. S. C. vero primum rejecit instantiam, sed inde recedendo a decisis concessit beneplacitum cum clausula tamen *si in evidentem* et cum a-

(143) Nempe ut scribatur particulariter super detractionibus per Mansalios praetensis.

liis clausulis solitis: *Gebennen. Benep.* 19. *Aug.* 1713.

Vide *Fenestra Fenestrae*.

Sevitiae inter Conjuges *Vide Matrimonium* §. *XXVII.*

Simonia quoad Probationem.

1. Quum actum esset de cessione juris nominandi ad Capellaniam mere laicalem facienda a Carmelitanis in favorem Capituli Cathedralis in congruentiam certi pretii e disputatis dubiis, an absque simoniae nota possit dictus contractus iniri?

2. An agatur de casu, in quo Sedes Apostolica possit dispensare? et quatenus affirmative.

3. An expediat, ut dispensatio concedatur? responsum fuit dispensationem non esse concedendam: *Viterbien. Alienat.* 15. *Januar.* 1661. *dub.* 1. 2. *et* 3.

4. Necesse fuit, ut constituatur disceptatio ad instantiam Belgii Provinciae nempe utrum simoniacum sit recipere dotem solvendam pro victu, amictu, supellectili, et aliis necessariis ad conservationem puellae volentis ingredi Monasterium? S. C. omnem tollit dubitationem non esse simoniacum consilium capiens: *Belgii Subsid. Dot.* 18. *Sept.* 1683.

5. Damianus Mastrota Sacerdos dedit die 18. Novem. 1707. irrevocabili inter vivos donatione Lucretiae ratam portionem domus pertinentem ad quoddam beneficium, ac decedente muliere Michaelem Serranum ejus virum vocavit. Idem Damianus praedicto Michaeli, a quo deputationem ac dictum beneficium acceperat totum id, quod ab ipso tanquam a patrono dicti beneficii poterat praetendere pro Sacrarii juribus, Missarum cum cantu, aliarumque similium rerum largitus est, ac sese ad onera explenda obligavit. De validitate donationis fuit dubitatum, ac occultum fuit, an in simoniam Damianus Mastrota inciderit? hic vero ex adverso objicit immutatam esse datam instrumenti donationis, atque testes, uti deponentes de confessione extrajudiciali Mastrotae et Serrani nullum probationis gradum constituere valere, hicque agi de Capellania fundata absque Ordinarii auctoritate, de Capellania amovibili, et ad quam per modum provisionis, ac ad supplendam absentiam Joachimi Villae est ipse Mastrota nominatus. Nulla data definitione dixit S. C. ad mentem (144): *Neapolitana Praet. Sim.* 13. *Aug.* 1718. *dub.* 1. Ac reproposita causa, non costare de simonia, sed donationem fuisse illicitam decidit: 26. *Aug.* 1719. *dub.* 1.

6. Occasione vacationis unius ex triginta Capellaniis, quae in Ecclesia Metropolitana Januae Choro inserviunt factae sunt pactiones inter Electores et concurrentes et subscriptae sunt apocae, in quibus promittebatur quaedam summa pecuniae vel Sacrario, vel uni aut alteri ex Electoribus persolvenda a concurrente, qui ad Capellaniam vacantem eligitur. S. C. consulta hujusmodi pactiones non licere censuit: *Januen. Pact.* 16. *Januar.* 1723. *dub.* 1.

7. Soror Laura Maria Vinciguerra assumpsit habitum Sororum Tertiariarum S. Mariae Servorum Bononiae, et ante professionem soluta fuit consueta dos in libris mille, quae summa in censum data Augustinae Matri Laurae. Haec super suis extradotalibus bonis censum imposuit, vendiditque Collegio praedictarum sororum: Inde suspensum animum tenet eadem Augustina mater ac haeres praemortuae Laurae de labe simoniaca ratione dictae solutionis absque titulo alimentorum Sororum, quae modo de proprio vivunt, quum antea collegialiter viverent, et sua patrimonia, et industriam in unum conferrent. S. C.

(144) Nempe ut Card. Archiepiscopus mandet Matrotam removeri: *Ead. caus.* 26. *Aug.* 1719.

autem non adesse simoniam aperte indicavit: *Bononien.* 14. *April.* 1725. *Confir.* 17. *Novem. ejusd. anni.*

8. Fundavit Anna Maria Sarmiento Capellaniam perpetuam injunctis Capellanis oneribus, ac pro dote integrum censum centum millium Regalium de Vellon, quem ipsa tantum possidebat, assignavit, Capellanumque nominavit. At sicuti nihil supererat unde vivere possit, clam cum Emanuele de Villaba cujus filios vocavit post primum nominatum, convenit, ut ipsa fructus integros perciperet nesciente ipso Capellano, qui titulo ejusdem ad Ordines sacros ascendit, inde scruplum habentibus de simoniaca conventione S. C. respondit consulendum Sanctissimum pro absolutione, et dispensatione ad cautelam: *Vallisoletana Capell.* 26. *April.* 1749. *d.* 1.

9. Beneficii fructus conventi inter litigantes super eodem beneficio, itaut usque ad determinatum tempus percipiantur a possessore beneficii, tempore vero praestabilito jam elapso beneficium ipsum alteri ex litigantibus debeatur, reservato beneplacito Apostolico, quia voluntatum concordia fuit, ut perciperentur a possessore, debentur absque eo quod simoniae labes in conventione intercesserit. Nam S. C. illam conventionem non esse simoniae macula infectam jam ante judicaverat: *Foro-Sempronien.* 3. *April.* 1756.

10. Quum Fanensis Episcopus Officiales Communitatis Villae Belloculorum sese in perceptione fructuum Ecclesiae Curatae S. Sebastiani, quoque, et Capellaniae *Gioventù* immiscuisse, et simoniacas cum Capellanis in eorum electione, vel confirmatione iniisse pactiones deprehendisset, ab eis libros administrationis accepit, Decretumque inde tulit, quo restituta Capellanis administratione bonorum, damnatur Communitas Ecclesiam dotare, illataque damna sarcire, et utroque jurepatronatus privavit, nisi paruisset intra tres menses, legitimamque obtinuisset absolutionem a censuris in quas incurrit ob simoniam. Communitas expostulavit, et studuit proponi, examinarique dubium num Decretum illud factum pro libera administratione praedii empti ex pecuniis legatis a Paterniano Bellocchi, tributa Parocho pro tempore, cum simplici Communitatis Villae Belloculorum facultate invigilandi super satisfactione oneris Missarum, et manutentione dicti praedii sit exequendum? nulla definitione prodeunte dictum est, ut exhiberetur particula legati Paterniani Bellocchi: *Fanen. Exequut. Decret. S. Visit.* 22. *Novem.* 1760. *dub.* 1. Proposita denuo causa et legati Bellocchi, qui scuta 100. cum onere quinque Missarum Ecclesiae S. Sebastiani reliquerat, exhibita particula nec non a labe praetensae simoniae ob qualitatem Capellaniae Curatae amovibilis ad nutum ipsius Communitatis, acerrime vendicatis actis S. C. respondit negative: 18. *Febr.* 1761. *confir.* 30. *Maii ejusd. anni.*

11. Beneficium possessum ab Idelphonso Valentino Fernandez Montero, quum simoniace ille assecutum fuerit eo quod quum Clericus non esset, obtentum Beneficium dimisit in favorem cujusdam Sacerdotis facta obligatione quod statim, ac clericus evasisset, ad beneficium regrederetur prout consentiente patrono accidit, ab ipso Sacerdote dimitti, fructusque perceptos restitui debuit. Hac de causa supplicavit Idelphonsus quoad absolutionem, dispensationem, et convalidationem tituli beneficii: *Caurien. Censur.* 30. *Julii* 1774.

12. In Ecclesia Cathedrali a Sum. Pont. confirmatum Statutum reperitur quo mandatur, ut quilibet de Canonicatu, vel de Portionaria noviter provisus per sex menses suae Praebendae fructus inter alios dividendos dimittere debeat. Hos Praebendae fructus in casu vaca-

tionis per obitum haeredes percipiunt, in casu permutationis, vel resignationis, nihil de his fructibus percipere possint qui permutant vel resignant. Capitulum praedictae Ecclesiae anxia dubitatione distentum est hoc statutum ob simoniae vel sordidae avaritiae suspicionem revocatum a Sac. Concilio Tridentino, vel a peculiaribus Constitutionibus Sum. Pontificum (145) fuisse, petiit proinde, an sint renuncianti Praebendae fructus primi semestris restituendi? utique esse restituendi, non autem dividendi ad formam statuti S. C. decidit: *Burgen.* 27. *Novem.* 1779.

13. Ad Parochiam S. Cassiani Communitatis Rignani per liberam dimissionem vacantem Homines dictae Villae patroni per suffragia nominarunt Sacerdotem Sanctem Alvisium. Percrebuit illico rumor, quod is pretio suffragia comparaverit. Communitas ipsa hoc Archiepiscopo Bononiensi narravit, dixitque hanc diffamationem ortam fuisse ex illicitis pactionibus pravisque modis a nominato Sacerdote adhibitis. Hinc est quaestio et de simonia, et sic de nullitate nominationis. S. C. definiendum non censuit, at jussit ut impingueretur processus juxta Instructionem D. Secretarii: *Bononien. Nullit. Elect.* 24. *Januar.* 1784.

14. Lite super sortibus, et fundis Capellaniae fundationis Alexandri Ziani absoluta transactione, hujus vigore Carolus Silvestri nominavit ad Capellaniam Clericum Paullum Bondi, sed inde eam nominationem incusavit simoniae, utpote sub mutua promissione Riccardi de impetranda sibi a S.C. Boni Regiminis diuturna dilatione ad Communitativum quoddam solvendum debitum: S.C. vero veritatem demostravit non constare de simonia resolvens. Nam negat Riccardus de hac mutua promissione et confirmat id cum Epistola familiari propria manu in absentia conscripta a Carolo, in quo profitetur, se non alia ratione posthabito remotiore conjuncto nepotem ex sorore praetulisse, quam ob majorem propinquitatem, et ob sanguinis dumtaxat amorem: *Sutrina Capell.* 18. *April.* 1795. *dub.* 1.

15. Elisabeth Murgia Culcinagiu Capellaniam fundavit et ad eam vocavit oriundos Civitatis Turritanae ad nominationem Archiepiscopi. Hujus possessor Sacerdos Joseph Budroni nominatus a fundatrice ita bona Capellaniae meliora fecit ut libellarum 3000. auctus est illius valor et animum habet donandi Capellaniae meliorationes quoties Archiepiscopus in successorem Sacerdotem Jo. Baptistam Marras ejus nepotem nominaret licet Civem oppidi Claramonti. Favet Archiepiscopus, sed animo distrahitur de simoniae labe S. C. consuluit ut id fieri liceat, quae et esse permittendam nominationem Marras juxta votum Archiepiscopi resolvit: *Turritana Capell.* 30. *Julii* 1796.

Simplices Presbyteri *Vide Presbyteri* §. X.

Situatio *Vide Ecclesia in genere* §. *V. Ecclesia Parochialis* §. *III.*

Societas *Vide Sodalitium*.

Sodales *Vide Sodalitium* §. *VII. VIII.* et *IX.*

Sodalitii Capellanus *Vide Capellanus Sodalitii*.

§. I.

Sodalitium quoad Aggregationem.

1. Dubio excusso an ad effectum, et Societates Laicales aggregatae uti possint regulis, Statutis, et Constitutionibus, quas observandas recipiunt ab Archiconfraternitatibus aggregantibus, necessaria sit praecedens approbatio Or-

(145) *Vide not.* 158. *tom.* 2. *pag.* 127.

dinarii Loci? Affirmative respondetur: *Potentina Aggreg.* 29. *Maii* 1683. *d.* 1.

2. Inde ad postulatum, an ad effectum, ut dictae Societates aggregatae uti, et gaudere possint indulgentiis, privilegiis, et indultis Archiconfraternitatum aggregantium, necessaria sit praecedens approbatio Episcopi cum interventu duorum de Capitulo? affirmative rescribitur: *Ibid. dub.* 2.

3. Concedenda non est dispensatio Societati S. Mariae de Laureto pro obtinenda aggregatione, seu reaggregatione Archiconfraternitati Confalonis Urbis. Nam Clem. VIII. disposuerat, ne plusquam unius Societatis erectio in singulis locis aggregationem numquam fuerit assequuta, quam quidem meruit consequi jam ab hinc nonnullis annis Societas S. Innocentii Papiae: *Papien. Aggreg.* 10. *Julii* 1706. *Confir.* 21. *Aug. Ibid.* ac 12. *April.* 1709.

4. Adversus aggregationis privilegium, quod de anno 1706. Sodalitas S. Mariae a Vertice Coeli obtinuit ab Archiconfraternitate Suffragii Urbis, insurrexerunt Sodales alterius Societatis S. Marci vulgo *de Lanzieri* contendentes minime exequi posse eo sub obtentu, quod ab anno 1615. jam ipsi similem aggregationem impetraverat, de qua S. C. ad dubium, an aggregatio dictae, Societatis S. Marci Archiconfraternitati SS. Suffragii Urbis sustineatur? respondit dilata, et exhibeatur authentica aggregatio: *Neapolitana Aggreg. Confrat.* 7. *Decem.* 1709. Deinde non constare de aggregatione resolvit: 30. *Aug.* 1710. quod *Confir.* 9. *April.* 1712. Quum demum exhibitum fuerit obliteratum documentum Aggregationis, S. C. recessit a Decisis, et decrevit constare de Aggregatione Societatis B. M. Visitationis, et Suffragii in Ecclesia B. Marci Lanzeriorum. Nam Societas Suffragii intus Ecclesiam S. Marci erecta erat: 19. *Aug.* 1713.

5. Societas Mortis sita est in Ecclesia S. Josephi urbis Lanciani, quae asseritur aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis usque ab anno 1608. (cujus aggregationis autographum non fuit exhibitum). Ideo S. C. declaravit ex deductis non constare de ejusdem legitima aggregatione, ita ut fruatur privilegiis Archiconfraternitatis praedictae ac uti statutis ejusdem: *Lancianen. Confrat.* 20. *Sept.* 1710. *dub.* 1.

6. Societas Orationis, et Mortis Loci Praedarii aggregata Archiconfraternitati Orationis, et Mortis in Urbe institutae gaudet indulgentiis, et privilegiis Archiconfraternitatis aggregantis: *Novarien. Aggreg.* 24. *Sept.* 1718. *dub.* 1. *Confir.* 13. *Januar.* 1720.

7. Aggregatio Sodalitii Salutis translati in Ecclesia S. Antonii Abbatis terrae Medicinae facta Archiconfraternitati Cinturatorum Bononiae firma est: *Bononien.* 28. *Junii* 1724. *dub.* 6.

8. Aggregatio nova facta Confraternitati Cordis Jesu occasione postremae Visitationis Deputato Visitatore Capituli Vaticanae Basilicae Abbatiae, quae est in terra Meldulae sita, valida est. Nam aggregata fuit praefatae Societati, et unita pia quaedam Congregatio nuncupata *de Coronarii*: *Nullius Terrae Meldulae Offic., et Aggreg. Confr.* 12. *Febr.* 1757. *dub.* 1.

9. Episcopus Reatinus pervetustae Societatis B. Columbae titulum addidit *Mortis*, et mandavit alias Societates associare cadavera non posse sine illa, nisi Confrater adscriptus sit canonice in illis Societatibus ante Menses 6. obitus illius. Reclamarunt statim Sodales SS. Stigmatum dictae Civitatis, et S. C. declaravit Societati SS. Stigmatum Reatis juxta votum Episcopi non competere ejus aggregandi Sodales, et Sorores quocumque tempore etiam in articulo Mortis, eorumque cadavera proprio sacco induta in funere

ad Ecclesiam comitandi: *Reatina* 26. *April.* 1788. *dub.* 1.

10. Et Civibus particularibus, et incolis Reatis competere jus juxta votum Episcopi, exclusis Fratribus Mortis nisi invitatis, jus sese adscribendi quandocumque cuilibet sibi benevisae Societati, necnon vocandi ad eorum libitum quascumque ad funera, et defunctorum comitatum statutum est: *Ibid. dub.* 2.

11. Ac quoad edictum Episcopi diei 18. Maii 1786. an sustineatur? rescripsit provisum in primo, et secundo: *Ibid. dub.* 3.

§. II.

Sodalitium quoad Congregationes, et Suffragia.

1. Judicio decernitur, quod Confratres Sodalitii Mortis in urbe Lanciani siti occasione electionis novorum officialium sese absque interventu, et assessione Vicarii Generalis contra Archiepiscopi edicti formam id demandantis in casu, de quo agitur congregare non valeant: *Lancianen. Confrat.* 20. *Sept.* 1710. *dub.* 4.

2. Societas SSmi Rosarii Civitatis Ripanae habet altare existens in Ecclesia S. Dominici PP. Praedic., ac Oratorium prorsus a Monasterio separatum. Factis inter eosdem nonnullis controversiis S. C. statuit assessionem, et praesidentiam in Congregationibus, quae fiunt a Sodalibus in Oratorio non spectare privative ad Episcopum, nec ejus Vicarium Generalem, nec privative ad Priorem Conventus, vel cumulative ad utrumque, sed posse per Episcopum vel ejus Vicarium in casibus tantum particularibus, et gravioribus: *Ripana Confrat.* 30. *Martii* 1715. *dub.* 1.

3. Societas Orationis, et Mortis loci Praedarii aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis potest absque facultate, atque interventu Parochi suas facere Congregationes: *Novarien. Aggreg.* 24. *Sept.* 1718. *dub.* 9.

4. Praepositus S. Leonardi, et simul Confrater Sodalitii Mortis et Orationis oppidi Casalis Majoris non habet duo suffragia, sed dumtaxat unum in Congregationibus ejusdem Societatis: *Cremonen.* 5. *Junii* 1723. *dub.* 3.

5. Sodalibus Societatis SS. Suffragii terrae Offidae licet convocare Congregationes tam generales, quam particulares, ac devenire ad electionem Officialium, aliaque negotia Societatis proponere, atque determinare absque licentia Episcopi, seu Vicarii Foranei vel alterius personae per Episcopum deputandae: *Asculana* 24. *Martii* 1725. *dub.* 1.

6. Societatis S. Josephi in urbe Arimini a quibusdam Fabris intra ambitum Conventus PP. Conventualium aedificatae Congregationibus assistere P. Guardianus dictorum Minor. Convent. potest, et unum tantum non duo ferre suffragia valet: *Ariminen.* 7. *Aug.* 1756. *dub.* 2.

7. Nec hoc idem licet Episcopo, et ejus Vicario, vel alteri eorum nomine *Ibid. dub.* 3. confir., et additum quoad praesidentiam tantum absque jure suffragandi: 30. *Julii* 1757.

8. Supradictos PP. Minor. Convent. aggregatos ut supra etiam dictae Societati S. Josephi congregationibus ejusdem interesse, et activam tantum non vero passivam habere vocem S. C. interrogata respondit: *Ibid. dub.* 4.

9. Societas Mortis erectae in altari S. Jo. Evangelistae Ecclesiae Paroch. Castri Montis Joveni, quae se transtulit ad aliam Ecclesiam dicti Castri, potest valide coadunari absque interventu Parochi deputati ab Episcopo, et respective eligere Officiales, itaut est locus in hac parte moderationi edicti, seu praecepti Episcopi diei 16. Januar. 1758., sed juxta modum idest certiorato antea Episcopo, vel ejus Deputato: *Civitatis Plebis* 22. *Martii* 1760. *dub.* 3.

10. At quoad deputationem pro Congregationibus ab Ordinario confectam in favorem Bartholomaei Volpini moderni Plebani Montis Joveni in casu de quo agitur, esse locum deputationi alterius personae Societati non suspectae: *Ibid. dub.* 4.

11. Societatis Mortis terrae Montis Bodii jussit Episcopus tempore Visitationis, *che in avvenire le Congregazioni si debbono tenere in luogo a parte, e non in Chiesa per ovviare all' irreverenze ec.*, de qua re convenerunt sodales an. 1681., ideoque S. C. ad formam transactionis resolutionem emisit: *Senogallien.* 13. *Julii* 1765. *dub.* 9.

12. Decreverat Assisiensis Episcopus, ne in sua Dioecesi ullae haberentur Congregationes sine Praeside. Rationem decreti addebat, quod liberum congregatis erat pro ingenio, quod magis lubebat, decernere etiam adversus Principem, quod non tamen factum unquam fuisset, probabat. Sodales dicebant se Priores, et Rectores habere pro totidem Praesidibus. Itaque examinatum fuit, num Officiales Confraternitatum certiorem facere jubentur in Civitate Episcopum, in Dioecesi Vicarios Foraneos de Congregationibus habendis? S. C. voluit, ut pro extraordinariis Congregationibus quippe certiores praedicti fierent; interventum vero Vicariorum, et Episcopi vetuit: *Assisien.* 21. *Januar.* 1786. *dub.* 1.

13. Pendente adversus ejusdem Episcopi edictum in S. C. recursu praefata Societas ad Rectoris electionem die 28. Decem. superioris anni pristino more devenit. Episcopus fretus mandato S. C., ut provideret, et juberet, electionem hanc circumscripsit, novoque in dicto sodalitium comitio die 6. Febr. hujus anni, alius fuit Rector electus. Sodales Canonicam fuisse primam electionem contendunt, et circumscriptionem ab Episcopo factam fuisse nullam. Rem S. C. conciliavit, dum ad dubium prolatum, an circumscriptioni esse deberet locus Congregationi postremo habitae? haud esse locum pronuntiavit: *Ibid. dub.* 10.

§. III.

Sodalitium quoad Constitutiones, et Statuta.

1. Scrupula injecta, an Societas laicalis erecta in Collegiata Finarii absque auctoritate Ordinarii potuerit discedere a statutis in limine fundationis per Ordinarium approbatis, et assumere Statuta Archiconfraternitatis Mortis de Urbe, cui fuit aggregata?

2. An eadem Societas teneatur ad observantiam decretorum Synodalium? S. C. remisit pro explanatione ad Rotam (146): *Savonen. Confrat.* 14. *Junii* 1704. *dub.* 1. *et.* 2.

3. Constitutiones Sodalitii Cordis Jesu servari debent a Pia quadam Congregatione nuncupata *de Coronari*, quae in postrema visitatione peracta a Capitulo Basilicae Vaticanae in ejus Abbatiae terrae Meldulae fuit aggregata, ac unita dicto Sodalitio: *Nullius Terrae Meldulae Offic., et Aggreg. Confr.* 12. *Febr.* 1757. *dub.* 2.

(146) Ubi in *Decis. diei* 3. *Julii* 1705. *coram Molines* firmata exequutione in vim rei judicatae, et literarum exequutorialium ejusdem Rotae Tribunalis. Bullae aggregationis dictae Societatis Archiconfraternitati Orationis, et Mortis Urbis, una cum privilegiis, et facultatibus, quibus Archiconfraternitas Urbis potitur, et signate facultate erigendi, et construendi in eodem loco Finarii Oratorium, sive Ecclesiam, quam Sodales absolverunt, et Episcopus benedictionem denegavit, disputatum fuit dubium, *An sit concedenda Benedictio Oratorii, sive Ecclesiae in exequutionem sententiarum Rotalium erectae, et fabricatae?* responsum fuit, *affirmative, et benedictionem Episcopo viciniori delegandam esse.*

4. Societatis SSmi Sacramenti terrae Bondeni statuta publicata anno 1780. variata, ac mutata ab Archiepiscopo, an sint exequenda? S. C. respondit dilata, et videatur particulariter: *Ferrarien. Unionis* 14. *Sept*. 1782. *d*. 6.

§. IV.

Sodalitium quoad Consorores.

1. Consorores Peregrinas nuncupatas, eliminandas non esse S. C. sancivit a Societate SS. Nominis Jesu erecta in Ecclesia Hospitalis S. Rocchi oppidi Viqueriae. Nam utriusque sexus revera Societas legitime erecta fuit anno 1577. a PP. Dominicanis vigore facultatum ipsis tributarum in Constit. 130. S. Pii V. (147): *Derthonen. Visit*. 26. *Januar*. 1760. *dub*. 17.

2. Eaedem non autem possunt ad formam Decreti associare cadavera sub speciali vexillo; quem comitatum permissum reputabant ex universali consuetudine Regionis, qua Mulieres Sodalitiis adscriptae sub proprio vexillo feneribus interveniunt. *Ibid. dub*. 18.

§. V.

Sodalitium quoad Erectionem, et quando ea convalidatur.

1. Controversia inter Societatem SS. Rosarii erectam in Ecclesia PP. Conventualium S. Francisci Casalis Portici, et aliam Societatem ejusdem SS. Rosarii erectam in Ecclesia Parochiali delata est ad S. C., quae *die* 13. *Febr*. 1683. distulit resolutionem, ut videret, an Societas noviter erecta in Ecclesia PP. Conventualium naturam, et indolem haberet verae Societatis, vel potius dicenda esset coetus piorum virorum, et piarum Mulierum insimul convenentium ad dicendum Rosarium, compertoque, quod fuerat erecta anno 1687. accedentibus literis patentalibus P. Generalis Ordinis Praedicatorum, non obstante quod alia Societas in Ecclesia Parochiali jam erecta reperiretur usque de anno 1628. Reproposita causa respondit S. C., posteriorem erectionem factam in Ecclesia Minor. Conventualium non sustineri: *Neapolitana Recit. Rosarii* 17. *Julii* 1683.

2. S. C. censuit tolerandam esse Societatem posteriorem. Nam agebatur de duabus Societatibus erectis in binis Ecclesiis PP. Dominicanorum, quae distabant inter se bismille tercentum, et quatuor passibus, et secunda Confraternitas ab antiquitus fuerat erecta nempe anno 1619.: *Valentina Societ. SSmi Rosarii* 2. *Aug*. 1687.

3. S. C. decrevit constare de legitima antiqua Erectione Confraternitatis SS. Sacramenti, ut dicitur facta in Capella SS. Sacramenti Ecclesiae Cathedralis. Nam modernus Episcopus asserens Confraternitatem numquam de ejus legitima erectione docuisse ad novam erectionem processit, regulis ipsi Statutis: *Sarnen. Confrat*. 11. *Junii* 1712. *dub*. 1.

4. Nec constare de legitima erectione Confraternitatis SS. Sacramenti facta ab hodierno Episcopo in Capella eadem intus Ecclesiam Cathedralem: *Ibid. dub*. 2.

5. Nec aggregationem Sodalium noviter factam occasione dictae novae erectionis esse uniendam corpori antiquae Societatis: *Ibid. dub*. 3.

6. Etsi in Ecclesia PP. Ordinis Praedicatorum Civitatis Ulyssiponis occidentalis ab antiquo tempore erecta reperiretur Societas SS. Rosarii, nihilominus an. 1715. in Ecclesia S. Mariae

(147) Quae incipit *Decet Romanum* 21. *Junii* 1571. (*Bull. Rom. tom*. 4. *part*. 3. *pag*. 169.), et qua praecipitur ut in Ecclesiis Ordinis Fratrum S. Dominici, Confraternitates SSmi Nominis Dei, si extant, sin autem in aliis Ecclesiis, de licentia Prioris ejusdem Ordinis instituantur, ac erigantur.

Conceptionis sita in via nova nuncupata *Dosferos* ejusdem urbis alia pariter sub titulo SS. Rosarii erecta fuit. Ecclesiae Rector dubitavit de validitate erectionis, ac adiit ad S. C. pro revalidatione; nam obstare poterat Constitutio *Clem. VIII.* (148) S. C. erectio convalidavit juxta modum (149): *Ulysiponen. Occidentalis. Confrat.* 7. *Decem.* 1720.

7. Agitata in S. C. fuit quaestio, an constet de legitima, et canonica erectione Societatis laicalis S. Mariae Constantinopolis in Ecclesia S. Sebastiani posita extra muros terrae Rendarum? S. C. decrevit provisum fuisse per aliud decretum, ut expelli a dicta Ecclesia Societas nequeat. Nam ibi fuerit introducta ab anno 1658., et fuit semper in quasi possessione in ipsa exercendo varia pietatis opera, ac praesumi potest adesse Ordinarii consentio: *Consentina Capellae* 3. *Decem.* 1729. *dub.* 5.

8. PP. Carmelitae oppidi Bidgostiensis Uratislaviensis Dioecesis obtinuerunt a Sede Breve indulgentiarum pro Societate sub titulo Divinae Providentiae erigenda, quod fuit admissum a Vicario Foraneo dicti oppidi, ut in die festo publicaretur. Consimile Breve pro erectione Societatis sub eodem titulo reportarunt PP. Jesuitae ejusdem oppidi, necnon approbationem ipsius Vicarii Foranei, ac licet postea assequuti sint, primi tamen fuerunt in evulgando die festo, quo solemniter introductionem fecerunt; PP. Carmelitae denunciarunt die feriali, et non obstante inhibitione a Vicario praedicto, introductio fuit ab eis peracta. De his omnibus testatur Episcopus nullam habuisse scientiam. Actum fuit in S. C. an, et quae Societatis erectio sustineatur? S. C. neutram ratam habuit, et ut Episcopus uti jure suo praecepit: *Uratislavien. Erect. Confrat.* 3. *Decem.* 1729.

9. Constare de erectione putavit S. C. Confraternitatis SS. Sacramenti erecta in Ecclesia Parochiali S. Michaelis Archangeli loci Montis Urani, quod resultare Praepositus ait ex vulgari constantique opinione et fama a duobus et ultra seculis perseverante, quae originem sumit ex Bulla Paulli IV. edita 1558., quamvis illius authographum inveniri non potuit. *Firmana* 28. *Januar.* 1769. *dub.* 1.

§. VI.

Sodalitium quoad Officiales, eorumque electionem.

1. Ministri, seu Officiales Societatis SSmae Annuntiatae existentis in Ecclesia S. Jo. Baptistae sita extra moenia Civitatis Foggiae, quae Ecclesia Religionis Hierosolymitanae jurisdictioni se subjectam esse autumabat, rationem administrationis ad formam Concilii (150) reddere sunt cogendi. Erat enim ab S. C. jam Episcopi jurisdictione

(148) Quae incipit *Quaecumque* 7. *Decem.* 1604. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 3. *pag.* 85.), et §. 2. decrevit, tam almae urbis, quam aliarum Civitatum, et locorum totius Christiani Orbis Regulares „ Unam tantum Confraternitatem, et Congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis, et Congregationis erigendae, et instituendae pietas, christianae charitatis officia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis erigere et instituere.“

(149) Modus fuit, ut priusquam ad convalidationem deveniat tam supradictae Confraternitati, quam alteri erectae in Ecclesia PP. Dominicanorum, regulam, et normam praescribat pro publicis functionibus peragendis, ne scandala, et confusiones oriantur, et S. deinde C. desuper instructam redat: *Regist. Lit. Lib.* 25. *die* 7. *Decem.* 1720.

(150) *Sess.* 20. *cap.* 9. *de reform. Vide not.* 85. *tom.* 1. *pag.* 69.

vindicata: *Trojana Jurisd.* 24. *Aug.* 1709. *dub.* 4.

2. Neque Commendator Religionis Hierosolymitanae valet se ingerere in erectione Officialium dictae Societatis: *Ibid. dub.* 5.

3. Sed facienda est electio cum assessione personae ab Episcopo deputandae, non vero absque ea: *Ibid. d.* 6.

4. Ac proinde electio Officialium facta in personam Carmini de Sanctis, et aliorum non sustinetur, sed electio Martini de Arco, et aliorum cum assessione Deputati ab Episcopo sustinetur: *Ibid. dub.* 7.

5. Societatis Mortis Lanciani Officialium electio minime valida est, quando a Sodalibus absque interventu, et praesentia Vicarii Generalis peracta fuit: *Lancianen. Confrat.* 20. *Sept.* 1710. *dub.* 5.

6. Ac in electione Officialium praedictorum ejusdem Societatis confirmatio Archiepiscopi praefati requiritur. *Ibid. dub.* 6.

7. Nec Officiales iidem, ex tabula Sodalium aliquos delere ex iisdem Sodalibus potuerant, non servata statutorum ejusdem Societatis forma: *Ibid. dub.* 7.

8. Officiales dictae Societatis Archiepiscopo rationem reddere eorum administrationis redituum, et eleemosynarum ejusdem Sodalitii tenentur: *Ibid. dub.* 9.

9. Œconomi, Administratores, aliique Officiales electi a Societate SSmi Rosarii Civitatis Ripanae, quae in Ecclesia PP. Praedicatorum S. Dominici habet altare, sunt ab Episcopo confirmandi: *Ripana Confrat.* 30. *Martii* 1715. *dub.* 6.

10. Sodalibus Societatis disciplinatorum Castri Roncilionis ad electionem Officialium devenire non licet absque praesentia Vicarii Foranei; sed formam servare a Synodo Dioecesano praescriptam tenentur: *Sutrina Jurisd.* 7. *Decem.* 1715. *dub.* 3.

11. Et praeter expensas descriptas in tabella, Officialibus alias facere expensas in tabella non descriptas absque consensu Ordinarii fas est, sed absque consensu Congregationis Sodalium minime eis licitum est: *Ibid. dub.* 4.

12. Atque Officiales iidem eorum administrationis rationem Episcopo reddendi onus habent: *Ibid. dub.* 5.

13. Ac dictae rationis redditionis munus non tantum in Visitationis actu, sed quolibet anno est satisfaciendum: *Ibid. dub.* 6.

14. Officiales Societatis SS. Suffragii terrae Offidae tam in actu Visitationis, quam extra, et in loco ab Ordinario designando, in terra tamen Offidae eorum administrationis rationem Ordinario edere devincti sunt: *Asculana* 24. *Martii* 1725. *dub.* 5.

15. Sodalitium Sanctissimi Crucifixi olim S. Mariae Pietatis Belvederii tam in constitutionibus ab Ordinario approbatis quam ex antiqua consuetudine et possessione suos elegit officiales quatuor mensium duraturos; at Episcopus sub umbra negligentiae sodalium ad electionem jure devolutionis devenit: S. C. cui sodales adierunt, ad eam privative spectare jus eligendi officiales rescripsit: *Sancti Marci* 13. *April.* 1726. *dub.* 1.

16. Cum actum fuisset, si jus eligendi Officiales Societatis Sanctissimi Crucifixi, olim S. Mariae Pietatis Belvederii ad Episcopum sub obtentu negligentiae sodalium sit devolutum? S. C. decrevit, ut praefigatur ab Episcopo terminus Sodalibus ad eligendum, et quatenus non concordent in tertio scrutinio deveniat ad electionem Officialium, qui durent ad quatuor menses juxta antiquam observantiam, ac constitutiones ab Ordinario approbatas: *Ibid.*

17. Sodales Societatis Mortis Castri

Montis Joveni non obstante eorum statuto confirmare veteres officiales libere non possunt, seu de novo eos eligere, qui recenter in officio absque Ordinarii licentia fuerunt, itaut locus non est moderationi edicti Episcopi diei 16. Januar. 1758: *Civitatis Plebis* 22. *Martii* 1760. *dub.* 5.

18. Extractio autem Officialium facta die 6. Januar. 1758. absque interventu Bartholomaei Volpini Plebani Montis Joveni ab Episcopo deputati, qui a Societate per suspectum habitus fuit petita venia ab Episcopo per Sodales sustinetur: *Ibid. dub.* 6.

19. Dubio exhibito, an duo Priores, et Depositarius Societatis SS. Sacramenti oppidi S. Victoris Ecclesiae Parochialis annuatim, et per sortes, ac praevia in urnam conjectione capitum familiarum possidentium sint eligendi? S. C. servari solitum mandavit: *Caesenaten.* 9. *Febr.* 1765. *dub.* 9.

20. Officialibus Societatis Misericordiae oppidi Polimartii facultas administrandi, ac exigendi ejusdem Societatis reditus est restituenda, ac sequestra removenda contra Episcopi interdicti decretum, quia pro subministratione annuorum scut. 30. ex Societatis reditibus causa alumnum ipsius oppidi manutenendi in Seminario obstiterunt: *Balneoregien. Elect. Alum.* 16. *Sept.* 1769. *dub.* 3.

21. Mandaverat Assisiensis Episcopus ut omnes, et singuli Societatum suae Dioecesis Officiales denunciarentur in propriis domibus, ut congregationibus tam Ordinariis, quam extraordinariis intersint. At sodales ordinarias indicere renuunt, quia ex antiquiore consuetudine constat, Congregationes post supplicationes praestitutis diebus fieri. Hinc num sustineretur Episcopi edictum, quaesitum fuit, quoad extraordinarias tantum sustineri fuit resolutum: *Assisien.* 21. *Januar.* 1786. *dub.* 2.

22. Insuper mandaverat idem Episcopus, ut Societates, seu illarum Officiales deponerent aede sacra Assisii sortes censuum, aliorumque creditorum in casu restitutionis cum vinculo investimenti, itemque vetarentur ad investimenta procedere absque Ordinarii adprobatione. Sodalibus frustra contrariam prae se ostendentibus consuetudinem, S. C. Episcopi firmavit edictum: *Ibid. dub.* 5.

23. Ejusdem Episcopi edictum in ea parte, quo mandavit electionem Officialium esse faciendam non viva voce, sed per secreta suffragia, S. C. ratum agnovit; eam vero improbavit partem, in qua jussit ut electio conclusa non censeretur nisi duae ex tribus suffragiorum partibus concurrerent, quum suffragia majoris partis sufficere eadem S. C. firmaverat: *Ibid. dub.* 8.

24. In ea vero parte, in qua mandabatur, ut electio Officialium fierent coram Ordinario, vel persona ab eo deleganda, edictum non sustineri, et extractiones juxta solitum salva Episcopi adprobatione faciendas esse S. C. rescripsit *Ibid. dub.* 9.

25. Electionem Conservatorum Sodalitii S. Mariae Misericordiae Callii, quod Hospitale habet annexum, ad tollendos abusus faciendam esse ab universis Sodalibus juxta votum Card. Visitatoris, non a solis Nobilibus declaratum est a S. C., licet ut ait Episcopus *longo tempore in consuetudinem jam venisse, ut illi administratores ab equestri illius urbis ordine seligantur*: *Callien. Subs. Dot.* 28. *Novem.* 1795. *dub.* 4.

§. VII.

Sodalitium et Sodales quoad Jura et Potestatem.

1. Definiendo rem latentem S. C. explicavit, primo an Archiconfraternitas Mortis possit in funereis supplicatio-

nibus erigere suam Crucem, quando defuncti tumulandi deferuntur ad ipsius Ecclesiam, in qua sepulcrum elegerunt? respondens, ut praecedat Societas, deinde Crux ejusdem Ecclesiae deferenda per Clericum ipsius, postea sequatur Clerus Regularis, et tandem secularis: *Romana Funer.* 10. *Januar.* 1682. *d.* 1.

2. Secundo, an Archiconfraternitas eadem possit suam Crucem erigere tam per viam, quam in Ecclesia Parochiali, quando est invitata ad associandum cadaver sepeliendum in ipsa Ecclesia Parochiali? negative tam in Ecclesiis Parochialibus quam in supplicationibus funeralibus praesente Parocho, rescribens: *Ibid. dub.* 2.

3. Societatibus aggregatis Archiconfraternitati Mortis nuncupatae de Urbe jus non competit sepeliendi cadavera occisorum tam in Civitate quam extra, et tam civium, quam exterorum, quando Parochi sunt parati humare dicta cadavera? *Potentina Aggreg.* 29. *Maii* 1683. *dub.* 3.

4. Ac dictae Societates aggregatae subsunt Ordinario, itaut earum Officiales administrationis rationem Ordinario reddere teneantur: *Ibid. d.* 4.

5. Controversia, quae torquet Rectorem Ecclesiae Parochialis S. Gregorii Ferrariae, et Sodales Societatis S. Mariae de Laureto erectae in Ecclesia S. Antonii Abbatis sequentia dubia explanavit: nempe an Societati S. Mariae Lauretanae in ejus Ecclesia sub invocatione S. Antonii Abbatis SS. Sacramentum exponere cum sola Episcopi licentia, absque venia, vel consensu Parochi liceat? et quatenus affirmative.

6. An hujusmodi expositiones, et benedictiones a Parocho, vel ab aliis sacerdotibus de ejus facultate explendae sint?

7. An Parocho impedito, vel renuente accedere per Capellanum ejusdem Societatis absque aliqua ipsius Parochi licentia expleri possint?

8. An dicta expositio in supradicta Societatis Ecclesia illis diebus, in quibus fit expositio in Ecclesia Parochiali S. Gregorii, fieri valeat?

9. An in eadem Ecclesia Societatis retentio solius parvi sacelli absque Sanctissimae Eucharistiae Sacramento sit permittenda?

10. An eidem Societati jus explendi funebres functiones vel exequias cadaverum in eorum Ecclesia sepeliendorum absque Parochi, vel vice Parochi praesentia sit permittendum?

11. An occasione dictorum funerum aliquid recipere valeant? S. C. rescripsit primum dilata, et coadjuventur probationes circa exemptione: *Ferrarien. Jur. Par.* 2. *Junii* 1703. *dub.* 1. *usque ad* 7. Deinde decrevit ad 1. *affirmative*, ad 2. *negative*, ad 3. *provisum in secundo*, ad 4. *arbitrio Ordinarii*, ad 5. *negative*, ad 6. et 7. *dilata et scribatur stricte super exemptione*: 16. *Maii* 1705. Demum quoad duo postrema dubia, dilata, et audiatur Card. Episcopus, et Parochus, rescriptum fuit: 12. *Januar.* 1709. *dub.* 1. *et* 2.

12. Societas laicorum Sodalium SS. Annuntiationis, quod in Ecclesia S. Jo. Baptistae extra Civitatis Foggiae moenia existit, et Religionis Hierosolymitanae jurisdictioni una cum Ecclesia se esse subjectam praetendebat, ab Ordinario dependere decisum fuit. Quum nec praefatam Ecclesiam esse ab eodem exemptam fuisset firmatum: *Trojana Jurisd.* 24. *Aug.* 1709. *d.* 2.

13. Dictaquae Societati SS. Annuntiatae praevia Episcopi licentia publice infra annum in eadem Ecclesia exponere SS. Eucharistiae Sacramentum in ultimis tribus diebus Bacchanalium, diebus Jovis, quadragesimae, et omnium Defunctorum Anniversarii integrum est: *Ibid. dub.* 8.

14. Capellanus dictae Societatis nulla indigente approbatione Ordinarii, nec Commendatarii Religionis Hierosolymitanae a Sodalibus eligi debet: *Ibid. dub.* 12.

15. Sodalitii Mortis Lanciani Sodales libere stipem colligere tam intra Ecclesiam, quam extra per urbem, et ejusdem territorii districtum absque Curiae Archiepiscopalis facultate non possunt: *Lancianen. Confrat.* 20. *Sept.* 1710. *d.* 2.

16. At praefati de proventibus, effectibus et eleemosynis ejusdem Societatis absque Curiae Archiepiscopalis potestate disponere libere possunt, exceptis eleemosynis, in quibus dispositio Bullae Clem. VIII. Pont. Max. servetur (151): *Ibid. d.* 3.

17. Et praedicti Sodales absque Archiepiscopi licentia Montem frumentarium erigere, et de illo ad libitum disponere nequeunt: *Ibid. dub.* 8.

18. Societas SS. Sacramenti in Cathedrali erecta absque Episcopi venia in suo Oratorio publico jam declarato contiguo curare celebrari unam, vel plures Missas potest. *Sarnen. Confrat.* 11. *Junii* 1712. *dub.* 10.

19. Sodalitium SS. Rosarii erectum in Conventu PP. Minor. Conventualium S. Francisci oppidi S. Elpidii non exemptum a visitatione Ordinarii absque ejusdem assensu omnes dicti Sodalitii proventus administrare potest: *Firmana Jurisd.* 4. *Aug.* 1714. *dub.* 2.

20. Quaestio impendit inter Societatem S. Mariae *Succurre Miseris* nuncupatam in Civitate Aversae, et Sodalitium vulgo *de Bianchi* oppidi Turris Octavae seu Turris de Greco de jure privativo consolandi, seu assistendi damnatos ad mortem, quando judicium per Regium Tribunal Commissarii Campaniae in Civitate, vel Dioecesi, et territorio Aversano exercetur. S. C. ad utramque Societatem, dummodo vocata sit spectare decrevit, etiamsi illa S. Mariae suam institutionem ex Const. Clem. VIII. et Pauli V. in Civitate Aversae, et ab immemorabili privativum exercitium ejus instituti praeferret: *Neapolitana, seu Aversana Juris Confor.* 8. *Febr.* 1716. *d.* 1. *et* 2.

21. Societas SS. Matthei, et Francisci de Assisio Neapoli erecta obtinuit aggregari Sacrosanctae Lateranensi Basilicae Urbis cum communicatione indulgentiarum, ac privilegiorum, et elapso anno populum convocare curavit, pridie diei Veneris Mensis Martii per Mandatarium clamantem, *Chi visita la Congregazione de' SS. Francesco, e Matteo domani Venerdì di Marzo guadagna Indulgenza Plenaria e si fa la Scala Santa*, Ac affixerunt januae Oratorii Lapidem *Visitantibus quotidie poenae indulgentur, sicut in Lateranensi Ecclesia*; qua de causa pias oblationes a Visitantibus Societas colligebat; At praevia inhibitione a Curia Archiescopali emanata, ac recursu ab ipso habito S. C. idem Societati non esse permittendam Scalam Sanctam cum indulgentia pro ascendentibus et descendentibus decrevit: *Neapolitana Indulg.* 19. *Junii* 1717. *d.* 1. *et* 2.

(151) Quae incipit *Quaecumque* 7. *Decem.* 1604. (*Bull. Rom. tom.* 5. *part.* 3. *pag.* 85.), et §. 8. cautum est „ Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, et ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, institutorum erigentium, et communicantium, ac Archiconfraternitatum, et Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum, et Congregationum erigendarum, instituendarum, et aggregandarum, et quibus comunicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri in urbe, nec non Ordinariorum locorum respective, fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant coelestis Ecclesiae thesauros, non quaestus, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, et charitatis excitandae gratia ex Apostolicae Sedis benignitate Christifidelibus aperiri “.

22. Societas Orationis, et Mortis loci Praedarii aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis potest in Oratorio servare SS. Eucharistiae Sacramentum: *Novarien. Aggreg.* 24. *Sept.* [illegible] *d.* 2. *Confirmat.* et additum arbitrio tamen Card. Episcopi inspectis circumstantiis facti 13. *Januar.* 1720.

23. Eadem Societas cum facultate Episcopi, et sine consensu Parochi in Oratorio expositionem infra annum, et precise quadraginta horarum in Octava defunctorum peragere potest: *Ibid. dub.* 3.

24. Idem Societati supplicationes tam intra ambitum sui Oratorii, quam extra illum absque Parochi licentia, per cujus Parochiam transeundum est, dummodo accedat Episcopi venia facere licet. *Ibid. dub.* 5.

25. Non vero cadavera pauperum defunctorum, seu occisorum sepulcro condere potest, quando ad ea sepelienda Parochus est paratus: *Ibid. d.* 10.

26. Eadem tamen Societas Mortis Parocho dicta cadavera humare, et januas Ecclesiae aperire recusante, ea sepelire in Ecclesia Parochiali, eamque aperire per vim ad formam Bullae potest et ad mentem (152): *Ibid. d.* 11.

27. Societates laicales erectae in Altaribus Ecclesiarum Parochialium Abbatiae S. Laurentii in Dogliolo Visitationi, directioni, et Jurisdictioni Episcopi haud subjacent: *Nullius S. Severini Jurisd.* 4. *Febr.* 1719. *dub.* 3. *confir.* 17. *Junii ejusd. anni dub.* 2.

28. Receptis duabus Societatibus altera sub titulo SS. Sacramenti, altera sub instituto SS. Rosarii in Collegiata S. Stephani, urgent quaestiones, quas S. C. non posse Societatem SS. Rosarii annuente, et permittente Archipresbytero, et Parocho adimplere onera Missarum, et Anniversariorum sibi injuncta opera Presbyterorum exterorum qui sibi arrident, definivit, sed Ministerio Canonicorum Collegiatae uti tenentur: *Regien.* 5. *Aug.* 1719. *dub.* 1. (153).

29. Item praefata Societas de licentia et Parochi consensu exponere infra annum in Capella Rosarii publicae venerationi SS. Eucharistiae Sacramentum non potest, sed Ordinarii facultas requiritur: *Ibid. dub.* 4.

30. Insuper Sodales supradictae Societatis annuente, et permittente Archipresbytero facere supplicationes intra, et extra Ecclesiam sine interventu Canonicorum minime possunt, dummodo de supplicationibus ex instituto, in quibus sufficit, quod Canonici sint invitati, non agatur: *Ibid. d.* 5.

31. Nec eadem Societas permittente Archipresbytero in supplicationibus, quae fiunt intra vel extra Ecclesiam Collegiatam propriam Crucem erigere potest: *Ibid. dub.* 7.

32. Item de licentia ejusdem Archipresbyteri dicta Societas pulsari facere Organa, et tintinnabula dictae Ecclesiae nequit, sed circa praemissa consensus Canonicorum quoque requiritur: *Ibid. dub.* 8.

33. Praedicti Sodales permittente Archipresbytero, et Parocho Canonicis celebrationem Missarum in SS. Rosarii Altari impedire nequeunt: *Ibid. dub.* 9.

34. Societatis Mortis, et Orationis aggregatae Archiconfraternitati Mortis Urbis Sodales, quorum Oratorium intra limites Parochiae S. Leonardi oppidi Casalis Majoris permanet absque licentia Praepositi ipsius Ecclesiae si invitatus abnuerit, ac impeditus non intervenerit, supplicationem occasione Festi Nativitatis B. M. V. peragere possint, sed intra ambitum proprii Ora-

(152) *Vide not.* 18. *tom.* 2. *pag.* 19.

(153) *Vide not.* 123. *tom. pag.* 93.

torii, extra vero ambitum nisi Episcopi accedat facultas nequaquam valent: *Cremonen.* 5. *Junii* 1723. *dub.* 1.

35. Ac dicti Sodales eamdem supplicationem cum Capellani interventu, aut alterius Sacerdotis per ipsos facere possunt, non autem per Praepositum destinandi: *Ibid. dub.* 2. *confir.* 13. *April.* 1726. *dub.* 1.

36. Societas praedicta aggregata non potest absque licentia Episcopi in suo Oratorio exponere Eucharistiam infra annum, et praecipue 40 Horarum in Octava defunctorum; et quoad alias functiones juxta eorum institutum, S.C. jussit explicari functiones: *Cremonen.* 13. *April.* 1726. *dub.* 2.

37. Ac dubio examinato, an sufficiat semel dictam licentiam petere, tam pro expositione infra annum quam 40 Horarum, aliisque functionibus juxta institutum, seu potius requiratur toties quoties? S. C. voluit servari solitum: *Ibid. d.* 3.

38. Non autem petita, et non obtenta dicta facultas habetur per concessa: *Ibid. dub.* 4.

39. Occultum quum esset, an Societas Beatae Mariae de Misericordia Pladiarum Castri Plani secundum Capellanum retinere teneatur?

40. An, et ad quem spectet deputatio tam primi, quam secundi Capellani, et respective eorum remotio?

41. An decretum Ordinarii quoad destinationem horarum, et celebrationis Missarum sustineatur?

42. Demum an Prioribus dictae Societatis retardare liceat juxta commoditatem Populi horam celebrationis Missarum, quia incurrant in poenas ab Episcopo comminatas dummodo non excedatur tempus ab Episcopo praescriptum? responsum ad singula fuit, dilata, et interim serventur Decreta Episcopi, et sine praejudicio jurium ambarum partium Episcopus nomine S. C. deputet Œconomum, qui administret bona Ecclesiae, et Vicarius foraneus praestet patientiam, ut libri videantur ab interesse habentibus pro redditione rationis: *Æsina* 18. *Sept.* 1723. *d.* 1. 2. 3. *et* 4.

43. Societas Salutis translata a Villa Fontanae ad Ecclesiam Hospitalis Peregrinorum S. Antonii Abbatis terrae Medicinae potest obire functiones Ecclesiasticas in dicta Ecclesia; nam S. C. validum esse judicaverat Breve Apostolicum concessionis perpetuae illi Ecclesiae in hujusmodi esercitio: *Bononien.* 28. *Julii* 1724. *dub.* 2.

44. Eadem Societas ab Ecclesia Hospitalis praedicti, ubi fuit translata, valet Sac. Imaginem B. M. V. Conceptionis singulis annis in Festo S. Pii V. Pont. Max., seu in Dominica eidem festivitati sequenti ad Ecclesiam Villae Fontanae instar supplicationis tranferre; subinde die Sabbati immediate post Festivitatem S. Augustini ad dictam Ecclesiam S. Antonii restituere; nec non successivo die Dominico Missa solemni, ac vesperis cum cantu celebratis supplicationem generalem ducere per dictam terram Medicinae de licentia tamen Ordinarii: *Ibid. d.* 3.

45. Dictae Societati ducere supplicationem aliam nuncupatam Poenitentiae in una ex diebus hebdomadae Sanctae licet de licentia tamen Ordinarii: *Ibid. dub.* 5.

46. Praefato Sodalitio ratione privilegiorum Archiconfraternitatis Cinturatorum Bononiae aggregantis supplicationes in omni quarta Dominica cujuslibet Mensis, et alias intra tamen non extra ambitum Ecclesiae peragere licet: *Ibid. dub.* 7.

47. Eidem Sodalitio Missas privatas per annum tam pro vivis, quam pro defunctis celebrare fas est, nec non solemnes pro vivis, et quoad solemnes pro defunctis Constitutiones Syno-

dales servari mandatur : *Ibid. dub.* 8 .

48. In propria Ecclesia legibus conceditur eidem sepelire cadavera Sodalium et Consororum, qui ibidem sepulcrum elegerint; non per ejusdem Capellanum absente Parocho valet officium, aliasque functiones super iisdem cadaveribus explere, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non substituat: *Ibid. dub.* 9.

49. Eidem etiam licet SS.Eucharistiae Sacramentum associare , et cadavera defunctorum cum aliis Societatibus , atque cum ipsis interesse supplicationibus, dummodo sit invitata : *Ibid.d.* 10.

50. Et dubio perpenso, an jus habet dicta Societas peragendi novendialem functionem ante solemniores suae Ecclesiae festivitates cum expositione SSmi, necnon tempore infirmitatis alicujus Sodalis velatam Pixidem exponere, et ipsius Capellano in praedictis functionibus populo benedicere? S.C. servari Constitutiones Synodales mandavit (154): *Ibid. dub.* 11.

51. Decet Sodales ejusdem Societatis in dicta Ecclesia horas canonicas recitare cum cantu, vel absque cantu: *Ibid. dub.* 12.

52. In saepedicta Ecclesia Societas conciones de tempore praedictarum novendialium functionum, et publicationis indulgentiarum, aliarumque Ecclesiasticarum functionum, in omnibus tamen de Ordinarii facultate habere potest : *Ibid. dub.* 13.

53. Et postulatum, an eidem Societati eleemosynas cogere conveniat intra quam extra territorium Castri Medicinae? S. C. Ordinarii arbitrio remisit: *Ibid. dub.* 14.

54. An licitum sit Sodalibus dictae Societatis Saccis indutis instar supplicationis ad Ecclesiam Archipresbyteralem accedere ad effectum Sacram Eucharistiam sumendi, tum in solemnitate Paschali, pro explendo praecepto Ecclesiae, tum aliis diebus infra annum; et an Archipresbyter eisdem dicto modo accedentibus teneatur Sacram Eucharistiam subministrare? hoc dubium S. C. Ordinarii arbitrio remisit: *Ibid. dub.* 15.

55. Inter Societatem Tertii Ordinis S. Francisci in Capella SSmi Crucifixi in Ecclesia Aracoeli de Urbe erectam, et P. Provincialem Provinciae Romani Ordinis S. Francisci Min. Observ. nonnulla de jurisdictione facta sunt dissidia, quae S.C. ut componerentur, Constitutiones, Statuta, et regulas exhibendas, et coadjuvandas esse probationes censuit: *Romana* 3. *Febr.* 1725.

56. Idem Sodales Societatis SS. Suffragii terrae Offidae minime possunt legata suscipere, et pecunias relictas a testatoribus impendere, vel in usus a testatoribus destinatos, sive in alios absque Ordinarii licentia erogare, exceptis Legatis pure lucrosis, et erogationibus in usus a testatoribus designatis; sed certiorem de illis Epis-

(154) Quod si Confrater moriens sponte sepulturam elegerit in Oratorio, assistat Parochus officio Missam cantet, et idem servetur in anniversariis, quoties facienda sit absolutio: nec Capellanus societatis jura parochialia perturbet, sub poena suspensionis ipso facto, aliisque arbitrio nostro infligendis." Ita *Synod. Dioecesan. Card. Archiepiscopi Boncompagni anni* 1698. *lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 109. *edit. Bonon.* 1699. Et in nota praecedenti *ibid.* legitur.

„ Cum de exponendo Venerabili quandoque contingat in Ecclesiis, seu publicis confratrum Oratoriis, a Parocho praestetur, seu a Sacerdote per Parochum deputato, qui exponat, et Sole occidente reponat. Secus vigintiquinque aureorum poena multabitur quicumque Sacerdos independenter a Parocho, ad petitionem, et instantiam confratrum, juris parochialis violator, et praesentis decreti, se immiscere ausus fuerit in exponendo, et reponendo Venerabili, insuper Oratorium statim interdicto subiicemus."

copum facere debent: *Asculana* 24. *Martii* 1725. *dub.* 6.

57. Haec res in quaestione versatur an Conventuales terrae Scanni vocati a Prioribus, et Officialibus Laicis Societatis Ecclesiae noviter constructae in terra eadem sub invocatione S. Mariae Liberatricis ad celebrandas Missas, eosque in ea Ecclesia canendum atque alia similia peragendum, possent impediri, et quatenus pro quibus actibus, et a quo casu? S. C. definitionem dedit affirmativam, et addidit, ut de legitima societatis erectione doceretur: *Valven. seu Sulmonen.* 10. *Maii* 1727. *dub.* 3.

58. Sodalitium S. Mariae Misericordiae, et S. Rocci civitatis Alexandriae aggregata Archiconfraternitati S. Rocci Urbis potest sine licentia, atque Parochi S. Martini interventu, intra cujus Parochiae fines Ecclesia Societatis sita est, exponere in suo Oratorio Lignum S. Crucis, Episcopi facultate accedente: *Alexandrina* 21. *Febr.* 1728. *d.* 1.

59. Necnon eadem Societas cum venia Episcopi exponere in suo Oratorio Sanctisimam Eucharistiam absque licentia ac interventu Parochi pariter potest: *Ibid. dub.* 2.

60. S. Mariae de Libertate Societas, quae propriam Ecclesiam, seu Oratorium habet intra Parochialis Ecclesiae S. Mamantis limites, pollet jure eligendi sibi Patrem spiritualem amovibilem cum approbatione tamen Ordinarii, nec Parochus pro tempore dictae Parochialis Ecclesiae esse debet: *Bononien.* 15. *Maii* 1728. *dub.* 1.

61. Dicta Societas independenter a Parocho quascumque functiones in propria Ecclesia, seu Oratorio, dummodo prohibitae non sint a Decretis generalibus, atque constitutionibus Synodalium, explere potest: *Ibid. dub.* 6.

62. Ac pro solitis Exercitationibus spiritualibus peragendis per Societatem a die Dominicae Ascensionis ad diem festum Sancti Michaelis Archangeli Septembris praeter facultatem Ordinarii etiam Parochi consensus non requiritur: *Ibid. dub.* 7.

63. Inde dicta Societas occasione Exercitationum praedictarum de licentia Ordinarii per Ecclesiam pro animabus Purgatorii eleemosynas quaerere potest, ac illae in suffragium animarum purgantium sunt erogandae: *Ibid. dub.* 11.

64. Eadem Societas Dominica ultima Septembris ducere supplicationem cum Imagine S. Mariae de Libertate ad plateam magnam Civitatis cum assessione Parochi vel eo absente, proprii Capellani, ac populo benedicere, tam in dicta platea quam sub stillicidio propriae Ecclesiae, et intus eamdem, accedente tam licentia Ordinarii, et comitante Parocho, vel alio Sacerdote de ejus facultate, potest: *Ibid. dub.* 14.

65. Societas sub titulo S. Mariae Constantinopolis introducta in Ecclesia S. Sebastiani posita extra moenia terrae Rendarum potest administrare oblationes, eleemosynas, supellectilia donata ac respective data, in futurum donanda dictae Societati, et independenter a Rectore, seu Beneficato ejusdem Ecclesiae danda, ita tamen, ut Ordinario ratio reddenda sit: *Consentina Cap.* 3. *Decem.* 1729. *dub.* 4.

66. Sodalibus S. Mariae de Suffragio, quibus novam Ecclesiam intra urbem aedificandi facultas facta fuit de licentia Episcopi eodem tempore, quo celebrantur in Cathedrali Divina Officia, in illa proprias eorum functiones explere licitum est ex gratia S. C: *Privernen. Ædif. Eccles. et Jur. Par.* 24. *Sept.* 1735. *dub.* 2.

67. Eidem Societati de Episcopi potestate Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum retinendi et exponendi jus concessum fuit: *Ibid. dub.* 3.

68. Sodalium divisio et separatio pe-

racta a Vicario Generali ad compescendas contentiones ortas per modum provisionis sustinetur, itaut in posterum servanda sit. Nam agebatur de Societate S. Sepulcri quae aggregata fuit Archiconfraternitati Sacr. Stigmatum S. Francisci de Urbe, et nonnulli Sodales optantes se transferri ab Oratorio S. Sepulcri ad Ecclesiam S. Caroli inserto stemmate Sacr. Stigmatum hoc causa fuit Societatum divisionis, quarum Sodales cum diversis statutis dissentiones excitaverant: *Maceraten. Confrat.* 24. *Martii* 1736. *dub.* 1. *Confir.* 17. *Maii* 1737.

69. Sed Sodalibus in Oratorio S. Sepulcri existentibus non licet uti nomine, signis, et privilegiis Societatis Sacr. Stigmatum. Nam illa sub diverso titulo, et instituto erecta non potuit dictae Archiconfraternitati aggregari, quae adscriptis Societati S. Sepulcri non potest suffragari: *Ibid. d.* 2. *confir. Ibid.*

70. Societas nuncupata *del suffragio* de Episcopi licentia potest per Sacerdotes deputandos solemniter Missas canere in Ecclesia, seu Oratorio sub titulo Suffragii absque venia Parochi S. Mariae loci Rapagnani, intra cujus fines dictum Oratorium adest, non autem dictae Missae a dicto Parocho sunt celebrandae: *Firmana Jur. Par.* 2. *Junii* 1736. *dub.* 1.

71. Item in supradicta Ecclesia seu Oratorio SS. Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi exponere cum sola Ordinarii licentia absque praedicti Parochi interventu potest. *Ibid. dub.* 2.

72. Ecclesiae S. Johannis Baptistae in Atrio Sodales bona, reditusque Societatis, atque Ecclesiae administrantes ex arbitrio tantum Episcopi pendere debent: *Comen. Administr. et Jur. Par.* 27. *Julii* 1737. *dub.* 1.

73. Dicti Sodales soli Episcopo de bonis ac reditibus administratis, necnon de oblationibus dictae Ecclesiae rationem reddere tenentur: *Ibid. dub.* 2.

74. Haec quoque allata sunt dubia, an Sodalibus integrum est, ut in dicta Ecclesia ab eorum Capellano aliisque Sacerdotibus tam secularibus, quam Regularibus, qui magis eisdem arrident, celebrentur Missae, Anniversaria, Funera, administrentur Sacramenta Poenitentiae, et Sanctissimae Eucharistiae, benedicentur Palmae, Candelae, et fiant stationem, et alias quascumque functiones Ecclesiasticas absque potestate et arbitrio Praepositi?

75. An sine ulla facultate Praepositi, et Canonicorum Ecclesiae Collegiatae S. Fidelis liceat dictis sodalibus ab eorum Capellano, seu aliis Sacerdotibus Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum exponere curare?

76. An et quae emolumenta Sodalibus debeantur pro sepeliendis in Ecclesia eorum cadaveribus illorum, qui ibidem sepulcrum eligunt?

77. An Sodales teneantur restituere ceras, quatenus occasione Funeris Caroli Ambrosii Radaelis receperint? S. C. censuit respondendum dilata et proponatur dubium super Matricitate: *Ibid. dub.* 4. 5. 6. *et* 7.

78. Minime eisdem Sodalibus licet privative retinere clavem Fontis Baptismalis S. Johannis Baptistae in Atrio: *Ibid. dub.* 9.

79. Societates laicales terra Suriani possunt in propriis Ecclesiis explere functiones non parochiales et signate celebrationem Missarum cum assessione Diaconi et Subdiaconi sine ulla facultate Parochi in solemnioribus eorumdem Ecclesiarum festivitatibus: *Hortana Jur. Par.* 5. *Julii* 1738. *dub.* 1. *Deinde* instantibus Parochis ut S. C. consilium susceptum deponat, respondit dilata et scribatur Episcopo juxta instructionem 1. *Aug.* 1739.

80. Societati Assumptionis, et Rosarii urbis Senogalliae licet sepelire si-

ne licentia Capituli Cathedralis, ubi cura animarum residet, Cadavera Sodalium sibi eligendum sepulcrum in Ecclesia seu Oratorio ejusdem Societatis: *Senogallien. Jur. Sepell.* 24. *Januar.* 1739. *dub.* 1.

81. Constituta sunt dissidia inter PP. Ordinis Praedicatorum Conventus Civitatis Centumcellarum, cui adnexa est Ecclesia Parochialis S. Mariae, ac inter Sodales Societatis Orationis, et Mortis, et hac occasione S.C. decrevit non licere ad formam sententiae Ordinarii dictae Societati levare cadavera quomodolibet mortuorum, sive in navibus, sive in campestribus Parocho inconsulto: *Viterbien.* 16. *Decem.* 1741. *dub.* 2.

82. Jus non habent Sodales Societatis Orationis et Mortis ipsorum vexillum apponendi in capite feretri praesente Cruce Parochi occasione comitatus Cadaverum: *Ibid. dub.* 5.

83. Licet eidem Societati de Episcopi facultate dirigere, et ducere supplicationem B. Virginis Septem Dolorum extra ambitum suae Ecclesiae, et licet pariter de licentia Episcopi ejus Capellano benedicere populo insciente Parocho. *Ibid. dub.* 11.

84. Sodalitas Defunctorum in Ecclesia Parochiali S. Eulaliae loci de Berga erecta absque Ordinarii licentia suscipere legata, aliaque pia relicta sub perpetuo onere Missarum, Anniversariorum, et similium non valet, etsi in ejus favorem consuetudinem antiquam in medium proferret: *Celsonen.* 22. *Julii* 1741. *dub.* 1.

85. Ampliatur, quod pariter absque Ordinarii licentia facere investimenta pecuniarum provenientium ex retrovenditione censuum in aliis similibus censibus, et investimentis non potest: *Ibid. dub.* 2.

86. Publicum intra fines Parochialis S. Mariae Majoris Civitatis Maratheae adest Oratorium ubi Sodalitium B. M. V. Dolorum est erectum. Maxima Sodalium pietas egit ita, ut ab Episcopo fuerit obtentum, ut tertio quoque mensis cujuslibet Dominico die Simulacrum Sanctissimae Virginis solemni pompa per publicas deferretur vias, dummodo a Parocho S. Mariae venia impetraretur. Assentiri renuit Parochus. Ideo quaesierunt Sodales, num sibi liceret supplicationem illam explere de sola Episcopi licentia? licere S. C. resolvit et injunxit ad mentem (155): *Cassanen.* 12. *Aug.* 1747. *dub.* 1.

87. Protulerunt insuper, quibusnam horis sit praefata supplicatio peragenda? arbitrio Episcopi remissum fuit: *Ibid. dub.* 2.

88. Exposuerunt tertio, num in eorum Ecclesia, seu Capella possint ad recipiendas Sacramentales ipsorum, ac etiam mulierum, et aliorum Confessiones, exedras retinere? habuerunt responsionem posse de licentia Episcopi mulieribus exceptis: *Ibid. dub.* 3.

89. Et ambigui fuerunt demum, num in praefata eorum Ecclesia de sola Episcopi licentia, et per tempus ab ipso praefinitum liceat publicae venerationi exponere SS. Sacramentum, illudque tandiu in parvo Sacello custodire? definitio fuit affirmativa, et ut Episcopus prudenter concordaret: *Ibid. d.* 4.

90. Societas Mortis, et Orationis de Quarto de potestate tamen Archiepiscopi potest quaeritare eleemosynas extra Monasterium Monachorum Congregationis Olivetanae, ubi Sodalitium remanet: *Januen. Jur. Par.* 13. *Julii* 1748. *dub.* 2.

91. Sodalitium S. Spiritus, quod Oratorium tenet intra fines Parochiae S. Martini petens indultum peragendi fun-

(155) *Vide not.* 208. *pag.* 150.

ctiones Majoris hebdomadae opponente Parocho S. Martini, S. C. instantiam arbitrio Episcopi commendavit. Nam actae fuerunt functiones omnes tempore, quo reparabatur Ecclesia Parochialis tanta populi novitate ducti frequentia; ac restituta Ecclesia Sodales hujusmodi obtulerunt preces ad easdem functiones prosequendas: *Syracusana Ind.* 13. *Januar.* 1753.

92. Sodales Poenitentium in urbe Boujeux Episcopali, et Apostolica auctoritate una cum Statutis adprobati Episcopus contra morem vetuit, ne functiones Sodalitias peragerent inconsulto Parocho. Reclamarunt hi ad Pro legatum Avenionensem, qui Episcopi mandata revocavit. Episcopus autem interdixit eorum Capellam. Sed S. C. postquam interdictionem haud esse sustinendam statuerat, mandavit, ut iidem Sodales in Missarum celebratione tam solemnium, quam privatarum, in SS. Sacramenti expositione benedictionibus, supplicationibus aliisque functionibus non Parochialibus non tenentur adhibere, et requirere Parochum, sive Sacerdotes secundarios Parochiae, sed quod praefatas functiones per proprios Capellanos absque quaesito Parochi explere valerent: *Apten.* 2. *Decem.* 1758. *d.* 2. *Confir.* 11. *Aug.* 1859.

93. Sodales Congregationis S. Pii Suffragii canonice erectae in Ecclesia Parochiali S. Blasii Civitatis Faventiae de numero quadraginta compelli non valent ad celebrationem Missae *Mensilis* nuncupatae, sed servandum est decretum anni 1714. (156), ac observantia subsequuta super exemptione non celebrandi dictam Missam. *Faventina Plur.* 20. *Decem.* 1760.

94. Iidem Sodales possunt, et valent dispensare, atque distribuere Missas, et Capellanias Sacerdotibus sibi benevisis, non autem in dispensatione, ac distributione tenentur praeferre Capellanos Episcopi, et Praeceptores, ac Praefectos Seminarii: *Ibid.* 12. *Julii dub.* 2.

95. Dictis Sodalibus de numero quadraginta in locum demortuorum, aut quomodolibet deficientium licet eligere, ac subrogare personam extraneam tantum in casu, quod inter Sodales de communi nullus sit habilis, praevia cognitione, et auctoritate Episcopi: *Ibid. dub.* 3.

96. Societas SS. Conceptionis terrae Brixilli vigore aggregationis obtentae ab Archiconfraternitate Orationis, et Mortis Urbis praevio Ordinarii assensu sepelire potest cadavera pauperum, quae post spatium viginti horarum nolit Archipresbyter tumulare; etiamsi videtur aliquod praejudicium Archipresbytero, cujus Parochiae tenues sunt reditus, inferre: *Mutinen. Aggreg.* 10. *Novem.* 1726. *d.* 1.

97. Non autem eadem Societas potest accedere ad suscipienda dicta cadavera non quaesito Archipresbytero praedicto: *Ibid. dub.* 2.

98. Nec dicta Societas, salvis juribus Parochialibus, jus habet humo mandandi cadavera defunctorum, qui in ipsius Oratorio sepulcrum elegerint. Nam obstat Episcopus, ac Constitutiones Synodales adversantur: *Ibid. d.* 3.

99. Jus peragendi omnes functiones pertinentes ad societatem SSmi Sacramenti erectam in Altari Majori Ecclesiae Praeposituralis S. Michaelis Archangeli Montis Urani spectat priva-

(156) In ordinaria congregatione habita die 22. Junii 1714 cum interventu quindecim confratrum statutum fuit, uno dumtaxat discrepante, ut in posterum quilibet de numero quadraginta, quibus cura imminet aucti Patrimonii, a praestatione conventae eleemosynae immunis esset, *in riguardo della sua fatica*, et nihilominus consueto suffragio viginti Missarum frueretur: *Ead. caus.* 12. *Julii* 1760. §. *Progressu*.

tive ad Praepositum, dum peragi debent in Ecclesia Parochiali: *Firmana* 28. *Januar*. 1769. *dub*. 2.

100. Eidem vero Societati concedendum non est indultum retinendi Sanctissimum Sacramentum in ejus Oratorio contradicente postulationi Societatis Praeposito praefato, qui indecoram Oratorii formam asseruit, situm pluribus irreverentiis obnoxium, ac defectum cujuslibet causae ad indultum elargiendum necessariae: *Ibid. d.* 4.

101. Quum Sodalitium Mortis Castri Montis Joveni sese transtulisset ab Ecclesia Parochiali ad aliam B. M. de Quercu Episcopo refragante, is inhibuit Ecclesiae S. Mariae instaurationem. Et Sodalitium appellavit S. C. quae resolvit licere ei libere prosequi restaurationem dictae Ecclesiae, et juxta illam construere mansiones pro ejus, et Capellani decenti commodo necessarias, sed ex fructibus super extantibus, et non necessaris pro implemento operum piorum, ac praevia approbatione donationis Ecclesiae, et salvis juribus parochialibus: *Civitatis Plebis* 22. *Martii* 1760. *dub*. 2.

102. Societati Tertii Ordinis S. Antonii Patavini licet de licentia Episcopi in qualibet feria III. per totum mane illius diei asservare in parvo Sacello SSmam Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christi Fidelibus; etsi repugnet Parochus: *Faventina Funct*. 27. *Julii*. 1773. *dub*. 6.

103. Societas SSmi Sacramenti terrae Bondeni pendere debet a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis ad formam resolutionis S. C. Rituum anni 1703. ad 1. et 2. dub.(157): *Ferrarien. Confrat*. 14. *Sept*. 1782. *d*. 1.

104. Nec idem Societati competit jus stipem cogendi privative in Parochiali Ecclesia, et Parochia pro manutentione olei, lampadis, cerae, et supellectilium causa functionum SSmi Sacramenti Parochialis Ecclesiae, sed colligendas esse censuit S. C. ad formam decreti anni 1779. Card. Archiepiscopi: *Ibid. dub*. 2.

105. Societatem SSmi Rosarii erectam in Collegiata Ecclesia S. Petri Montis Martiani subesse declaratur non Capitulo, sed soli Archipresbytero, sub cujus regimine ante erectionem Collegiatae fuit ex fundatione: *Senogallien*. 13. *Junii* 1789. *d*. 8.

§. VIII.

Sodalitium, et Sodales quoad Onera.

1. Ad disquisitionem adducitur. *In questa Diocesi sono alcune Confraternite, le quali poi per godere l' indulgenza si sono aggregate a diverse Archiconfraternità, si dimanda se sono obbligate al pagamento della tassa del Seminario dell' entrate vive, che tengono?* non teneri, nisi ratione bonorum Ecclesiasticorum dubium definitur: *Triventina Febr*. 1588. *dub*. 2.

2. Censuit S. C. Episcopum posse Societates, de quibus agitur, compellere ad accedendum ad publicas supplicationes, etiam sub poenis pecuniariis, ac aliis sibi benevisis, sed commonendum esse Episcopum, ut antequam poenarum vim adhibeat, prius charitate pastorali adhortetur: *Papien*. 8. *Maii* 1627.

3. Societates laicorum, quae ad formam Gregorianae Constitutionis (158)

(157) *Vide not*. 699. *tom*. 2. *pag*. 503.

(158) Quae incipit *Deo Sacris* 30. *Decem*. 1571. (*Bull. Rom. tom*. 4. *part*. 3. *pag*. 244.) Gregorii XIII. Quum multa Monasteria, quae non habebant, unde necessitatibus suis succurrerent per collectas eleemosynas, inter ambitum Clausurae in miserrima viverent paupertate, Summus Pontifex statuit, ut omnia Collegia, Hospitalia, Loca pia, Militia, quae solent eleemosynas pauperibus elargiri juxta legata sibi relicta, medietatem dent his Monialium pauperibus Monasteriis, et mandat Ordinariis, ut eas eleemosynas colligant.

teneutur subvenire panperibus Monasterii Monialium non possunt adigi ab Archiepiscopo ad annuum suppeditandum levamen dictis pauperibus Monasterii juxta annuam indigentiam eorumdem: *Urbinaten. Visit. SS. LL.* 10. *Martii* 1663. *dub.* 17.

4. Sodalitium SS. Rosarii in Conventu PP. Min. Conv. S. Francisci oppidi S. Elpidii erectum non exemptum ab Ordinarii jurisdictione rationem de administratione Ordinario reddere tenetur: *Firmana Jurisd.* 4. *Aug.* 1714. *dub.* 3.

5. Facta est disceptatio, an Sodales Societatis Mortis, et Orationis Casalis Majoris celebrantes Festum Nativitatis B.M.V. in eorum Oratorio teneantur invitare Praepositum S. Leonardi, intra cujus Parochiae limites jacet Oratorium, ad illud celebrandum? S. C. distulit resolutionem addendo; et interim per modum provisionis, et sine praejudicio jurium partium Sodales invitent Praepositum ad celebrationem festi, eoque renuente, vel impedito eligant Sacerdotem sibi benevisum: *Cremonen.* 31. *Julii* 1717. *dub.* 1.

6. Societas SS. Sacramenti erecta in Ecclesia Parochiali S. Mariae de Platea certam olei quantitatem pro lampade, quae ardere debet coram SSmo Sacramento Rectori, seu Parocho dictae Ecclesiae praestare tenetur, sicuti Sodales tradere promiserant; nam de obligatione ista suspicari non licet: *Terrae Lauri, seu Firmana Disc. Confrat.* 27. *April.* 1720. *dub.* 3.

7. Societas SS. Suffragii terrae Offidae expensis Visitationis ejusdem Ordinarii contribuendi onus habet: *Asculana* 24. *Martii* 1725. *dub.* 7.

8. Sodalitium SS. Sacramenti Societati SS. Corporis Christi aggregatum in Ecclesia S. Mariae supra Minervam, in Ecclesia Cathedrali Bituntina erectum tradere tenetur, uti Episcopus praecepit, in manibus Canonici Punctatoris notulam Missarum, et Anniversariorum, ut onera Missarum dividat, et distribuat inter Sacerdotes, Capitulares, et Participantes Presbyteros, ac invigilet, ut designatis temporibus impleantur, tamquam delegati ab Episcopo, et addidit S. C., ut idem Episcopus mandet, servari Bullam Innocentii XII. de Celebr. Miss. (159): *Bituntina Missar.* 19. *Novem.* 1729. *dub.* 1., *confir.* 20. *Aug.* 1735.

9. Societates auctoritate ordinaria erectae, et habentes propriam Ecclesiam Cathedraticum solvere tenentur: *Firmana Cathed.* 24. *Julii* 1734. *d.* 2.

10. Societates non habentes propriam Ecclesiam, sed simplicem tantum Capellam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectae ad solutionem Cathedratici non tenentur: *Ibid. dub.* 3.

11. Quum S. C. validam declarasset transactionem initam inter Capitulum Collegiatae, et Parochialis S. Fedelis, et Sodales Societatis erectae in Ecclesia S. Johannis in Atrio super exercitio functionum Ecclesiasticarum, hinc adstricta remansit eadem Societas ad celebranda anniversaria, et Missas antea non impletas, sed etiam in futurum: *Comen. Admin.*, *et Jur. Paroch.* 27. *Julii* 1737. *dub.* 11.

12. Etsi vetustissime transactio peracta fuerit inter PP. Ordinis Praedicatorum Conventus urbis Centumcellarum cui adnexa est Ecclesia Parochialis S. Mariae, ac inter Sodales Societatis Orationis, et Mortis, tamen novae con-

(159) Quae incipit *Nuper* 23. *Decem.* 1697. (*Bull. Rom. tom.* 9. *pag.* 464.), et qua confirmantur, et innovantur plurima Decreta S. Concilii super celebratione Missarum una cum illorum declaratione, approbatione, et innovatione ejusdem Congregationis.

troversiae fuerunt excitatae, quas S. C. sic repellit, nempe Sodales praedictae Societatis, non quomodolibet, sed per schedulas intimati interesse supplicationibus SS. Rosarii tam in prima Dominica cujuslibet Mensis, quam in prima Dominica Octobris valent: *Viterbien.* 16. *Decem.* 1741. *d.* 1.

13. Ac Sodales praedictos requisitos a Parocho, ut eum associent ad levandum, et deferendum aliquod ex cadaveribus quomodolibet mortuis sive in Civitate, sive in Navibus, sive in Campestri, ipsos accedere, et comitari ad formam sententiae Ordinarii (160) teneri: *Ibid. dub.* 3.

14. Societas Mortis, et Orationis de Quarto de eleemosynis collectis etiam extra Oratorium non tenetur Parocho S. Johannis rationem reddere: *Januen. Jur. Par.* 13. *Julii* 1748. *dub.* 3.

15. Sodalitia Civitatis Viterbii pro funere Sodalium, quos in suis Ecclesiis eligunt sepulcrum, ac tumulant, Parochis canonicam portionem non autem omnia emolumenta funerea eorumdem Sodalium, praestare tenentur; etsi Parochi consuetudinem, ac servitutem Ecclesiarum Societatum allegaverint: *Viterbien. Emol. Funer.* 28. *Januar.* 1764.

16. Sodales SS. Nominis Jesu, quorum Societas in Ecclesia Hospitalis S. Rocchi oppidi Viqueriae fuit erecta, hospitalitatem Peregrinorum cum omnibus adnexis, et necessariis in viridem observantiam revocare, et caetera contenta in instrumento diei 29. April. 1621. implere tenentur sub poena caducitatis ipso facto incurrendae in casu inobservantiae pactorum, et ad hoc tenentur ad formam conventionis, nec non S. C. mandat Sodales cogendos esse juris remediis tantum: *Derthonen. Visit.* 26. *Januar.* 1760. *d.* 9.

17. Dicti Sodales debent librum peculiare tenere, in quo implementum celebrationis Missarum cujusque Legati pii adnotetur: *Ibid. dub.* 15.

18. Idem Sodales ratione Legati relicti a quodam Carolo Vincentio Salvi quantitatis Missarum ad ratam partem fructuum coram Episcopo liquidandam celebrationem curandi onus habent: *Ibid. dub.* 16.

19. Praedicti Sodales quoad admissionem ad celebrationem tam secularium, quam Regularium in Oratorio S. Rocchi licentiam Prioris Conventus ad formam *Cap. VIII.* instrumenti diei 2. Decem. 1577. petere tenentur, et S. C. addidit ad mentem: *Ibid. d.* 20.

20. Et in casu inobservantiae dicti *Cap. VIII.* Sodales ab usu dicti Oratorii cedere non debent, sed illos aliis juris remediis esse cogendos: *Ibid. d.* 21.

21. Sodales Societatis Suffragii Animarum Purgantium erectae in Ecclesia B. M. V. terrae Tulpharum, quae se transtulit ad Ecclesiam S. Antonii Patavini, obligationes per ipsos assumptas pro manutentione Ecclesiae B. M. V. Misericordiae, Sacrarum supellectilium, aliorumque implere non tenentur; etiamsi de hoc ceperint resolutionem, et Beneplacitum Apostolicum pro approbatione obtinuerint, quia utrumque nullam exequutionem habuit,

(160) Quae protulit anno 1739. cujus caput secundum haec habet „ non posse R. P. Curatum mittere Vice-Curatum ad associanda cadavera eligentium sepulturam in praefata Ecclesia Confraternitatis, neque ad explendum officium funebre super illis, nisi ipso Curato infirmo, vel absente ex legitima causa a civitate, ita si idem P. Curatus, vel vice-Curatus in supradictis duobus casibus infirmitatis, et absentiae invitatus recusaverit, vel expectatus per semihoram non intervenerit, possint omnia peragi per R. Capellanum praedictae Confraternitatis ad formam capitis primi citatae concordiae, quam ita esse intelligendam declaravit „. *Ead.* 18. *Novem.* 1741. §. *Secundo.*

et res adhuc in integro statu manent: *Sutrina Trans.* 15. *Julii* 1780. *d.* 3. *Confir.* 20. *Januar.* 1781.

22. Societas SS. Sacramenti terrae Bondeni praeter servitium personale devincta non est explere onera manutentionis olei lampadis, cerae, et supellectilium pro functionibus SS. Sacramenti Ecclesiae Parochialis ex propriis Oratorii reditibus, sed expensas necessarias pro eodem cultu faciendas esse primum ex eleemosynis sive a Parocho sive a Societate in hanc causam colligendis; deinde ex reditibus bonorum intuitu SSmi Sacramenti a Societate acquisitorum, et in subsidium tandem ex reditibus Parochi S.C. censuit: *Ferrarien. Confr.* 14. *Sept.* 1782. *d.* 3.

23. Haec indiget S. C. consilio, an eadem Societas propria paramenta, Sacrasque vestes, et supellectilia pro Ecclesia Parochiali in iis Sacris Functionibus, quae non pertinent ad Societatem SS. Sacramenti, subministrare teneatur?

24. Et an pondus habeat eadem manutentionis cerae, et supellectilium pro Missa festiva Parochiali pro canendis Missis, Vesperis in Festis anni diebus, aliisque sacris functionibus peragendis in Ecclesia Parochiali? S. C. respondit serventur Decreta Visitationum Card. Magalotti anni 1628. et Card. del Verme annorum 1708., et 1712. (161). Pro festivitatibus vero, et functionibus non spectantibus ad cultum SS. Sacramenti provideat Card. Archiepiscopus prout ipsi opportunum videbitur: *Ibid. dub.* 4. *et* 5.

25. Mos invaluit, ut in ducendis Funeribus Parochialium S. Andreae in Villis, et SS. Johannis, et Paulli Ronchi Sambaci Dioecesis Fanensis, quae sunt finitimae Castro-Nubilariae Dioecesis Pisaurensis advocentur etiam Sodalitia dicti castri, quibus renuentibus S. C. decrevit teneri dictas Societates convenire in Ecclesia Parochiali ad levandum Parochum, non autem expectare ipsum in loco, in quo una ab altera Dioecesi dividitur addendo ad mentem (162): *Fanen. et Pisauren. Funer.* 21. *Junii* 1783.

§. IX.

Sodalitium, quoad Sodalium Receptionem, Expulsionem, ac Redintegrationem.

1. Societas S. Titulo S. Mariae Constantinopolis introducta ab an. 1658.

(161) In visitatione habita die 24. Octob. 1628. onus assumpsit sodalitium „ Prima qualibet Dominica singulorum mensium providere pro Altare, in quo Missa Solemnis celebratur sex candelas cerae, et quatuor Intorticia, et singulis quintis feriis pro Missa de SSmo Sacramento, et in Festis Solemnioribus Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi cum tribus diebus sequentibus, Resurrectionis Dominicae cum duobus sequentibus diebus, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, et Nativitatis Beatae Mariae Virginis eamdem Candelarum, et Intorticiorum quantitatem, et qualitatem tradere “. Item in visitatione Oratorii Confraternitatis habita anno 1708. conquesti sunt sodales penes Card. Verme Episcopum Ferrariensem de Archipresbytero, qui omnia sodalitii supellectilia in sacrario Ecclesiae Parochialis retinebat, institeruntque, ut ipsis restituerentur, et laudatus Episcopus „ Precibus benigne annuendo eo omnia in Inventario contenta mandavit restitui juxta petita, cum hoc tamen quod illa subministrare debeant quandocumque eidem Archipresbytero, vel ejus Capellano quando contingerit opus esse illis uti pro functionibus spectantibus ad societatem SSmi Sacramenti, quibus terminatis debeant redire ad manus Societatis, seu Officialium “ Idem in visitatione Oratorii anni 1712. *Ead.* 14. *Sept.* 1782. §. *Pro*.

(162) Mens est, ut Episcopus mandet servari Rituale Romanum, et Decreta S. C. Rituum, nec non Synodales Constitutiones tam Pisaurenses, quam Fanenses circa modum ducendi defunctorum funera. *Regist. Lit. Lib.* 34. *die* 21. *Junii* 1783.

in Ecclesia sub titulo S. Sebastiani posita extra muros terrae Rendarum, quum ex tanta temporis vetustate presumatur introductam fuisse de licentia Episcopi, ac est in quasi possessione continuo exercendi varia pietatis opera tanta fidelium utilitate, non est expellenda, seu removenda a dicta Ecclesia: *Consentina Cap.* 3. *Decem.* 1729. *dub.* 2.

2. Quum Episcopus Sodalibus Mortis terrae Bodii in Visitatione praecepisset, *che non si accettino per Fratelli persone, che non abbiano attestato di ottimi costumi*, et requirentibus istis Sodalibus a S. C. an et quomodo adscribendi sint novi Sodales in Albo Societatis? ad Synodalium Constitutionum formam respondit: *Senogallien.* 13. *Julii* 1765. *dub.* 8.

3. Societatis Misericordiae oppidi Polimartii Sodales ultimo loco ab Episcopo deleti, quia se opponebant subministrationi scut. 30. ex reditibus Societatis pro manutentione alumni ipsius oppidi in Seminario degentis, sunt reintegrandi, et respective delendi novi Sodales ab eodem Episcopo electi. Ita S. C. posteaquam sub die 28. Januar. seq. anni distulerat resolutionem redintegratis interim Sodalibus decrevit: *Balneoregien. Elect. Alum.* 16. *Sept.* 1769. *dub.* 2.

4. Societatis SS. Sacramenti terrae Bondeni Sodalium expulsionem ab Archiepiscopo patratam S. C. approbavit, et illorum redintegrationem in pristinum statum remisit arbitrio ejusdem Archiepiscopi: *Ferrarien. Confrat.* 14. *Sept.* 1782. *dub.* 7.

§. X.

Sodalitium quoad Translationem.

1. Societati, et sodalibus SS. Sacramenti in Ecclesia Parochiali S. Mariae de Platea terrae Lauri invito Parocho non liceat transire ad aliam Ecclesiam, cui decreto addidit S. C., et Archiepiscopus provideat ne oriantur populi offensiones; nam nonnullae controversiae inter ipsam, et Parochum urgebant: *Terrae Lauri seu Firmana Disc. Confrat.* 27. *April.* 1720. *dub.* 1.

2. Probata est validitas translationis Confraternitatis Salutis ab Ecclesia Villae Fontanae ad Ecclesiam Hospitalis Peregrinorum S. Antonii Abbatis terrae Medicinae. *Bononien*, 28. *Julii* 1724. *dub.* 1.

3. Quidam Confratrum Societatis sub titulo S. Mariae de Tindaride erectae in Ecclesia S. Luciae praevio Ordinarii consensu novam construxere Ecclesiam prope praedictam Ecclesiam S. Luciae, in qua postmodum a Vicario Capitulari eadem Societas stabiliri curavit. Ceteri Sodales de non legitima translatione asserentes reclamarunt. S. C. tamen super hac re decrevit, Congregationem S. Mariae de Tindaride esse in novum Oratorium translatam: *Pacten. Confrat.* 5. *Junii* 1734. *dub.* 1.

4. Necnon hujusmodi translationem esse legitime factam deciditur. *Ibid. dub.* 2.

5. Societati Mortis erectae in Altari S. Jo. Evangelistae Ecclesiae Parochialis Castri Montis Joveni sese transferre licet contradicente Episcopo ab ipsa Ecclesia Parochiali, ad aliam B. M. de Quercu extra Castri moenia, quam pridem acquisierat ex donatione Simonis Ferri patroni, ad effectum in ea exercendi assueta pietatis Officia juxta illius institutum. Nam non deficiebat in Ecclesia Parochiali Societas SS. Sacramenti: *Civitatis Plebis* 22. *Martii* 1760. *dub.* 1.

6. In Parochiali Ecclesia Casalis Tarxen duo sunt Laicorum Sodalitia erecta. Unum sub titulo SS. Crucifixi Agonizantis in magno Sacello Episcopi auctoritate constitutum, quod in dextero Ecclesiae latere existit. Alterum sub

invocatione B. Virginis Rosarii; quod in parvo ejusdem Ecclesiae Sacello altare habet. Utrumque Sodalitium in proprio altari Christianae pietatis officia semper, et absque ulla dissentione exercuit. Procuratores utriusque sodalitii agere inter se de permutando invicem altari coeperunt, et Vicarius Capitularis decretum pro petita permutatione edidit. Sodales SS. Crucifixi contradixerunt, manutentionemque postularunt. Modo ambigitur, an locus sit praefatae permutationi? responsum fuit haud esse locum: *Meliten. Permut.* 30. *Julii* 1774.

7. Societas Suffragii Animarum Purgantium terrae Tulpharum erecta in Ecclesia B. M. V. Misericordiae resolutionem initis Comitiis se transferendi ad Ecclesiam S. Antonii Patavini patronis istius assentientibus fecit, sed nonnullis Sodalibus dissentientibus, et disputato in S. C. dubio an sustineatur translatio? responsum prodiit affirmativum cum pactis, et conditionibus ab Episcopo approbandis. Nam Sodales praedicti justam, ac rationabilem causam exhibent tum ob distantiam a terra Tulpharum, et populo incommoda, nec obstare obtinuisse Beneplacitum Apostolicum super quadam obligatione contracta cum Ecclesia B. M. V. de Misericordia, quia utramque nullam habuit exequationem: *Sutrina Trans.* 15. *Julii* 1780. *dub.* 1. *Confir.* 20. *Januar.* 1781.

8. Necnon transferendi sunt reditus, et onera a dicta Societate implenda in dicta Ecclesia B. M. V. Misericordiae salvis dispositionibus testatorum: *Ibid. dub.* 2. *Confir. Ibid.*

§. XI.

Sodalitium quoad Unionem, Suppressionem, et Redintegrationem.

1. Censuit S. C. Societates SS. Suffragii, et S. Laurentii Pontremuli posse stare simul unitas in uno, eodemque Oratorio: *Lunen. Sarzanen. Jur. Par.* 19. *Aug.* 1690. *dub.* 1. *Confir.* 13. *Januar.* 1691.

2. Suppressio Sodalitii sub titulo B. M. V. de Misericordiae oppidi nuncupati *Civitas nova* peracta fuit a Bened. XIII. ex rationalibus, et justis causis sibi notis 15. *Decem.* 1727. per Bullam, cujus Sodalitii bona pleno jure addixit Capitulo Ecclesiae Collegiatae S. Paulli ejusdem oppidi salvo remanente onere Missarum, aliisque pietatis officiis, reclamantibus Civibus, qui ad suppressum Sodalitium erant aggregati, asserentes non constare de redituum Capituli tenuitate. Hanc vero S. C. validam judicavit, quum oris aperitionem adversus praedictam Bullam denegaverit. De hac Societate pluries Archiepiscopi in Visitationibus querebantur de immodicis sumptibus, quos sodales in Conviviis inutiliter impendebant: *Firmana Aper. Oris, et Redint.* 6. *Decem.* 1732. *dub.* 2.

3. Sequuta ab Archiepiscopo peracta translatione curae animarum in Ecclesia Sodalitii Spiritus Sancti, ac pactis conventis inter Archipresbyterum, ac sodales, ac novo suffecto Archipresbytero, is a S. C. postulavit ad controversias tollendas, ac curae animarum detrimentum ut sodalitium supprimeretur, qui nunquam congregabatur in Ecclesia ad formam antiqui eorum statuti, ejusque bona cum omnibus oneribus unirentur Parochiae, quae non praestabat congruam conciliarem, praesertim, quia opus erat, ut extra civitatem, ubi cura extenditur, retinere Capellanum. Hac de causa literae petitae suppressionis in forma brevis remissae fuerunt Archiepiscopo, qui non citato sodalitio detulit decretum suppressionis, ac unionis. Sodales appellarunt tum ob defectum citationis necessariae vi clausulae *veris existentibus*,

et narratis, ac ex natura actus suppressionis. S. C. querelas excepit, ac decrevit suppressionem, ac unionem non sustineri, sed esse locum redintegrationi Societatis: *Urbinaten. Suppress. Confrat.* 1. *Sept.* 1759.

4. Archiepiscopus Malvezzi in actu Sacrae Visitationis deliberavit justis ex causis animum suum moventibus omnimodam suppressionem Confraternitatis S. Catherinae Virginis, et Martyris, Castri S. Petri, pro qua confirmanda ac approbanda Breve edidit Clem. XIV. die 8. Maii 1773., etsi adversantibus sodalibus Breve vitio subreptionis, et obreptionis laborare comprobantibus; tamen S. C. constare de validitate suppressionis judicium tulit, itaut manutentio, seu redintegratio quoad omnia in pristinum statum danda non est: *Bononien. Aper. Oris, et Redint.* 19. *Febr.* 1780. *dub.* 2.

5. Ex duobus piis Sodalitiis, altero sub invocatione SS. Sacramenti altero S. Mariae Suffragii, quae sunt in oppido S. Elpidii ad Mare Firmanae Dioeceseos unicum componere perutile Archiepiscopo visum est. Quare unionis Bullam exaravit, qua edixit, ut Sodalitium S. Mariae Suffragii subjective, ut ajunt, perpetuo unitum alteri SS. Sacramenti haberetur, et esset. Hujus Bullae exequutioni refragati sunt Sodales Suffragii, deteguntque assertam paupertatem Societatis SS. Sacramenti minime existere. Sed Archiepiscopus ipse taxavit illud Sodalitium scut. 100. in favorem Hospitalis Civitatis Firmanae; item consensum numquam constat praestitisse. Et ad S. C. accedunt, ut justa desideria compleat, et revera S. C. illam unionem ratam non habuit: *Firmana* 10. *Decem.* 1785. *dub.* 1.

6. Suppressio Sodalitii S. Monicae erecti in demolienda Ecclesia S. Augustini nuncupati *della Voltre* in territorio Vallis Nucis permittitur, ac illius reditus uniendos esse aliis Sodalitiis erectis in Ecclesia Parochiali cum eisdem honoribus, et oneribus, statuitur. Nam nullus eidem adscriptus est Sodalis: *Brictinorien.* 24. *Novem.* 1792. *dub.* 2. *Confir.* 17. *Junii* 1797.

7. Sodalitium S. Mariae Misericordiae Callii non est supprimendum, sed opportunis Visitatorum legibus ad pristinam observantiam restituendum. Nam utilia ejusdem pia, et tot praeclara instituta erant vitio tempore delapsa et corrupta: *Callien. Subsid. Dot.* 28. *Novem.* 1795. *dub.* 5.

Solemnitates *Vide Professio Religiosa* §. *I.*

Solutio *Vide Emolumenta* §. *I. Pensio Ecclesiastica* §. *IV. Quarta Funeraria* §. *II.*

Spiritualis Cognatio *Vide Matrimonium* §. *X.*

Spolium Ecclesiasticum.

1. Capitulo Ecclesiae Metropolitanae postulante declarari, an distributiones qnotidianae pro personali praesentia praestita in Choro Canonicis debitae, et ante ipsorum obitum non exactae spolio subjaceant, utique subjacere S. C. consultum fuit: *Neapolitana Distribut.* 9. *Febr.* 1669.

2. Quum quaestio allata esset, num resolutio edita in dicta *Neapolitana Distributionum* 9. *Febr.* 1669. haberet locum, etiamsi reditus omnes in solis distributionibus consisterent? Responsum fuit affirmativum: *Camerinen. Spolii* 23. *Januar.* 1677.

3. Anno 1686. ad abrogandam consuetudinem exigendi ab haereditate singulorum Parochorum totius Dioecesis summam ducat. 100. tamquam subrogatam in locum Mulae, lecti, annuli et Breviarii, convenerunt Archiepiscopi, et Parochi, ut deinceps ab eorum coetu solverentur annui ducati 50. Sed S. C. postulatam hujus concordiae approbationem censuit negandam: *Compsa-*

na 1. *Martii* 1687.

4. In dubitationem adducitur, an bona mobilia pecunia, caeteraque praeter sacra paramenta, inventa tempore obitus Francisci Gori Episcopi Suessani prius Episcopi Catacensis apud ipsum, spectent ad Ecclesiam Catacensem vel Ecclesiam Suessanam?

5. An paramenta, et ornamenta sacra ad usum Capellae reperta ut supra debeantur Cathedrali Catacensi, vel Suessanae?

6. An aes alienum per Episcopum contractum pro expeditione Bullarum Ecclesiae Suessanae, et solutione pensionum ejusdem Ecclesiae debeat solvi ex bonis, quae spectant ad Ecclesiam Catacensem, vel de spectantibus ad Ecclesiam Suessanam? S. C. rescripsit, bona acquisita ex fructibus Ecclesiae Catacensis spectare ad eamdem; ad secundum servetur Bulla B. Pii V. Pont. Max. (163), ad tertium utantur jure suo: *Suessana seu Catacen. Spolii* 28. *Sept.* 1709. *dub.* 1. 2. *et* 3. *Confir.* 25. *Januar.* 1710.

7. Decreverat jam ante S. C. testamentum ab Episcopo Antonio Caraffa conditum, quo instituto haerede Capitulo turris sacrae constructio, nonnullorum Legatorum praestatio, et alia praecipiebantur, firmum non esse, nisi per modum designationis quoad praefatam turrem tantum. Modo decernit illius haereditaria bona omnia eroganda primo loco in reparationem Ecclesiae Cathedralis, et in constructionem Sacrarii, et turris sacrae et provisionem supellectilium necessariarum, et si quid superest secundo loco ad commodum Parochialium, ut Testatori arriserat: *Ugentina Spolii* 15. *Maii* 1717. *dub.* 2.

8. In dubitationem cadit, ad quem non omnia bona de Spolio Episcopi Terrer, qui Episcopo Caraffae suffectus fuit, et omnia illius bona a Capitulo, et Legatariis vindicavit, spectarent? praesto fuit responsum provisum in secundo, firma tamen remanente administratione, et exequutione penes Archiepiscopum Hydruntinum juxta instructionem (164): *Ibid. dub.* 3.

9. Archipresbyter Collegiatae Terlitii, et illius prima dignitas, quamvis in longaeva lite super territorio separato, et jurisdictione quasi Episcopali succubuerit, tamen Praelatus inferior reputatur. Quum Jo. Angelus Pantalaeus Archipresbyter condidisset testamentum, ac instituto haerede Capitulo Collegiatae Ducatos centum cum onere Missarum viginti annuatim legasset. Ob id idem Capitulum praetendens eum non potuisse de praedictis pecuniis disponere, et ad ejus Ecclesiam spectare, petiit haereditatem; S. C. decrevit onus Missarum firmum non esse: *Juvenacen. seu Nullius Terlicii Spolii* 24. *April.* 1717.

10. Res controversa et plena dissensionis est inter Capitulum, et Episcopum Minerbiensem, utrum constaret de implemento ex parte Capituli super spolio Episcopi Chenevi?

(163) Quae incipit *Romani Pontificis* 30. *Aug.* 1567. (*Bull. Rom. tom.* 4. *part.* 2 *pag.* 394.) In qua Summus Pontifex explicat §. 1. quod ornamenta, et paramenta, ac res Sacrae, et alia bona ad usum, et Cultum Divinum spectantia, non veniunt sub nomine spoliorum pertinentium ad Cameram Apostolicam, sed spectant ad Ecclesias, tempore obitus illas obtinentes. Et §. 11. legitur. „ Volumus autem, quod si aliquis ex Patriarchis, Episcopis, Abbatibus, seu Commendatariis, et aliis beneficiatis praefatis pluribus Ecclesiis, seu Monasteriis pro tempore simul vel successive praefuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, et paramenta, ac res, et bona praedicta ad illa omnia habita ratione fructuum, et temporis, quo eadem beneficia possedit, omnino pertineant, et proportionabiliter inter ea dividatur".

(164) *Vide not.* 98. *tom.* 3. *pag.* 118.

11. Et utrum vero constaret de adimplemento ex parte Episcopi, et quomodo sit providendum? et quaestionem S. C. ad Card. Praefectum cum facultatibus S. C. remisit: *Minerbien. Reddit. Rat.* 17. *Novem.* 1725. *dub.* 1. 3. *et* 4.

12. Ex antiquissima, et immemorabili consuetudine jus sibi exigendi ab haeredibus ex bonis Archipresbyterorum, et Parochorum decedentium cujuslibet suae Dioeceseos mula, lectum, anulum, et Breviarium, sive summam Ducat. 100. his subrogatam Archiepiscopus Compsanus praetendebat. Controvertitur hodie jus hoc conterminis ignotum, ac inusitatum Ecclesiis. Expenditur itaque num debeatur spolium hoc? non deberi S. C. sancivit: *Compsana Spolii* 6. *Julii* 1726. *dub.* 1.

13. Constitutione Innocentii XII. (165) cautum fuit, ut spolia Episcoporum Regni Neapolitani, quae in favorem Camerae Apostolicae antea adplicabantur, in favorem Cathedralium; et illis non indigentibus in favorem Parochialium adjicierentur. Sed quum nihil statutum ibi fuisset quoad casum Episcopi qui ab una Ecclesia ad aliam auctoritate Sanctae Sedis transiret; cujus nempe Ecclesiae commodo primae an secundae cedere deberent? decisum secundum ea quae exponebantur a S. C. fuit, mobilia, libros, aliaque bona, praeter sacra paramenta Simonis Viglini Episcopi Trivicani, et postea Tricaricensis reperta tempore ejus obitus, spectare ad Ecclesiam Trivicanam, non vero ad Ecclesiam Tricaricensem: *Trivicana seu Tricaricen.* 6. *Julii* 1726. *dub.* 1.

14. Paramenta etiam, et Vasa sacra, aliaque argenta, et supellectilia ad usum Capellae, et cultum Divinum destinata tempore ut supra ejus obitus reperta, non ad Ecclesiam Tricaricensem sed ad eamdem Ecclesiam Trivicanam pertinere S. eadem C. constabilivit: *Ibid. dub.* 2.

15. Nec non et argenta, et mobilia aliaque bona ab Ecclesia Trivicana commodata praefato Episcopo Viglino tunc Episcopo Trivicano, eidem Trivicanae Ecclesiae restitui debere sancitum inde fuit: *Ibid. dub.* 3.

16. Horum vero pretium, bonis illis non existentibus, ex haereditate Episcopi solvendum esse decisum postremo fuit: *Ibid. dub.* 4.

17. Benedictus XIII. undecim Canonicatus Ecclesiae Metropolitanae, Praebenda carentes suppressit, easque Massae Capitulari pro augenda Massa distributionum applicavit. At novissime sequuto obitu Canonicorum Caroli Bavra, et Hilarii Protospadaro, Curia Nuntiaturae Neapolis contendens, eam non fuisse mentem S. Pontificis, ut aliquod ex Brevi dictae suppressionis Apostolicae Camerae detrimentum inferretur, proindeque ad eamdem Cameram uti antea omnes fructus a dictis Canonicatibus suppressis obvenientes, et a Canonicis defunctis non exactos, et postmodum tempore vacationis percepturos jure spolii pertinere. Attamen in S. C. delata fuit quaestio, quae decrevit reditus illarum praebendarum unitos massae communi Capitulari non assumpsisse, et naturam fructuum retinere, sed illam quotidianarum distributionum: *Neapolitana Spolii* 27. *Julii* 1737.

18. Innocentius XII. in sua Constitutione (166) Episcopos et Praelatos Inferiores Regni Neapolitani, a spolio exemit ea lege, ut illud in beneficium Cathedralium, vel istis aliunde provisis, in utilitatem Parochialium in posterum erogetur; Constitutione S. Pii.

(165) *Vide not.* 36. *lit. F. Tom.* 4.

(166) *Vide not.* 36. *lit. F. tom.* 4.

V. (167) praeservata, quae ornamenta, paramenta, aliaque ad usum, et cultum divinum spectantia, Ecclesiis, quibus Episcopi praefuerint adplicari jubebat. Pontifex vero Benedictus XIII. in altera Constitutione (168) sanxerat, ut id quod in usus Fabricae, aliorumque operum piorum impensum non fuerit ex integro investiretur, et in reparationem Fabricae fructus erogarentur. Hac de causa Capitulum Cathedralis Ecclesiae Cajetanae defuncto ejus Antistite Jacobo Pinaque, duos selegit Capitulares, ut defuncti Episcopi bona venderentur, impenderenturque, et fieret inventarium. Successor Episcopus Lanfreschi Capitulares illos ab ulteriore redditionis ratione liberavit, statuitque, ut tercentum ducata in censum erogarentur ad anniversarium defuncto Episcopo die 5. Aprilis celebrandum, ut quaedam dein pecuniae summae ejusdem Episcopi familiaribus distribuerentur, et demum ut haereditatis illius reliquum in constructionem carcerum pro presbyteris impenderetur, et hanc mentem fuisse dixit Antecessoris. Capitulum translato ad Metropolitanam regendam Ecclesiam Matheranensem Episcopo Lanfreschi, hujus dispositiones impugnavit coram S. C. et palmam obtinuit: *Cajetana Spolii* 19. *Novem.* 1740. *dub.* 1.

19. Ac proinde ducatos 409. in capsa Capituli depositos praefatis duobus Capitularibus ab Episcopo etiam Lanfreschi ad invalidam dispositionem suam exequendam etiam electis, restituendos minime esse, neque in usus ab eodem destinatos implicandos, resolutum fuit: *Ibid. dub.* 2.

20. Capitulum Cathedralis Alexanensis ab Episcopo monitum fuit, ut rationem redderet bonorum omnium Vincentii de Marra sui in Episcopatu praedecessoris. Hoc opposuit fuisse jam ante Antistitis adventum omnia bona ab Œconomis illi restituta, et partim ab ipsomet Praesule inconsulto Capitulo, distracta, partim in proprios usus, vel Palatii Episcopalis commodum retenta. Hinc ad leniendas simultates inde obortas quaesitum fuit, an et a quo restituenda sint bona mobilia deficientia in spolio Episcopi Marra?

21. An applicatio dicti spolii facta ab Episcopo in favorem Fabricae sustineatur?

(167) *Vide not.* 163. *pag.* 368.

(168) Quae incipit *Sacrosancti Apostolatus* 11. *Julii* 1724. (*Bull. Rom. tom.* 11. *part.* 2. *pag.* 324.), qua Sum. Pontifex declaravit, Constitutionem Innocentianam de exemptione Praesulum Regni Neapolitani a spoliis Camerae Apostolicae debitis, et ampliavit, §. 3. pro Praesulibus extra residentiam decedentibus, necnon §. 5. voluit, ut ex spoliis fiant dotes applicandae dumtaxat Ecclesiarum Fabricae a Praesule cum Consilio Capituli, excepta Metropolitana Ecclesia Beneventana, quae dotem necessariam possidet. Idem confirmatur altera *Const. Romanum decet* 12. *Octob.* 1726. (*Bull. Rom. tom.* 12. *pag.* 152.) qua extenditur §. 3. praefata dispositio etiam quoad bona, de quibus Praesules per donationem, aut alium contractum inter vivos cum reservationibus illorum fructuum, usus, vel cujusvis alterius commoditatis ad sui vitam disposuerint. Denique Bened. XIV. *Const. Pastoralis sollicitudo* 28. *April.* 1756 (*Bull. ejusd. tom.* 4 *pag.* 181.) sancita confirmat additque §. 7., quod viventibus Praesulibus Canonici, Capitula, aliique, ad quos spoliorum applicandorum cura spectat, quidquam attentare non audeant. Et §. 8., *et seqq.* Ecclesiarum indemnitas Praesulibus aegrotantibus Vicario Generali demandatur, ut universas res in cubiculis concludat, et defuncto Praesule cura erit Vicarii Capitularis, et Canonicorum inventarium conficere; resque, quae facile corrumpi possunt, vendere, collectaque pecunia asservare; Notario claves aliarum rerum apud se custodiente. Et novi Praesulis Ecclesia provisa, juxta peritorum aestimationem venditio fiat, ac a Vicario Capitulari, aliisque a Capitulo deputatis ratio novo Praesuli reddatur.

22. Et an applicatio reliquorum mobilium bonorum ejusdem spolii in favorem Palatii Episcopalis sustineatur?

23. Nec non et an et quomodo sit providendum?

24. Et demum an, et a quo reddenda sit ratio de administratione, et alienatione bonorum mobilium dicti spolii, nec non reficienda sint praetensa damna? S. C. respondit ad Metropolitanum, qui nomine, et auctoritate S. C. citatis interesse habentibus procedat in omnibus etiam cum facultate concordandi, et arbitrandi prout sibi magis in Domino expedire videbitur: *Alexanen. Spolii* 23. *Junii* 1742. *dub.* 1. 2. 3. 4. *et* 5.

25. Modernum Episcopum Iuvenacensem Ecclesiae Cathedrali, quam haeredem ex asse scripserat Praedecessor Antistes Chyurlia, duc. 716. provenientia ex hujusmet spoliis, restituere mandatur: *Iuvenacen.* 12. *Januar.* 1743. *dub.* 2. *Confir.* 30. *Martii ejusdem anni.*

26. Ex relata controversia multae quaestiunculae ortae sunt, nempe utrum Episcopus idem teneatur restituere paramenta sacra per dictum Episcopum Chyurlia relicta praefatae Ecclesiae Cathedrali?

27. An idem teneatur dictae Ecclesiae Cathedrali reficere damna ei illata ob deteriora facta eorumdem paramenta?

28. An dictae Cathedrali mobilia provenientia ex spoliis praefati Episcopi Chyurliae, et pro consumptis damna reficere?

29. An restituere etiam teneatur duas vineas, et stabulum vulgo *Lamione* ex dictis item proveniens spoliis, una cum fructibus a supradicto Episcopo perceptis?

30. An duas mulas ad controversa spolia pertinentes restituere debeat?

31. An insuper teneatur restituere omnes pecunias dictorum spoliorum erogatas in Fabricis, seu Ædificiis?

32. An etiam ex dictis Fabricis, seu Ædificiis auferenda, et abolenda sint stemmata moderni Episcopi?

33. An dicti Moderni Episcopi stemmata abradenda, et delenda sint etiam a lampadibus, aliisque supellectilibus cum pecuniis dictorum spoliorum constructis?

34. An pecuniae, quas idem modernus Episcopus in constructionem altaris marmorei in Ecclesia Cathedrali existentis erogaverat, cedere debeant ad damnum erogantis, sive potius sustineatur annuus census scut. 24. impositus super bonis spoliorum Episcopi Chyurliae?

35. An consentanee dicti census annualitates elapsae ab anno 1739. usque et per totum annum 1741. ac ex pecuniis factorum spoliorum persolutae restituendae veniant?

36. An domus per saepe nominatum Episcopum ad usum scholae assignata, et altera per eumdem titulo eleemosynae Johanni Turturi tradita praedictae Cathedrali Ecclesiae, haeredi ab Episcopo Chyurlia nuncupatae restitui debeant?

37. An fructus, seu pensiones dictorum domorum hucusque elapsae per eumdem Episcopum solvendae pariter sint?

38. Demum an et a quo reddenda sit ratio administrationis dictorum spoliorum gestae de tempore sedis Episcopalis vacantis per saepefati Episcopi Chyurliae obitum; ad supra nominatum Metropolitanum, qui semper secundum jus debet procedere: singula S. C. ad Metropolitanum, ut juxta jus commune procedat, pro definitione commendavit: *Ibid. dub.* 2, *usque ad d.* 14.

39. Praememoratus modernus Episcopus exigendi quotannis a Capitulo ejusdem Ecclesiae Cathedralis duc. centum jus habere nequit: ut resolutum fuit. *Ibid. dub.* 16.

40. Habita est quaestio, an Idelphonsus del Tufo, qui Episcopatum Hieracensem dimisit, pro nunc condemnandus sit in favorem Capituli ad solutionem duc. 3461. ab eo debitorum ex causa reliquatus assis Spolii Episcopi Diez Antecessoris juxta relationem Episcopi Oppidensis Delegati Apostolici, sine tamen praejudicio aliorum jurium dicti Capituli pro ulteriori redditione rationis assis spolii praedicti? rescriptum fuit, dilata, et ad mentem (169): *Hieracen. Spolii* 27. *Martii* 1751. *dub.* 1. Proposita iterum causa responsum est, quoad pecunias depositas in Monasterio, negative: in reliquis dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem (170): 26. *Febr.* 1752. *dub.* 1. Tandem causa tertium cognita dictum exiit, negative: 1. *Martii* 1755. *confirmat.* 22. *Martii ejusd. anni.*

41. Quumque planum pariter non fuisset, an praeter summam ducat. 3461. debitorum ex causa reliquatus spolii Diez, juxta relationem Episcopi Oppidensis, condemnandus quoque sit supralaudatus Episcopus del Tufo olim Hieraciensis ad solutionem aliorum ducat. 1536. ab eo debitorum vigore schedulae exaratae die 15. April. 1730? responsum pariter fuit, ut protelaretur, et ad mentem (171): *Ibid. dub.* 2. et reproposita negativum exiit responsum. *Ibid.*

Reliqua *Vide Dispositio Testamentaria* §. *II. Donatio* §. *III.*

§. I.

Sponsalia ex quibus dissolvi, et an et quando contrahentes ad exequenda cogi possint.

1. Adducitur in dubitationem, an si fuerint sequutae promissiones, et data fides de contrahendo Matrimonium per verba de futuro possit cogi nolens contrahere ad contrahendum per verba de praesenti cum solemnitatibus Sacri Concilii, quum Jure Canonico videatur contrarium decisum, ex *Cap. requisivit de Sponsal. et Matrim.* (172)? S.C. rescripsit de cogendis contrahentibus ad observanda sponsalia nihil novi induxisse Trid. Concil.: *Hieracen.* 18. *Novem.* 1589. *dub.* 2.

2. Jodocus Bernardus ab Auffsess posteaquam per integrum triennium permanserat inter Alumnos Collegii Germanici Urbis, Patriam petiit, et tanquam Domiciliaris Canonicus Ecclesiae Bambergensi, atque Ecclesiae Cathedrali Hierbipolensi inservivit, et ordine subdiaconatus fuit insignitus. At supplex apparuit Catharina Lechnein vidua annorum 45. ajens dictum Jodocum ante Ordinis promotionem Matrimonium futurum fidem ei dedisse, et sub hac spe ex eo plorem genuisse, ideo praesidio S. C. nititur, quae sponsa-

(169) Mens autem fuit, ut scriberetur hodierno Hieracensi Antistiti, ut Sacram Congreg. certioraret, an usque adhuc intactum extet apud Moniales S. Annae depositum ducat. 2618.: *Ead. caus.* 18. *Decem.* 1751. §. 1.

(170) Data fuit Epistola ad Episcopum Hieracensem juxta mentem, quae fuit „ ut S. C. denuo redderet instructam circa argentea spectantia ad haereditatem bon. mem. Episcopi Diez, num scilicet Reverend. del Tufo restituerit Capitulo ipsamet argenta in haereditate reperta, seu potius alia aequivalentia ". *Ead. caus.* 1. *Martii* 1755. §. *data*.

(171) *Vide not.* 169. *praecedentem.*

(172) Ubi cautum est, ut quae juravit cum aliquo contrahere, moneri potius debet quam compelli, ut contrahat, quum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Hac Decretali non derogavit *cap. ex literis eod. tit.*, quo statuitur, virum sine rationabili causa resilientem a jurata promissione alicui nubendi, compellendum esse sub poena excommunicationis ad contrahendum matrimonium, ne contra juramentum veniat, quum in hac casus erat de viro, in prima de muliere, ut legenti patet.

lia dissoluta esse decretum fecit: *Bambergen. Spons.* 5. *Martii* 1701. *d.* 2.

3. Sponsalibus de futuro inter Felicianam de Martinis, et Johannem Dominicum Tognanum initis appositum fuit coram Parocho impedimentum publicae honestatis ratione sponsalium inter dictam Felicianam, et Joachim Tognanum germanum fratrem dicti Dominici; S. C. sub die 20. Sept. 1698. decrevit constare de asserto impedimento, ac cogi posse Felicianam ad contrahendum Matrimonium cum Joachim Tognano. Modo eadem Feliciana quaerit, num liceat recedere a sponsalibus cum Joachim contracti? S. C. rescripsit, ut liceat recedere a sponsalibus, non tamen esse sublatum impedimentum publicae honestatis: *Ripana Spons.* 7. *Maii* 1701.

4. Per tres sententias coactus fuit Mendus Rodriquez de Castelbranco ad contrahendum Matrimonium cum Maria Gonzalvez de Candeas, quam defloraverat cum praecedentibus sponsalibus verbo initis, ac postea scriptis firmatis, se opposuit minoribus, ac sacro subdiaconatus ordine fuisse insignitum ab Episcopo Fulsilibensi praeviis dimissorialibus proprii Ordinarii Portalegrensis. At comperto dictas dimissoriales fuisse falsas, Maria praedicta recursum habuit, num dissoluta sint sponsalia? S. C. sponsalia esse dissoluta, et ut Episcopus procedat contra mendum prout de jure mandavit: *Portalegren. Odinat. ac Spons.* 5. *April.* 1704.

5. Sub fide Matrimonii, asserens Judith de Pyro sibi pudicitiam eripuisse Nicolaum Cuccaro, se opposuit in Curia Archiepiscopali Neapolitana, ne iste cum alia muliere Matrimonium contraheret, et in S. C. dubium fuit ponderatum, au constet de sponsalibus, itaut licitum sit Nicolao Cuccaro Matrimonium contrahere cum muliere sibi benevisa? censuit praefigendum esse novum terminum duorum Mensium Judittae de Piro ad deducenda jura sua in S. C.: *Neapolitana Spons.* 31. *Maii* 1704. Deinde non probatis querelis Mulieris S. C. resolvit non constare de sponsalibus, ita ut licitum sit Nicolao Cuccaro Matrimonium contrahere cum muliere sibi benevisa 20. *Sept. ejusd. anni*.

6. Federicus Thomasius Elisabeth Lucianae tactu manuum, et annuli traditione intercedente eam in sponsam ducere promisit. Paulopost idem contendit Sponsalia hujusmodi ob defectum promissae dotis se nunquam celebrasse, ac propterea aliam in matrimonium ducere desiderio tenet. Casum S. C. expendit, ac primum de his sponsalibus constare decrevit, subjunxit inde Fridericum ad contrahendum cum Elisabeth Matrimonium esse cogendum: *Signina Spons.* 16. *Maii* 1705. *dub.* 2.

7. Antonius Levame loci Mentonis in duabus singraphis firmavit, juramentoque promisit non aliam sibi desponsare velle, quam Benedictam Genam. Sponsalia haec deinde impugnavit Antonius tanquam nullitate scatentia, et re ad S. C. relata, definitum est exhactenus deductis non constare de sponsalibus absolutis. Quaesivit modo num esset cogendus, vel possit potius ab his recedere contrahendo cum altera? et rescriptum habuit quoad coationem contrahendi cum Gena negative, an vero valeat contrahere cum alia dilata: *Ventimilien. Spons.* 1. *Junii* 1709. *dub.* 2. Deinde decisionem causae urgente Antonio prodiit posse cum alia muliere contrahere: 28. *Sept. ejusd. anni*.

8. Thomas Capycius Latro Notario cuidam mandatum procurae commisit pro Matrimonio sui nomine cum Johanna de Luna contrahendo, proque

Matrimonialibus capitulis efformandis. Capitula haec tam a sponso, quam a sponsa subscripta fuere, mandatum deinde procurae a Notario repoposcit Thomas, disciditque, ajens, velle Matrimonium per seipsum contrahere. Quaestione deinde super dote inter Thomam, et sponsae fratres facta incertum fuit, num de sponsalibus his constaret? de his utique constare resolutum jam ante fuit. Exquiritur modo, num Thomas Capycius esset ad contrahendum Matrimonium adjciendus? compellendum esse juris remediis arbitrio Card. Archiepiscopi declaratur: *Neapolitana Spons.* 4. *Febr.* 1713. *dub.* 2.

9. Posteaquam a S. C. *inter. Sum. prec.* 18. *Novem.* 1713. rescriptum emanaverat de validitate sponsalium inter Comitissam Mariam Magdalenam Ceuli, et Equitem Jo. Franciscum Ginorum, nec non injunxerat Archiepiscopo Pisano, ut procederet ad coactionem nomine S. C. juris remediis, etiam sub censuris, ac eam certioret. Modo haec controvertia in folio relata S. C. nullam cepit resolutionem: *Pisana Spons.* 7. *Julii* 1714.

10. Quum S. C. decreverit sponsalium validitatem, pro qua instabat Marchio Lodovicus de Baveriis, qui affirmabat mutuam fidem accepisse a nobili puella Barbara de Benedictis cum quadam schedula ab eadem subscripta, modo ignoratur, an sit locus coactioni? et an dicta Barbara possit Matrimonium contrahere cum alio viro, quatenus nolit exequi sponsalia, de quibus agitur? S. C. rescripsit dilata, et ad mentem (173): *Senogallien. Spons.* 12. *Maii* 1714. *dub.* 2. *et* 3. Deinde ad primum negativum, et secundum affirmativum responsum emanavit: 1. *Sep. ejusd. anni dub.* 1. *et* 2. (174).

11. Marchionissa Elisabeth de Bentivolis decimum octavum agens annum sponsalia per privatam apocam inscia matre iniit cum Marchione Aloysio de Albergatis, contractumque juramento firmavit data in simbolum obstrictae Matrimonii fidei arrham. Mutato deinde consilio Marchionissa sponsalia exequi renuebat, se esse inexpertam, et negotii nesciam praetextum adducens. Verum postquam de horum sponsalium validitate S. C. constare dijudicaverat, examen, an eadem Marchionissa esset ad contrahendum Matrimonium sub censuris cogenda? remissum fuit ad Card. Archiepiscopum met juxta mentem (175): *Bononien. Spons.* 4. *Julii* 1716. *dub.* 2.

12. Contractis sponsalibus a Rosa Bufalini cum Dominico Adriani, mulier ad avertendas populi offensiones ingressa est Monasterium, professionem emittendi voluntatem habens. Vir sese opposuit, et illa excepit fuisse malis artibus sponsalia inita. S.C. quaestionem explanavit, primum valida fuisse sponsalia decernens, deinde non esse servanda resolvens, quatenus emittat professionem: *Tudertina* 6. *Maii* 1719.

13. Validitate sponsalium, quae inierunt Dominicus Celentano, et Agnes Avossa constituta a S.C., contendit Dominicus non esse locum coactioni ex conditionis disparitate, ex inhonestate Agnetis, et ex inimiciis ortis ob

(173) „ Quae ejusmodi fuit, ut puella traduceretur ad monasterium in civitate Pisauri, ibique ejus voluntas ab Episcopo explicaretur “. *Ead. caus.* 1. *Sept.* 1714.

(174) Hanc suscepit causam Advocatus Dominicus Ursaya, qui sua jura edidit in *Discep. Eccl. XVIII. tom.* 1. *part.* 1. *per tot.*

(175) Inspecto consensu praestito a praedicto Marchione S. C. rescribendum censuit, quatenus ad declarationem dissolutionis praefatorum sponsalium procedere, ac exitum e Monasterio praedictae Marchionissae Bentivolae permittere non gravetur: *Regist. Lit. Lib.* 25. *die* 10. *Aug.* 1716.

suam in carcerem detrusionem; et quum jam deposuisset in Monte Pietatis ducat. bis mille pro donatione Agnetis, quamvis ipse sustineret se adstrictum minime esse stupri probationibus deficientibus, nihilominus ex ipso deposito, solitum ob sponsalia tradere se jactabat, perpenso itaque dubio, an esset locus coactioni, seu dotationi? S. C. respondit esse locum coactioni: *Neapolitana Spons.* 17. *Sept.* 1722. *d.* 2. (176).

14. Card. Mediolanensis Archiepiscopus S. C. exposuit, quod nonnulli illarum partium incolae contrahunt sponsalia, dilato matrimonio non solum per menses, sed etiam per plures annos; quodque ii postea lucri faciendi dulcedine capti ad longinguas proficiscuntur regiones, ut meliorem sortiantur fortunam, nonnisi post diuturnum tempus reversuri. Hinc concludebat, quod puellae sponsalium promissione adstrictae, periculo exponuntur incontinentiae; quod ex his jurgia, maledicta, contumeliae gignuntur, et quod Parochi ipsi opportunum de super re implorabant auxilium, ne detrimentum amplius ovium suarum animae paterentur. Precatur itaque S. C. ut haec noxia cuncta submoveas, et censuit publicandum esse a Card. Archiepiscopo edictum juxta instructionem (177) etiam auctoritate S. C: *Mediolanen.* 2. *Octobr.* 1723.

15. Julia Guidetta instantiam promovit in Curia Archiepiscopali Mediolanensi, ne facultas daretur Jo. Stephano Bicinetto contrahendi matrimonium cum alia foemina ob rationem, quod secum sponsalia contraxerat vigore ejus epistolae quam ipsa produxit, in qua Stephanus spondebat se nullam aliam praeter ipsam ducturum fuisse uxorem, et praeterea in eadem legebatur, *la prego a mantenersi stabile, e ferma nel concertato*, et quum Judex de utriusque consensu, et repromissione accedente etiam juramento suppletorio ipsius Juliae non dubitaret, et Stephanus nihilominus pro sua libertate contendebat causa inadimplementi conditionis consensus suorum consanguineorum, et Josephi Patris sponsalibus appositae: disquiritur hinc an esset dissoluta sponsalia? scribendum mandatur Card. Archiepiscopo juxta instructionem (178): *Mediolanen. Spons.* 14. *April.* 1725. deinde decrevit sponsalia esse dissoluta: 13. *Julii* 1725.

16. Expositum fuit S. C., Isaac Eeliot haereticum Protestantem non matrimonium, sed sponsalia contraxisse cum quadam muliere Elisabetha Vanis Catholica, cum qua etiam filium

(176) In favorem mulieris causam hanc suscepit Advocatus Dominicus Ursaya, rationesque exhibuit *Discep. Eccl.* 6. *tom.* 5. *part.* 2. *per tot.*

(177) Ad removenda populi offensiones S. C. in sensu, quod Episcopus tam auctoritate sua ordinaria, quam delegata ejusdem S. C. in praedictis suae Dioecesis locis Edictum publicari, et affigi, ac per Parochos inter Missarum solemnia notificari facere dignetur, quo statuatur, quod recedente sponso a loco, nec intra sex mensium spatium redeunte, liberum esse debeat sponsae contrahere matrimonium de praesenti cum alio viro, nisi forte sponsa licentiam dedisset, de qua in authentica forma constare debeat, ut sponsus longiori tempore abesse valeat; tunc enim totum tempus a sponsa concessum expectandum erit, et eo elapso si sponsus extra locum moram trahet, liberum quoque esse debebit sponsae in hoc casu matrimonium de praesenti cum alio viro contrahere. *Regist. Lit. Lib.* 26. *die* 2. *Octob.* 1723.

(178) ,, Quae fuit, ut idem Card. ad se vocare faceret genitorem Johannis Stephani Bicinetti, eumque interrogaret de causa, propter quam renuit praestare consensum, ut executioni mandentur sponsalia inita inter ejus filium, et Juliam Guidettam". *Ead. caus.* 13. *Julii* 1725. §. 1.

procreavit; et hac causa emersit controversia, an quatenus nulla, vel illicita sint sponsalia Isaac, postquam Catholicam fidem amplexus est, compelli possit ad eorum implementum, et quatenus affirmative.

17. An juste possit ab eorum implemento excusari, et juste instare pro eorum dissolutione propter superveniens ebrietatis vitium in Elisabetha? rescribitur ad D. Secretarium juxta mentem: *Dubia Spons.* 17. *Novem.* 1725. *dub.* 2. *et* 3.

18. Quum S. C. stetisset pro validitate sponsalium initorum inter Salvatorem Calce, et Beatricem Fortunatam urgente adhuc Beatrice saltem pro ipsorum resolutione, tum quia Salvator esset aere alieno gravatus, quae circumstantia prius ignorabatur, tum quia subortae essent dissentiones inter suos consanguineos, et eumdem Salvatorem, et ipsa demum protestaretur non posse nec velle cum eo contrahere Matrimonium, ex quo animae suae periculum timeret. S. C. planum fuit licitum esse Beatrici ab initis sponsalibus resilire: *Salernitana Spons.* 13. *Julii* 1725. *dub.* 2.

19. Explorata validitate de sponsalibus copulatis inter Dominicum Jannonum, et Theresiam Visconti disputatum fuit, an esset cogendum Dominicum ad illorum implementum, tam propter magnam disparitatem natalium, et divitiarum, quam propter indignationem parentum et Consanguineorum, et demum propter mala, quae inde sequi poterant, si hoc Matrimonium contraheretur, S. C. rescripsit dilata, et ad mentem: *Bituntina Spons.* 18. *Maii* 1726. *dub.* 2.

20. Venantius Mazillus ad sponsam accessit Anastasiam, ut arrham sponsalium coram patre suo initorum ei traderet, et stultitia eam invenit laborantem. Matrimonium cum alia Muliere hic contrahere cupiens, anceps fuit, num de praefatis constaret sponsalibus? validitas horum a S. C. fuit declarata. Examinari inde voluit, num esset etiam coactioni locus? causa protelata fuit, et jussum, ut scriberetur juxta instructionem (179): *Civitatis Ducalis* 5. *Julii* 1727. *dub.* 2. Retulit Episcopus Anastasiam mentis sanitatem non adhuc recuperasse, fatuamque imo ex primaeva infirmitate remansisse. Ideo S. C. resolvit coactioni haudquam esse locum, et Venantium esse a censuris absolvendum: 14. *Maii* 1729.

21. Angela Maria Viola sponsalia per verba de futuro contraxit cum Josepho Francisco Gilierano, et dotis nomine illi tradidit duc. 300. Postmodum sponsalium dissolutionem curavit Angela Maria, ex quo a Josepho Francisco praedicta summa dilapidata fuerat; nomine ejusdem Josephi Francisci oblata fuit Angelae Mariae restitutio ducat. 300., et plenissimum illa praestitit consensum. Compertum fuit etiam Josephum nec natalibus, nec fortunae bonis ita praeditum fuisse, ut antea sponsalia asseruerat, ipsum inhonestam vitam ducere, ac morbo gallico laborare. Vicarius Generalis pro dissolutione sponsalium pronunciaverat. Institit tamen Josephus in S. C., et responsum fuit non esse locum coaetioni pro exequutione sponsalium: *Neapolitana* 17. *April.* 1728. *d.* 1.

22. Et Angelam Mariam Viola contra-

(179) Instructio fuit, ut Episcopus Reatinus S. C. instructam redderet super praesenti vero statu dictae Anastasiae, et quatenus sanitatem mentis recuperaverit, an haec mentis recuperatio futura sit firma, juxta probabilem hominum opinionem: *in Thesaur. tom.* 4. *pag.* 296.

here posse nova sponsalia cum alio viro sibi beneviso statutum est: *Ibid. d.* 2.

23. Constare de validitate sponsalium, quae inita fuerunt inter Januarium Pisanum, et Eleonoram Sorianam S. C. censuit. Inde Januarius contradixit sponsalia exequutioni mandari, quia ejus pater illum de domo expulerat, et haereditate privaturum minatus fuerat, eo quod inter ipsum, et Eleonorae consanguineos inimicitiae factae fuerant, et ex dedecore propriae familiae irrogando ex eo Matrimonio, necnon ex divitiarum disparitate, Eleonora vero praedictas causas excludere studuit: S. C. sponsum esse cogendum censuris ad contrahendum Matrimonium putavit: *Neapolitana Spons.* 31. *Julii* 1728. *dub.* 2.

24. Condemnatus fuerat Dominicus Antonius Falconerius in Episcopali curia Lyciensi ad dotandam, vel uxorem ducendam Annam Theresiam Procacciam, quae illum in stupro in se admisso postulaverat; et quum eadem Anna contenderet inita fuisse inter se, et Dominicum sponsalia appellatione interposita ad Metropolitanum Hydruntinum sententiam obtinuit, Dominicum omnino ducere in matrimonium mulierem debere, aliter in carcerem detineretur. Dominicus e contra negat stuprum, negat sponsalia. S. C. super hac re decrevit devinci Falconerium ad contrahendum Matrimonium, et interim detinendum esse in carceribus, et ad mentem: *Lycien. Spons.* 12. *Martii* 1729. Deinde Falconerius constans est in non contrahendo Matrimonium, S. C. rescripsit, ut scribatur Episcopo, qui constituat Annae Mariae dotem congruam juxta qualitatem personarum, et circumstantias facti, qua constituta certioret, et interim Falconerius retineatur in carceribus: 14. *Januar.* 1730. Denique quum idem Falconerius neget constanter in hoc matrimonium se unquam esse assensurum S. C. prodiit rescriptum, ut scribatur Episcopo, qui mandet faciendam per Falconerium solutionem in casu recusationis, depositum et faciat dotis ab eodem Episcopo taxatae ad dispositionem Annae Theresiae, quo facto dimitti mandet dictum Falconerium e carcere, et eum liberum declaret ad contrahendum: 17. *Novem.* 1731.

25. Certum comprobat Anna Maria de Moras sponsalia contraxisse cum Jacobo de Blamencron; quamvis hic sponsalia facta fuisse sub conditione quatenus ipse quoddam officium Consiliarii obtineret, responderet. Res examinanda venit apud S. C., quae de nullitate sponsalium sententia prolata, coactionem postulatam denegavit. *Wormatien. Spons.* 21. *April.* 1731. *confir.* 28. *Julii ejusd. anni.*

26. De sponsalibus, quae cum Jo. Gertrude de Leunnep Vidua contraxit Andreas de Wiendenfelt Consul Coloniensis, constare S. C. definivit. Mox vero Andream moram nectentem, contumacemque, et matrimonium tantum occulte cum ea contrahere volentem, itaut solus habitare vellet, ad ea adimplenda S. C. cogendum esse sancivit: *Colonien. Spons.* 26. *April.* 1732. *d.* 2.

27. Tempore quo Hieronymus Prignanus matrimonium contrahere deliberaverat, adiit Curiam Archiepiscopalem Catharina Curcia imparis conditionis puella, opponens impedimentum sponsalium, quae jam secum Hieronymus inierat. At fuisse mutuo consensu soluta hic respondit. Oraculum proinde S. C. postulatum est. Haec protelando responsionem jussit, ut coadjuventur probationes, recognoscantur Epistolae, et examinentur formaliter testes, necnon scribatur Archiepiscopo pro transmissione Instrumenti assertae rescissionis sponsalium, et pro meliori informatione circa conditionem Catha-

rinae: *Theatina Spon.* 27. *Sept.* 1732.

28. Sponsalibus inter Lucretiam Manieram, et Cajetanum Roccium initis contradictorem se praebuit Franciscus de Acugna, propterea quod puella ipsi Francisco prius de scripto desponsata fuerat, licet non interposita jusjurandi religione. Lucretia tamen asseruit sibi licere a fide Francisco data discedere, eo quod se subscripserat singraphae sponsaliorum clanculum, ignarisque omnibus suis propinquis, a quibus re comperta acerrimam contradictionem pertulerat, tum quod eadem nesciverit Franciscum antea sibi conjugem petiisse aliam puellam, eique suam obligasse fidem; tum demum quod Franciscus convicia, et calumnias in ipsam Lucretiam evomuerat. Et cum Episcopus ejus voluntatem flectere saepius, sed tamen inutiliter semper tentaverit, licet eamdem sub arcta custodia in Matrimonium detruserit, et anathematis etiam poenam intentaverit. S. C. permisit eidem matrimonium contrahere cum quo maluerit: *Gallipolitana Spons.* 28. *Febr.* 1733.

29. Posteaquam sponsalia ab Antonio Guicciardini secundas nuptias cum Elisabeth Liberti inire cupiente coram Archipresbytero Parochialis Ecclesiae S. Blasii terrae Centi sine juramento contracta, altero controhendo matrimonio obstare S. C. rescripserat; responsum etiam dedit Antonium ad contrahendum matrimonium juris etiam remediis esse cogendum, licet exposuisset repugnantiam Germani fratris, ac suorum filiorum primi talami: *Bononien. Spons.* 26. *Martii* 1735. *d.* 2.

30. Jo. Baptista Pepe quum despondisset Cintiae Livorano, exurrexit Portia Pepe affirmans sibi prius suam fidem obligasse, uti patet ex testimonio mulierum, quae audierunt illos ita loquentes *Tu mi sei moglie; diamoci la Fede; questa voglio per moglie*. At dictae mulieres compertae fuerunt sanguine Portiae conjunctae, et eorum testimonia discrepantia; hinc S. C. petitam a Portia coactionem una cum assertis sponsalibus reprobavit: *Nucerina Paganorum Spon.* 14. *Janaur.* 1736.

31. Sponsalibus inter Galeatium de Rubeis, et Mariam Antoniam Caroli initis obicem praestabat Maria Genovefa Sandri, quae duas singraphas testium fide dignorum praesentia roboratas, et utriusque de matrimonio contrahendo consensum exprimentes exhibebat, Galeatius fidem suam cum praefata Maria Antonia exonerare exoptans; sed responsum tulit constare de impedimento sponsalium suorum cum Maria Genovefa Sandri. Alterum inde responsum habuit, se esse juris remediis cogendum: *Faventina Spons.* 1. *Junii* 1737. *dub.* 2.

32. Fidem, quam privatim septem epistolis virgo Laura Montania spoponderat Francisco Gabuccinio, et quam postea ratihabuerat nuptialibus confectis tabulis in Monasterio S. Christinae Senogllaiae, in quo detinebatur, explorata prius auctorante Pontifice ejus voluntate ab Episcopo, mutato postea consilio frustrare studuit sub praetextu, quod apoca subscripta esset in minorili aetate absque consensu matris ejus tutricis, et curatricis, et ignorantibus consanguineis, et quod incaute importunis familiaribus suasionibus, et blanditiis circumventa fuerit. Verum quum Franciscus probasset locum nullum esse potuisse circumventioni in Laura ob ejus solertiam, et sagacitatem, qua ipsae Epistolae conscriptae erant, S. C. quoad Laurae coactionem, decreta validitate sponsalium ad mentem (180) rescripsit: *Fanen. seu Pi-*

(180) Mens fuit, ut serio moneatur Comitissa Laura de sua obligatione servandi E-

sauren. Spons. 14. *Decem.* 1743.

33. De sponsalibus conflatis a Nobili puella M. Laura Bonarelli cum duobus viris scilicet cum Johanne Baptista Amatorio, et Gentili Peccio S. C. consulta constare de illis cum Amatorio resolvit,sed modo postulans mulier, ut libera declararetur, putans viros tantum non foeminas esse cogendas, S. C. rescripsit, eum esse monendum, et in casu de quo agitur non esse locum coactioni, et ad mentem: *Anconitana Spons.* 30. *Martii* 1748.

34. Licet S. C. censuerit sponsalia inita inter Raynaldum Egidium, et Annam Battazzi validam fuisse, tamen locum esse decrevit illorum rescissioni. Nam vir acceptis scut. 1000. in computum dotis, his abusus fuit conversus in amores inhonestos, qua de causa Episcopus ex Civitate expellere coactus fuit. Ideo mulier aversum animum a nuptiis sese praebuit: *Assisien. Spons.* 14. *Junii* 1749. *dub.* 2.

35. Mater puellae Clarae Magni, et Josephi Armellini mater pro filiis nuptiales tabulas confecerunt, inscia prorsus Clara, quae statim ac id comperiit, sponsalibus contradixit, ac sententiam super rescissione a Vicario Generali consecuta est. Hac de causa vir ad S. C. convolavit, quae etiam ejusdem paupertate maxima cognita non esse exequenda sponsalia statuit: *Pisauren. Spon.* 20. *Junii* 1750.

36. Contractis sponsalibus inter puellam Franciscam filiam Francisci e Villa Belfiore, et Hieronymo Delio Fratres, ceterique consanguinei Hieronymi ob ignobilem puellae conditionem ad ea exequenda omni conatu restiterunt. At S. C. decidendo in favorem validitatis sponsalium, insuper nuptias esse exequendas pronunciavit: *Fulginaten. Matrim.* 28. *Aug.* 1751. *d.* 2.

37. Eneas Merliti Aprutio natus Anconam appulit, ubi hortante, et auctorante Vicario Generali illius Civitatis, cui Eneas suam nobilitatem, opes, mentisque propositum tranferendi lares Anconam, ibique insignem instruendi negotiationem fraudolenter jactaverat; Petrus Antonius Didi Jurisconsultus Pisaurensis filiam suam ei nuptui tradere spopendit. Sed quum haec sponsalia filia Petri Antonii ratihabuerit sub expressa conditione, quatenus ea, quae Eneas narrabat, et promittebat, vera essent; conditione non purificata, S. C. praetensis sponsalibus exequtionem denegavit: *Pisauren. Spons.* 21. *Julii* 1753.

38. Ludovica Alaleona contraxit sponsalia cum Johanne Baptista Corvi promissione dotis adjecta scut. 1700., et pater puellae persolvit in partem dotis scut. 875., inde cognita fuit paupertas familiae Corvi habentis patrimonium scut. 2774. Actum proinde fuit de sponsalium rescissione in C. S., et S. C. non esse exequenda dicta sponsalia resolvit: *Maceraten. seu Asculana Spons.* 28. *Aug.* 1773. *dub.* 1.

39. Dominicus Maruscelli, et Camilla Corona Merli sponsalia per verba de futuro coram proprio Parocho, et duobus testibus inierunt. Quum Paulo post Camilla sponsalium dissolutioni assensum praebuisset, matrimonium coram proprio Parocho S. Susannae de Urbe celebravit cum Aloysio Polidori Viterbiensi. In dubium hinc venit, utrum prima sponsalia abrogari potuerint, vel potius habenda essent pro vero matrimonio? S. autem C. de matrimonio non constare rescripsit: *Viterbien. Matrim.* 23. *Novem.* 1776. *Confir.* 11. *Januar.* 1777.

quiti Gabuccino fidem datam in Apoca jurejurando vallata, sed si adhuc renuat minime cogatur „ *Regist. Lit. Lib.* 29. *die* 14. *Decem.* 1743.

40. Vera et legitima illa esse sponsalia S. C. dixit, quae inter Jacobum Antonium Camani, et Felicem Modini per praesentis Matrimonii verba intercesserunt. Inde eadem S.C. dijudicat coactioni esse locum arbitrio Episcopi. *Romana, seu Comen. Spons.* 24. *Novem.* 1781. *confir.* 16. *Martii* 1782. *d.* 2. addita tamen clausula ad mentem.

41. Sponsalia inierunt Jo. Baptista Casali, et Maria Zavatti privata confecta apocha juramento firmata, in qua etiam de dote illi convenerunt. Sed quum haec sponsalia ad aures pervenissent Elisabethae Corbici, quae Mater et curatrix erat Jo. Baptistae, graviter haec ita est indignata, ut Johannes poenitentia ductus sponsalia implere recusaret. Constitit etiam, quod Elisabeth Corbici parata erat filium exhaeredare, si dictas nuptias contraheret, et explorata etiam erat utriusque conjugis disparitas. S. C. in hac occasione consulta, hujusmodi sponsalium exequutionem denegavit, et nullum coactioni esse locum apertum reddit, addita tamen clausula ad mentem (181): *Forolivien. Spons.* 29. *Novem.* 1783. *dub.* 1. *et* 2.

42. Nobilis Virgo Marianna Borgongelli Urbinatensis Apocham sponsalium subscripsit cum Pio Mazzanti Feretrano suadente, ac impellente Laurentio Borgongelli sponsae fratre, at post paucos dies poenituit sponsam inconsultae subscriptionis, nec valuerunt suasiones, ac minae; denique causas aperuit mulier cur e sponsalibus resilire exoptabat, ob generis nempe disparitatem, ac imparem omnino sponsi censum, qui ad scut. 1000. quoad caput, et sortem efferebatur, quorum fructus in quinque erant personas dispertiendi, ac ob alterius fratris, ac consanguineorum dissensum. S.C. ad quam res relata fuit, non esse locum exequutioni, sed potius recessum a sponsalibus decrevit: *Urbinaten. Diss. Spons.* 8. *April.* 1786.

§. II.

Sponsalia quoad Validitatem, vel Nullitatem.

1. Sponsalia de futuro aliter quam praesente Parocho inita, suum antiquum robur, quod ante Concil. Trid. habuerunt, obtinere deciditur. *Dubium anni* 1574. *dub.* 5.

2. Comitissa Anna Maria Rosa de Pepulis promissa a suo germano fratre Marchioni Petro Georgio Lampugnano cum lacrymis, et gemitibus ad solemnem capitulorum subscriptionem devenit per haec verba, *Io Anna Maria Rosa Pepoli aderisco, e mi rassegno a quanto ha disposto di me il Sig. mio Fratello conforme quì sopra*, et paulo post ne ipsa ad has nuptias exequendas compelletur, ad Monasterium Cappucinarum se contulit, et obsistente fratre quod sponsalia Soror saltem rati habuerat, Comitissa sub juramenti vinculo in positionibus ea omnia peregisse ob vim, et metum Fratris obfirmavit: Re a S. C. cognita, S. C. de Sponsalibus non constare decretum prodiit: *Bononien. seu Parmen. Spons.* 25. *Sept.* 1700. Deinde deposuit S. C. susceptam sententiam, et constare de sponsalibus resolvit, et in reliquis ad Card. Archiepiscopum (182) 15. *Jannar* 1701.

3. Jodocus Bernardus ab Auffsess po-

(181) „ Et mens est, ut solvantur per Johannem Baptistam scuta tercentum „ *Ead. Caus.* 29. *Novem.* 1783.

(182) „ Fuit enim Archiepiscopo injunctum ut moneret sponsam ad implendam fidem, quod si post monitiones, suasiones, et diligentias, ea adhuc renueret, ad rigorosam, et exactissimam coactionem non deveniret, juxta Sanctionem Lucii III. *in cap. requisivit de Spons.* et doctrinam Sanchez. *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 29. *num.* 7. „ quod refert Pitoni *Discept. Eccl. XXXI. num.* 126. *part.* 1. *pag.* 240. *Edit. Venet. an.* 1733. quae tota versatur super dicta Causa.

steaquam per integrum triennium permanserat inter alumnos Collegii Germanici Urbis, rediit ad patriam, ut inserviret tanquam Canonicus Domicellaris Ecclesiae Bambergensis, et Cathedrali Hierbipolensi, ubi fuit Subdiaconatus ordine insignitus; at supplex apparuit Catharina Lechnerin vidua annorum 45., exponens dictum Jodocum ante Subdiaconatus susceptionem promisisse Matrimonium, cumqua ipse ex eo prolem genuisse. Dubium hinc in disquisitionem venit de Sponsalium validitate apud S. C., ut sua consilia ostendat, et Sponsalia dissoluta esse judicium judicavit: *Bambergen. Spons.* 5. *Martii* 1701. *dub.* 2.

4. Postquam Cajetanus de Pyro pater, et Judith filia in magna Curia Vicariae querimoniam habuerant contra Nicolaum Cuccaro, quod ejusdem Judith virginitatem sub giurata promissione Matrimonii violasse dicebatur, curarunt, ne idem Nicolaus contraheret clam, et secreto cum alia muliere conjugium, et necesse fuit, ut S. C. perspicuum redderet, an constaret de eisdem sponsalibus; ita ut licitum sit Nicolao contrahere Matrimonium cum Muliere sibi benevisa? primum rescripsit praefiniendum esse novum terminum duorum mensium Judittae de Pyro ad deducenda jura sua in S. C. *Neapolitana Spons.* 31. *Maii* 1704. Et minime probatis querelis S. C. inde decrevit non constare de Sponsalibus, ita ut licitum sit Nicolao Cuccaro Matrimonium contrahere cum muliere sibi benevisa: 20. *Sept. ejusd. anni.*

5. Testantibus Canonico Luciano, Agata Sorore, ac duobus Religiosis Fridericum Thomasium e tactu manuum ac traditione anuli promisisse per verba de praesenti ducere in matrimonium Elisabetham Lucianam; attamen idem Thomasius postea cum alia contrahere connubium tentavit, quum nullam fidem dedisse Elisabethae ob defectum promissae dotis assereret. Judicium S. C. vero rem composuit, dum constare de validitate Sponsalium definivit: *Sigmina Spons.* 16. *Maii* 1705. *dub.* 1.

6. Post contracta sponsalia inter Cataldum Restam, et Antoniam Alonzy Dobro adhuc impuberem, pro ea tamen parentibus, et fratre promittentibus, inde fuerunt confecta Capitula matrimonialia, ac bona nonnulla viro ratione dotis spoponderunt parentes, ac patruus sponsi pinguem eidem donationem constituit. Deinde tempus praefixum fuit ad contrahendum matrimonium per verba de praesenti, quo tempore dictus sponsus cognovit praefatam Antoniam non adhuc attingere pubertatem, et ineptam nuptiis tunc de praesenti celebrandis esse, deceptum se putavit, ac matrimonium promissum noluit contrahere. S. C. consulta eum stare promissis tenere decrevit: *Tarentina Spons.* 3. *Oct.* 1705.

7. Agitur in S. C. de validitate matrimonii contracti nullis praevis denunciationibus, ac nulla petita licentia, ab Alexandro Muscato, et Hieronyma Maurella in secundo, et tertio consanguinitatis gradu sibi conjunctis summo mane coram Parocho, coram quo praesetulerant verba mutui consensus; etiamsi postea exhibuerint dispensationem Apostolicam praeventive obtentam, ubi dispensati sunt Oratores ab impedimento, nec non ab incestu patrato, quia exposuerant inter cetera contraxisse matrimonium clandestine per verba de praesenti, et postea de facto, attamen S. C. nullitatem matrimonii patefecit, inde interrogata de sponsalibus, pariter de his non constare respondit: *Salernitana Matrim.* 3. *Martii* 1708. *dub.* 2. *Confir.* 17. *Novem. ejusd. anni dub.* 1. (183)

(183) *Vide not.* 66. *tom.* 3. *pag.* 95.

8. Vincentius Scivoli, et Magdalena Scivoli de Parochia Baraxii ad invicem conjuncti duplici quarto consanguinitatis gradu contraxerunt sponsalia de futuro coram testibus ea sub conditione, quod sponsus deberet Apostolicam dispensationem obtinere, et post aliquod temporis spatium Vincentius se penituit, et ante S. C. res examinata instante praetensa sponsa pro validitate, S. C. perspicue nulla esse sponsalia declaravit: *Brugnaten. Spons.* 26. *Januar.* 1709.

9. Antonius Levame loci Mentonis binas sponsalium singraphas exaravit de anno 1697. erga Benedictam Genam ab utroque subscriptas: alteram sub die 9. Novem., alteram vero sub die 12. ejusdem mensis juramento firmatam obsignavit, et in his duabus non aliam sibi desponsare velle quam Geram asseruit. Sed cum postmodum Antonius istorum sponsalium validitatem impugnaret, S. C. rescripsit, ex hactenus deductis non constare de sponsalibus absolutis: *Ventimilien. Spons.* 1. *Junii* 1709. *dub.* 1. *Confir.* 3. *Aug. ejusd. anni*.

10. Initis sponsalibus inter Thomam Trenta, et Angelam Traseam de loco Luniani insurrexit ex adverso Caecilia de Leone Civitatis Ameriae, exposuitque illum cum ea contraxisse sponsalia praecedentia, in cujus favorem Curie Episcopalis resolvit, ac S. C. requisita tum super validitate eorumdem, et quatenus constaret super impedimento contrahendi cum alia, rescripsit dilata, et coadjuventur probationes, et examinentur testes formaliter: *Amerina Spons.* 27. *Junii* 1711.

11. Thomas Capycius Latro nobilis Neapolitanus commisit mandatum procurae cuidam Notaro pro matrimonio sui nomine contrahendo cum Johanna de Luna, inde exarata capitula matrimonialia cum eadem Johanna, ac Thoma fuerunt subscripta. Postmodum a Notario repoposcit mandatum illud procurae, ac in frusta discindit, ajens velle matrimonium per seipsum contrahere. Qua de causa instantibus fratribus sponsae carceribus fuit ille emancipatus, et S. C. appellavit, quae validitatem sponsalium egregie stabilivit: *Neapolitana Spons.* 4. *Febr.* 1713. *d.* 1.

12. Quum Johannes Guasparinus ac Maria Herculis sponsalia, quae quatuordecim ab hinc annis inisse valide constituunt, matrimonio jam complere pararentur, insurrexit Elisabeth Togna contendens sibi jamdictum virum obstrictum esse sub reciproca conjugii promissione exarata de anno 1709. Ad S. C. proinde se convertit, quae constare de prioribus sponsalibus cum Elisabetha decrevit: *Lucana Spons.* 17. *Maii* 1713.

13. Quum Maria Martinez praetenderit contraxisse sponsalia cum Alexio Giannetasio, tum ex apoca ab ejus avunculo et a patre dicti Giannetasii subscripta, et ratihabita a dicto Alexio cum acceptilatione scut. 50. dotis promissae, S. C. interrogata de eorumdem validitate, et quatenus affirmative; an sit locus coactioni instante Alexio pro nullitate rescripsit dilata, et transportentur acta Curiae Tranensis per Annam Mariam praefixo termino trium mensium, quo elapso proponatur causa etiam unica: *Salernitana Spons.* 28. *Martii* 1716. *dub.* 1. *et* 2.

14. Coram S. C. sistit Adriana de Fusco, ejusque praesidium implorans, ut Franciscus Paullus Brencola ad effectum perducere cogeretur sponsalia, quae mutuo consensu inierunt, confirmaruntque traditione annuli aurei. Sed insurgit Franciscus, exposita inficiatur, qui non dissentiebat sub anno 1695. matrimonium contrahere cum Adriana, dummodo dos constitueretur ducat. 4000., proindeque foedus sponsa-

lium pacisci noluit. Quaestionem S. C. explicavit, respondens inter eosdem de sponsalibus non constare: *Bituntina Spons.* 28. *April.* 1714. *dub.* 1.

15. Marchio Ludovicus de Baveriis praetensionem excitavit, quod nobilis puella Barbara de Benedictis secum connubium iniret causa obligationis sponsalium contractae mutua fide propter schedulam quamdam subscriptam a dicta Barbara, de qua protestatus est genitor puellae minans privationem successionis filiae. At defuncto Marchio intrat in S. C. pro executione, et S. C. sponsalium validitas ambigua non fuit: *Senogallien. Spons.* 12. *Maii* 1714. *dub.* 1. (184).

16. Posteaquam a S. C. *inter Sum. prec.* 18. *Novem.* 1713. rescriptum emanaverit constare de sponsalibus inter Comitissam Mariam Magdalenam Ceuli, et Equitem Jo. Franciscum Ginorum; ita ut Archiepiscopus Pisanus procedat ad coactionem nomine S. C. juris remediis etiam sub censuris, ac eam certioret. Modo haec controversia in folio relata S. C. nullam cepit resolutionem: *Pisana Spons.* 7. *Julii* 1714.

17. Marchionissa Elisabeth de Bentivolis defuncti Constantii unica filia annum agens decimum octavum sponsalia per privatam apocam, et inscia matre iniit cum Marchione Aloysio de Albergatis, recepto annulo pro Arrha obstrictae matrimonii fidei. Verum mutato consilio renuit illa exequi allegata ratione inexpertam scripturam subscripsisse. At S. C. ad quam res fuit relata constare de legitimis sponsalibus inter eosdem sancivit: *Bononien. Spons.* 4. *Julii* 1716. *dub.* 1.

18. Quamvis Maria Johanna Fornari oppidi S. Romuli contraxisse sponsalia cum Bartholomaeo Alavenna obfirmaverit, quia recepit pro arrha simbolum promissionis anulum ab ipso, non liquet validitas sponsalium inter eosdem (ita S. C. sancivit), etiam si adsit publica vox et fama sponsalium non tantum sed etiam copulae ac partus: *Ventimilien. Spons.* 11. *Sept.* 1717. *confir.* 11. *Decem. ejusd. anni.*

19. Rosa Bufalini contraxit sponsalia cum Dominico Adriani et ad avertenda populi offensiones ingressa inde Monasterium praevia necessaria voluntatis exploratione professionem emittere cum vellet, se se opposuit Dominicus Adriani, et pro sponsalium validitate, et implemento institit coram S. C. Rosa autem Bufalini contendebat sponsalia ab initio fuisse invalida, quia inita mali artibus accedentibus, importunisque precibus, et machinationibus sui Confessarii. Ideo ponderato dubio an constet de validitate sponsalium? S. C. respondit sponsalia esse valida: *Tudertina* 6. *Maii* 1719.

20. Johannes Bramacius nullitatem sponsalium, quos ipse cum Anna Carminati iniit probare conatus est, tum quod testes ab Anna inducti maximas patiebantur exceptiones, tum quod ex suis testimoniis constabat ipsum moram traxisse Liburni, et Centumcellarum eodem tempore, quo sponsalia in civitate Neapolis contracta asserebantur. Hac de causa S. C. consulta dixit, ut coadjuventur probationes, et examinentur testes formaliter super negativa coarctata: *Neapolitana Spons.* 3. *Augusti* 1720. Expleto examine, ac reproposita causa non constare de sponsalibus decretum fuit 23. *Aug.* 1721. ac iterum producta fuit causa, S. C. respondit dilata et repetantur testes qui deposuerunt super negativa coarctata 20. *Decem. ejusd. anni* (185) ac testibus repetitis censuit standum est in decisis: 7. *Feb.* 1722.

(184) *Vide not.* 174.

(185) Advocatus Dominicus Ursaya in fa-

21. Sponsalium validitatem Dominicus Celentanus, pro eorum exequutione instante Agnete Avossa sponsa impugnavit. Sponsae patrem armata manu metum incussisse inquit Dominicus, dum ipse cum Agnete colloquebatur: ipse de stupro accusatus fuerat, ac quinquennium in carceribus hac de causa detentus. Episcopus decreverat infra biduum Matrimonium contracturum, et consilium petiit S. C. quae validitatem sponsalium agnovit: *Neapolitana spons.* 17. *Sept.* 1722. *dub.* 1. (186).

22. Vicarius Generalis Majoricensis sententiam protulit, in qua declaravit condemnandam fore et esse Antoniam Mariam Massanes ad contrahendum de praesenti Matrimonium in faciem Ecclesiae cum Medico Matthia Roig. At eodem tempore omnem movit vir lapidem ad sponsalia inita infirmanda, in medium proferens odio nunc inter se dissidere, et non sinere leges Regni, ut sponsalia absque parentum consensu contrahantur, praeter alias poenas corporales, etiam exhaeredationem indicentes. Ob id pertractatur res super validitate sponsalium in S. C. quae pro validitate stetit: *Majoricen. Spons.* 2. *April.* 1723. *dub.* 1.

23. Margarita Theresia, quae sponsalia contraxerat cum Laurentio Vicio, ad nova sponsalia devenit cum Hyacintho Saccono. Illico facta est controversia, quaenam ex dictis sponsalibus praevalere deberent ad effectum contrahendi Matrimonium, Laurentio jura sua deducere negligente, S. C. definitionem suspendit, et praecepit ut puella collocaretur in Monasterio extra Dioecesim, et ejus voluntas exploraretur ab Archiepiscopo Firmano, qui monasterium etiam eligere debebat: *Montis Alti Spons.* 28. *Aug.* 1723. At quum Archiepiscopus retulisset, puellam dixisse, se fuisse deceptam in subscriptione folii exarati super sponsalibus initis cum Laurentio Vicio, seque idcirco eum nolle in maritum sed velle Hyacintho Saccono usque ad extremum vitae spiritum servare fidem, S. C. resolvit, constare de sponsalibus cum Saccono ad effectum contrahendi cum ipso matrimonium: 4. *Decem. ejusd. anni.*

24. Quum Donatus Cecchelius testibus allatis de mendacio redargueret Magdalenam Vitaliano, quae ab eo fuisse pudicitia spoliatam, et in sponsam electam probare nitebatur, etsi inter testes productos convenientia non esset, exploratum etiam faciebat Magdalenam virginem quemdam Principem Neapolis compressisse, et ipsum tanquam medicum tantummodo curandi gratia infirmitates ipsius Magdalenae ad ejus domum accessisse. S. C. consulta praetensa sponsalia refellit: *Neapolitana Spons.* 24. *Martii* 1725.

25. Candida Carola quum inhibuisset Ardicino Calisto contrahere matrimonium cum nobili Virgine sub obtentu, quod sibi ab ipso osculum data prius fide matrimonii illatum fuisset, res inde apud S. C. fuit discussa, et juxta informationem Card. Archiepiscopi de sponsalibus non constare judicium fuit: *Neapolitana* 23. *Junii* 1725.

26. Vitus Antonius Fortunatus spopondit Salvatori Calce suam neptem Beatricem Fortunatam tunc absentem, et ignorantem, et in quarto, et quinto consanguinitatis gradu eidem Salvatori conjunctam cum dote ducat. 1500., ad cujus computum persolvit ducata 700. Nunquam expresse rati habuit dicta Beatrix Fortunata hujusmodi sponsalia, et solum constabat accepisse munus aureae catenae, et Crucis adamantibus

vorem mulieris suscepit hujus Causae defensionem, et sua profert jura in *Discep. Eccl.* XIII. *tom. IV. part. II. per tot.*

(186) *Vide not.* 176.

ornatae, et nihilominus apud. S. C. de hisce sponsalibus validitas patuit: *Salernitana Spons.* 13. *Julii* 1725. *dub.* 1.

27. Suppositum fuit Isaac Eeliot Haereticum Protestantem non Matrimonium sed sponsalia contraxisse cum quadam muliere Elisabetha Vanis Catholica, cum qua etiam filium procreavit: inde constituta est quaestio, an dicta sponsalia nulla vel illicita fuerint? et S. C. rescripsit ad D. Secretarium juxta mentem: *Dubia Spons.* 17. *Novem.* 1725. *dub.* 1.

28. Schedulam sub promissione futuri matrimonii a Dominico Jannono Theresiae Visconti traditam praetendit dictus Jannonus non sufficere ad sponsalium probationem eo quia inductus fuerit ad eam scribendam hortante Theresia, quae eam requisiverat cum contestata denunciatione juramento obfirmata, quod eadem uti nolebat ad effectum incundi matrimonii, sed tantum ut cum eo e fenestra libere loqui posset; ut ipsius Theresiae praeambulum epistolium exploratum hoc faciebat. At nihilominus S. C. secundum sponsalium validitatem dixit: *Bituntina Spons.* 18. *Maii* 1726. *dub.* 1.

29. Sacerdos Joseph Capretto induxit Dominicum Antonium Neapolitani ad stipulationem instrumenti, quo se obligavit ad Matrimonium contrahendum cum Conceptitia Capretti Neptem eamque in Ducat. 2000. dotandam: Mandatum procurae exaravit, in quo Procuratoris nomen erat in albo relictum literas etiam dedit Macchiocchinio, sub cujus regimine vivebat, ut Matris, Consanguineorum, et Tutorum consensum requireret, et conditio quippe oretenus opposita fuerat, ut ad praefatas personas mandatum procurae trasmitteretur, ad eorum voluntatem explorandam: ast Capretti mandatum trasmisit suo germano-Fratri, qui literas Dominici Antonii secum retinuit, appositoque nomine procuratoris, traditum fuit anulus sponsalitius. Vocem profunderunt Dominici Antonii Consanguinei tutores et mater, perpensoque dubio, an constaret de sponsalibus? responsum fuit negativum: *Lancianen.* 8. *Febr.* 1727. *dub.* 1.

30. Plurium testium depositione, ac epistolarum exhibitione Maria Antonetta Tegedes contendit secum contracta fuisse sponsalia a Joachino Henrico Hermanoneumque cogendum esse ad Matrimonium contrahendum non obstante infirmitate podagrae. Res ad S. C. excessit, quae non constare de sponsalibus judicavit: *Hildesimen.* 24. *Maii* 1727.

31. Renuit Venantius Mazzillus ad effectum perducere sponsalia inita cum Trojano Fabri, qui pro Anastasia filia spoponderat, eoquia ratihabitio Anastasiae defecerat, quodque amentia laboraret: Idirco lis instituta est. Ordinarius pro validitate respondit, et ejus sententiam S. C. probavit: *Civitatis Ducalis* 5. *Julii* 1726. *dub.* 1

32. Lucretia Storno curavit inhiberi Paschali Martuccione ut cum alia Foemina matrimonium contraheret, sub umbra quod cum ipsa jam sponsalia inierat, sed quia rationes ex conjectura pendebant, S. C. sine ulla dubitatione nullitatem sponsalium in lucem protulit: *Brudusina* 5. *Junii* 1728.

33. Januarius Pisanus Sponsalia contraxit cum Eleonora Soriana; inde alias nuptias sibi paravit. Ad instantiam itaque Eleonorae quaesitum fuit, an de sponsalibus constaret? S. C. responsum affirmativum praebuit: *Neapolitana Spons.* 31. *Julii* 1728. *dub.* 1.

34. Constituto matrimonio inter Comitem Josephum Vvilzech, ac Comitissam Trautsmandorffianam, quod celebrari adhuc debebat in faciem Ecclesiae, Comitissa Josephina Berg asserens inter eam et praedictum Comitem Josephum jam promissa, ac contracta fuis-

se sponsalia in Civitate Uratislaviae, inhiberi obtinuit a Tribunali Signaturae omnibus Viennae Parochis ne praefato Matrimonio interesse auderent. Deinde causa ad S.C. delata super validitate sponsalium, suspensa resolutione voluit, ut dentur novae literae remissoriales, praefixo termino trium mensium ad trasportandum processum: *Viennen. Spons.* 24. *Sept.* 1729. *dub.* 1. *et* 2. Inde decrevit non patere sponsalia. Nam in processu aderant tantum nonnullae literae amatoriae a Comitissa scriptae: 19. *Aug.* 1730.

35. Praetendit Maria Anna de Morass sponsalia contraxisse cum Jacobo de Blumencron; sed hic impugnavit asserens sponsalia non fuisse absoluta, sed sub conditione quatenus ipse obtineret officium Consiliarii Regiminis Civitatis Maanheimiensis, vel Consiliarii Judicii Aulici, quod ex utriusque literis apparet: Opus inde fuit S. C. praesidio quae asserta sponsalia non fuisse validam decidit: *Wormatien. Spons.* 21. *April.* 1731. *confir.* 28. *Julii ejusd. anni*.

36. Sponsalia sub pluribus conditionibus inita fuere inter Johannam Gertrudem de Lennep, et Andream de Wiendefelt, ac singrapha desuper confecta fuit: Moras nectente Andrea, ut sponsalia ad exequutionem perduceret, sponsa probavit ante et post subscriptionem singraphae absolute, et libere contracta fuisse sponsalia datis positionibus, sive articulis, quibus nunquam respondit Andreas quamvis pluries citatus: Archiepiscopus itaque praestito juramento a Johanna Gertrude pro validitate, ac exequutione sponsalium fuit, decrevitque in favorem mulieris alimentorum praestationem. Auditor Camerae Decretum Archiepiscopi revocavit, muliere tamen minime consentiente ex quo, ut ajt, litis sumptibus impar erat: re a S. C. examinata rescriptum fuit constare de sponsalibus, eorumque validitate: *Colonien. Spons.* 26. *April.* 1732. *dub.* 1.

37. Dominica Maja in judicium vocata fuit a Johanne Azono, ut sponsalia inter ipsos inita exequutioni mandarentur. Dominica vim, et metum sibi incussum in medium adduxit: Vicarius Generalis irrita declaravit sponsalia, et Johannes ad S.C. provocavit, nihil ex parte Dominicae deductum fuit, quae inopia premebatur. S. C., cujus definitio petita fuit, eam distulit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem: *Regien. Spons.* 21. *Junii* 1732.

3. Inito contractu de matrimonio ineundo inter Annam Frenfanellam, et virum Eugubinum obstitit Josephus Petrosellus, asserens eam jam ante fuisse sibi desponsatam, et pro suae assertionis documento praebuit epistolam, quam ajebat sibi scriptam ab ipsa puella, quaeque indicare quodammodo videbatur jam datam de conjugio ineundo fidem; quamvis epistola nullam haberet inscriptam diem, nec subscriptionem, nec cuinam missa fuerit, appareret; et Anna illam a se scriptam fuisse constanter negabat, et in positionibus, sub quibus interrogata fuit, sponsalia a veritate aliena esse juramento affirmaverat, idque etiam coram Episcopo Assisiensi comprobaverat. S. C. itaque assertum impedimentum rejecit: *Fulginaten. Spons.* 2. *Maii* 1733.

39. Julius Pallavicinus iniit sponsalia die 18. Junii cum Angela Maria Zoaglia quarto consanguinitatis gradu sibi conjuncta; confirmavitque biduo post interposita etiam jusjurandi religione, et adjecta clausula, quae in priori singrapha non aderat, nimirum animo et impetrandi a Sede Apostolica dispensationem super impedimento gradus; licet hujusmodi literae Aposto-

licae jam ante a die 15. ejusdem mensis signatae fuerint, sed ad Januae Civitatem nondum perlatae. Die 26. ejusdem mensis Pallavicinus alia contraxit sponsalia cum Maria Theresia Groppalla, petiitque a Curia Archiepiscopali facultatem celebrandi cum ea nuptias, et licet Maria Angela obsistitisset, tamen prima sponsalia irrita S. C. declaravit: *Januen. Spons.* 12. *Decem.* 1733.

40. Franciscus Antonius Guicciardinius cupiens ad secundas nuptias transire, sponsalia fecit cum Elisabeth Uberti coram Archipresbytero Parochialis Ecclesiae S. Blasii terrae Centi, nulla tamen jurisjurandi religione interposita. Sed postea poenitentia ductus alia cum Dominica Bertelli sponsalia iniit et priorum sponsalium dissolutionem sustinuit ob defectum mutui utriusque sponsi asserti consensus, et suorum filiorum ex primo thalamo ob detrusionem in carcerem, et contumelias in sponsam prolatas, et inhonestam vitam ipsius Elisabethae, et tandem propter pervicacem aversationem Germani Fratris. Sed haec prima sponsalia cum Elisabeth inita cum altero contrahendo matrimonio obstare, S. C. quaesita, sententiam tulit: *Bononien. Spons.* 26. *Martii* 1735. *dub.* 1.

41. Quum Jo. Baptista Pepe despondisset Cintiae Livorano, protinus sese opposuit Portia Pepe firmans sibi prius suam fidem obligasse, et in suae assertionis probationem produxit testimonium duarum mulierum, ex quo resultabat praefatum Jo. Baptistam cum dicta Portia deprehensum haec verba allocutum fuisse, *Tu mi sei moglie; diamoci la Fede; questa voglio per moglie; questa mi è moglie*. Sed Jo. Baptista excipiebat dictas mulieres amicitia, et sanguine conjunctas esse praefatae Portiae; suoque in examine multa inverosimilia, et inter se contraria deposuisse. S. C. ideo fuit consiliatrix, quae dicta sponsalia argumentis stabilita non aspexit: *Nucerina Paganorum Spons.* 14 *Januar* 1730.

42. Francisca Hippolyta Cimaroni suum consensum praestiterat Josepho Antonio Bracchi his verbis, *per li miei sponsali da seguire col suddetto Signore in termine di quattro anni in circa*, inde solemnitates, et sub jurisjurandi religione sponsalia iniit cum Jacobo Antonio Leonori. Querimoniam habuit Bacci apud S. C., et hac occasione Francisca deposuit de suasionibus, et metu incusso a Canonico Bracchi suo tutore, ut sponsalia iniret cum Josepho Antonio suo Nepote, promissionem factam fuisse tantum de sponsalibus ineundis, et eam voluntatem nunquam habuisse liberam, et determinatam; S. C. omnibus perpensis respondit constare de sponsalibus cum Leonori, eaque esse exequenda: *Senogallien. Spons.* 30. *Martii* 1737.

43. Binas singraphas exaraverat coram testibus Galeatius de Rubeis quibus declaraverat se obligatum existere in matrimonium ducere Mariam Genovefam Sandri, eamque pari vinculo adstrictam teneri; tempore quo connubium conjungere cum Maria Antonia Carroli voluit, ideo se minime devinctum esse putavit cum Maria Genovefa, ex quo verba Singrapharum valida non essent ad obligationem inducendam, ex quo singraphae, quae a sponsa detinebantur ab ipsa subscriptae non forent, ac congrua dos deficiebat. Sed S. C. dubium num constaret de impedimento Galeatii de Rubeis cum Maria Genovefa Sandri? affirmativo responso absolvit: *Faventina Spons.* 1. *Junii* 1737. *dub.* 1.

44. Nicolaus Caballinius sponsalibus inter Antonium Sanzii, et Sperandeam Tasti initis, contradictorem se praebuit contendens multo pridem sibi Sperandeae fidem fuisse obligatam, sed

cum testes a Caballino inducti numquam fuissent formali examini subjecti, licet hoc fuerit specialiter appositum, et non deposuisset de mutua futuri matrimonii promissione, sed tantum de reciproco inter ipsos amore praehabito; ac testimonium ab illis redditum de nonnullis literis, in quibus Sperandea Nicolaum virum suum nuncupaverat, seque ejus uxorem subscripserat nihili faciendum esset, quia haec literae non exhibitae fuerunt. Rem S. C. examinavit, et praetensa sponsalia rejecit: *Senogallien. Spons.* 27. *Sept.* 1738. *d.* 1.

45. Anna Maria Lanzi, utroque parente orbata cum penes patruos de Mascis decimum tertium agens aetatis annum educaretur, ex ejus novercae Annae Bartoccini hortatu e domo egressa ad Parochialem Ecclesiam S. Salvatoris Civitatis Tudertinae una cum quibusdam mulieribus dictorum de Mascis cousanguineis, et familiaribus se contulit, ubi Bonaventura Bartoccini ipsius Annae frater sposalitium anulum in Annae Mariae Lanzi digitum immisit, sed re a fratribus de Mascis comperta Annam, et Bonaventuram Bartoccini tamquam reos criminis raptus coram Vicario Generali accusarunt, ut Annam Mariam in Monasterium S. Catherinae terrae S. Gemini tanquam Educandam collocaret. Bonaventura sponsalium validitatem sustinuit asserens Annam Mariam jam ante fuisse instructam de anuli traditione, ejusque voluntatem, et consensum super matrimonio inter ipsas ineundo habuisse antequam anulum ejus digito immitteret, S. C. quaesita de eorumdem validitate rescripsit dilata, et puella collocetur in Monasterio Dioecesis Interamnensis juxta instructionem (187): *Tudertina Spons.* 24. *Maii* 1738. et quum puella nunquam voluisse, nec velle sponsalia cum dicto Bonaventura contrahere protestata esset, S. C. de sponsalibus non constare rescripsit: 10. *Januar.* 1739.

46. Fidem quam privatim septem epistolis virgo Laura Montania spoponderat Francisco Gabuccinio, et quam postea ratihabuerat nuptialibus confectis tabulis in Monasterio S. Christinae Senogalliae posito, in qua detinebatur, explorata prius auctorante Pontifice ejus voluntate ab Episcopo, mutato postea consilio frustare studuit sub simulatione quod apoca subscripta esset in minorili aetate absque consensu matris ejus tutricis curatricis, et ignorantibus consanguineis, et quod incaute importunis familiarum suasionibus, et blanditiis circumventa fuerit. Verum quum Franciscus probasset locum nullum esse potuisse circumventioni in Laura ob ejus solertiam, et sagacitatem, qua ipsae epistolae conscriptae erant, S. C. rescripsit, constare de sponsalibus, et ad mentem (188): *Fanen. seu Pisauren. spons.* 14. *Decem.* 1743.

47. Ut Aurora de Michele cogeret Ducem Baldhassarem Coscia ad exolvendam sponsalium fidem, quam sibi datam fuisse narraverat, ad id comprobandum ostendit in Archiepiscopali Curia exemplar cujusdam apocae de jurata mutua contrahendarum nuptiarum promissione, sed quum S. C. mandasset exhiberi in actis suae Curiae authenticum assertae apocae sponsalium

(187) Quae fuit, ut puella e Monasterio S. Catherinae oppidi S. Gemini ad aliquod Monasterium Dioecesis Interamnensis traducta, ibi post aliquod temporis intervallum interrogetur super facti circumstantiis quibus inita fuisse asseruntur controversa sponsalia; ejusque hodiernum animum explorari, num scilicet mutata opinione, vellet in illa consentire, nuptiasque cum praefato Bonaventura celebrare: *Ead. caus.* 10. *Januar.* 1739, §. 1.

(188) *Vide not.* 180.

ut procedatur ad ejus formalem recognitionem servatis servandis postmodum dubium excussit, an constet de sponsalibus, quae veniant exequenda? responsum prodiit negativum : *Neapolitana Spons.* 11. *Januar.* 1744. *confir.* 13. *Junii ejusd. anni.*

48. Sponsalia inita a nobili puella Maria Laura Bonarelli cum duobus viris scilicet cum Johanne Baptista Amatorio, et Gentili Peccio, monasterium ingressa ea revocavit de dolo conquesta quia decepta fuerat quoad nobilitatem et divitias Amatorii, qui certans de praelatione cum Peccio victor evaserat, sed quia odium etiam contra ipsum mulier conceperat, postulavit igitur ut libera declararetur, putans Viros tantum non autem foeminas esse cogendas, et S. C. rescripsit constare de sponsalibus cum Amatorio: *Anconitana Spons.* 30. *Martii* 1748.

49. Folium subscripsit Maria Lucretia Paluzzi, quo neptem suam Anastasiam Archangeli Josepho Ferri uxorem se daturam spopondit. Eidemque folio, matertera jubente nomen dumtaxat suum propria manu apposuit Anastasia. Nam cognomentum Archangeli etquae sequuntur verba *affermo quanto sopra mano propria* scripta fuerunt ab Agostino Blasi. Sed tacta apopletico ictu Maria Lucretia Anastasia curam assumere debuit, et ob id traducta fuit Eugubium apud sororem, quae nupta est Comiti Carlo Hondedeo. Metuens Joseph ne ex hac inter eos distantia Anastasiae animus mutaretur, et alteri nuberet in actis curiae Episcopalis *nihil transeat* apposuit, et revera cum Vicarius Generalis mutatam puellae voluntatem cognovisset venia S. C. Episcopor, et Regular. in Monasterium S. Spiritus Fugubii translata fuit; sed Joseph quum de illo Monasterio suspicaretur, in quo Moniales erant sorores Comitis Hondedei dubium proposuit in S. C, an locus esset tranlationi puellae in aliud Monasterium extra Civitatem Eugubii? et licet Anastasia sibi sacras vestes suscipere velle protestaretur, S.C. petitam translationem admisit addita causula ad mentem (189): *Fanen. seu Senogellien. Spons.* 1. *Martii* 1749. Et deinde a S. C. examinata est validitas Sponsalium, ea valida judicata: 2. *Aug. ejusd. anni.*

50. Conventis nuptiis inter Raynaldum Egidium et Annam Battuzzi, statutaque dote scut. 3000., scripta fuit a conciliatore harum nuptiarum Philippo Cotolani apocha, in qua plures adiectae fuerunt conditiones, et praesertim illa, *che il presente foglio debba sottoscriversi da ambe le parti, e ridursi a pubblico instromento.* Paruit Anna huic conditioni, non Raynaldus, qui acceptis nihilominus scutis mille in partem dotis, ita pecuniis abusus est in amores inhonestos, ut Episcopus ab urbe eum expulerit. Certior facta de his Anna aversum a nuptiis animum ostendit, et licet Raynaldus novam promissionem istarum nuptiarum Anna ignorante habuerit tam a matre, quam fratre Annae publico et stipulato instrumento, tamen hujusmodi instrumenti abrogationem Annae pollicitus est. At ad dubium an constet de sponsalibus? S. C. affirmativam resolutionem edidit: *Assisien. Spons.* 14. *Junii* 1749. *dub.* 1.

51. Hieronymus Delius Fulginas sponsalia iniit cum honesta, sed ignobili puella Francisca filia Francisci e Villa Belfiore, dato etiam anulo futurarum nuptiarum pignore. Fratres ceterique Hieronymi consanguinei hisce promiscuis connubiis adversati sunt. Epis-

(189) Et mens fuit, ut exploraretur puellae voluntas, eaque muliebri levitate ad primam redierit voluntatem nomen suum dandi Monasterio : *Ead. caus.* 6. *Decem.* 1749.

copus sponsam in Conservatorium Orphanarum detrusit, ac indignum facinus censeret si hoc matrimonium contraheretur. Hieronymus Matrimonii libertatem propugnavit, nec aequalitatem nobilitatis, sed fidei tantum spectandam esse sustinuit, et ei S. C. favit et sponsalium validitatem firmavit: *Fulginaten. Matrim.* 28. *Aug.* 1751. *dub.* 1.

52. Quum Jacobus Antonius Camani et Felici Mondini dixisset, *Sig. Felice siete contenta di prendere me per vostro Sposo*, et Felix respondisset *sono contenta*, et Camanus statim respondisset *ed io pure sono contento*, vera, et legitima sponsalia per dicta verba non fuisse contracta Antonius Camani sustinebat eo quod mutua sequuta non fuerit futuri matrimonii promissione. Sed S. C. dicta sponsalia tamquam vera, et legitima admisit: *Romana seu Comen. Spons.* 24. *Novem.* 1781. *dub.* 1. *confir.* 16. *Martii* 1782.

Sponsorum Benedictio. *Vide Benedictiones etc.*

Sponsus, Sponsa. *Vide Sponsalia.*

Stallum in Choro. *Vide Archidiaconus* §. *VI. Canonici* §. *VII. Dignitates Ecclesiasticae* §. *III. Mansionarius* §. *II.*

Status. *Vide Beneficia Ecclesiastica* §. *XI. Canonicatus* §. *VI. Capellania* §. *VIII. Ecclesia in genere* §. *VI.*

Status Haereditarii Firmatio. *Vide Firmatio status Haereditarii.*

Statuta. *Vide Capitulum Ecclesiasticum* §. *XI. Sodalitium* §. *III.*

Stemma Gentilitium.

1. Societatem Ecclesiae Plagarum SSmi Domini appositionem insignium tam Johannis Bartoli, quam sui haeredis in lateribus majoribus Altaris ejusdem Ecclesiae, quod exornandum pii testatoris praecepto erat, vetare posse S. C. decrevit: *Romana Appos. Insig.* 4. *Sept.* 1700. *dub.* 3.

2. Ecclesia Cathedralis ob terraemotum eversa sumptibus fabricae ejusdem a fundamentis reaedificata fuit. Hac occasione plura Episcopus stemmata sua gentilitia apposuit. Ad eorumdem remotionem institit Capitulum; et S. C. esse locum remotioni insignium, ac stemmatum gentilitiorum Episcopi praeterquam quoad stemma appositum in Januae fastigio, ubi nomen Episcopi, ac Divi Paulli insculptum erat, sancivit: *Melevitana Insig.* 12. *Decem.* 1705. *dub.* 1. *Confir.* 11. *Sept. ejusd. anni*, *et* 29. *Januar.* 1707.

3. Deinde non esse moderandam praedictam fastigii januae appositam inscriptionem mandavit; etsi grandioribus literis nomen Episcopi coelatura notaretur: 5. *Junii* 1706. *dub.* 2. *Confir. ibid.*

4. Capellam in Ecclesiam Fratrum Min. Conv. S. Francisci terrae Argentae, et ejusdem altare exornavit haeres Dionisius, stemma Familiae de Martiis antiquae Capellae patronae abrasum videns postulavit, num praefati PP. stemma tenerentur in antiquo loco reponere? responsum audivit, ut hoc haeredibus propriis sumptibus facere liceret: *Ravennaten. Appl. Miss.* 17. *Aug.* 1737. *dub.* 4.

5. S. C. consulta, an a PP. Carmelitis oppidi Vulturis apponi testatoris Johannis Augustini de Capellis stemma super parietes Conventus, et Ecclesiae possit, ac etiam innovari, vel destrui in eisdem absque consensu patronorum pro tempore, et eorum stemma absque istorum consensu noviter depictum super dictos muros sit delendum vel insimul apponendum etiam familiae fundatoris stemma? S. C. dilata rescripsit, et ad mentem: *Januen. Capellan.* 26. *Febr.* 1752. *dub.* 7.

6. Quum Canonicus Jo. Maria aliique Fratres Azzopardo Castelletti ad formam transactionis inter patronos initae cuperent affigere Gentilitium stem-

ma cum marmorea inscriptione ad aram maximam Ecclesiae S. Theresiae PP. Carmelitarum Excalceatorum Civitatis quae *Cospicua* nuncupatur. Quaestio facta est de loco idem collocandi, et S. C. jussit apponi juxta votum Episcopi (190): *Melevitana* 8. *Febr.* 1783.

7. Jo. Baptista Vittori patronus Altaris Majoris Ecclesiae Cathedralis petiit, ut stemma suae familiae, quod ab illo Episcopus ob facilioris restaurationis Ecclesiae commodum amoverat, reponeretur ibidem ad ostendendum familiae patronatum, et quod suis sumptibus majus altare fuit instauratum, et impetravit: *Balneoregien.* 29. *Novem.* 1783. *dub.* 2.

Stipendium.

1. Ne pecunia a nubentibus extorquetur S. C. respondit alias, pro administratione Sacramentorum, et praesertim Matrimonii nihil omnino percipi posse, et ideo Episcopum ita curare debere, et pro manutentione luminum ante SSmum Sacramentum Eucharistiae alio providendum: *Vasionen. Visit. SS. LL.* 25. *Aug.* 1637. *d.* 6.

2. Vicario Capitulari, Sede vacante, deberi salarium in summa juxta solitum illius Ecclesiae, S. C. visum est: *Ostunen. Procur. et Resid.* 28. *Julii* 1708. *dub.* 3.

3. Quum gravata esset quam maxime aere alieno Archiconfraternitas S. Hieronymi Charitatis Urbis, unde nulli reditus supersunt pro solvendis annuis scut. 459. pro mercede Ministrorum, facultatem Officiales ejusdem implorant detrahendi dictam summam ex proventibus cujuscumque haereditatis, donationis, ac legati, S.C. rem arbitrio Card. Relatoris commendavit: *Romana Oper. Prior.* 7. *Julii* 1708.

4. Instituta controversia circa stipendium, quod Archipresbyter Cathedralis Ecclesiae subministrare debet Sacerdoti amovibili, et ab ipso ad animarum curam in Villa Rovilieti exercendam deputando; per modum provisionis exiit decretum, quod ab Archipresbytero solverentur praefato Sacerdoti annua scut. 16., et quod Sacerdos hic deberet habere emolumenta, quae dicuntur incerta, et Missarum eleemosynam. Ratio fuit, quod difficile erat idoneum reperire Sacerdotem cum stipendio minori. Archipresbyter contra nihil esse innovandum ajebat, quum non nisi 39. scut. ex Villa praedicta reditibus percipere dissereret. Ponderato ideo dubio, pro quarum summa esset praestandum salarium illi Sacerdoti? responsum est, deberi ad formam decreti D. Secretarii: *Fulginaten.* 30. *Sept.* 1724.

5. Quoad binas dotes a Nicolao Collaterali relictas, et in favorem miserabilium puellarum a Communitate terrae Murri Vallium distribuendas, S. C. consilium cepit, ut primum detrahetur aliqua merces ab Archiepiscopo constituenda, et solvenda Administratori bonorum a Communitate designando: *Firmana* 22. *Novem.* 1727.

6. Matthaeus Maria Ghirlandari haeredem universalem recitavit Ven. Archiconfraternitatem Confalonis de Ur-

(190) „ Quamobrem nullum esse locum tam aptum lapidi apponendo pro insigniis praedictis existimo, quam basis inferior dicti Altaris Majoris, quae ab omnibus conspici potest. Ne vero futuris temporibus hujusmodi inscriptio, et stemmata adstantium oculos fugiant; ad consulendum patronorum juribus, et excitandos fideles ad similia opera pietatis, putarem stemmata praedicta cum inscriptione apposita in dicta basi inferiori lateris dexteri dictae patronalis Capellae nunquam posse in posterum quovis sub obtentu, vel obstaculo a dictis Patribus cooperiri, ut inscriptiones, et insignia ad hunc finem instituta omnibus pateant et occulta non lateant „ *Ead. caus.* 8. *Febr.* 1783. §. 2.

be nonnullis legatis piis indictis. Inter Administratores quaedam facta fuere dubia a S. C. definita, inter quae Exactori non comptere integram mercedem scutorum centum, sed ex his mercedem Ratiocinatoris detrahendam esse sancivit: *Romana Declar. Volunt.* 23. *April.* 1735. *dub.* 2.

7. Fratres Min. Observ. S. Mariae Angelorum terrae Brixichellae nonnullarum sortium tot Missarum in Suffragium testatorum celebratione gravatarum renunciationem emiserunt in manibus Episcopi, ut deputare dignaretur ad illarum administrationem Societatem SSmi Sacramenti dictae terrae assignato salario scut. 11. ex fructibus censuum. Sed census nonnulli facti sunt inexigibiles, dubitatum fuit, an Societas teneatur restituere PP. praedictis ex salario usque ab anno 1725. percepto?

8. Et an et ad quam summam dictum salarium in futurum solvendum reduci debeat? responsio differtur, et dicitur ad mentem: *Faventina* 4. *Maii* 1737. *dub.* 1. *et* 2.

9. Parochus Casalis Cellularum indultum absentandi obtinuerat, et recuperata valetudine non revertebatur. Fuit hic propterea ab Ordinario suspensus, et excommunicatus. Ejusdem Parochiae Oeconomus de suo stipendio quaestionem movit, et audivit, sibi in casu absentiae Parochi cum debita licentia provisionem sive stipendium deberi in summa inter ipsum, et Parochum concordata, praevia tamen approbatione Episcopi quoad suam oeconomi personam: *Suessana Resid. et Censur.* 15. *Martii* 1738. *dub.* 4.

10. Innocentius XII., et novissime Benedictus XIII. Pon. Max. statuerunt, ut Episcoporum Regni Neapolitani spolia in beneficium converterentur Cathedralium, vel in fabricae utilitatem. Episcopus Lanfreschi, qui Jacobo Pinaque in Cajetanam Ecclesiam regendam successit, antecessoris spolia convertit ad erigendum fundum pro anniversario defuncti Episcopi, ad construendas carceres pro presbyteris, et ad distributionem salarii familiaribus illius faciendam juxta, prout ipse ajebat, praedecessoris mentem. Dispositionem hanc successoris respuit Capitulum Cathedralis, improbavit S. C. Sed examinato cohaerenter quomodonam esset providendum pro salariis aliisque expensis? S. eadem C. respondit, ad Episcopum prout de jure: *Cajetana Spol.* 19. *Novem.* 1740. *dub.* 3.

11. Capitulo, et Clero Polymnianensi, qui supplicationes cum Brachio S. Viti ab Ecclesia Cathedrali ad Abbatialem Ecclesiam PP. Conventualium associent, aliasque sacras functiones peragere eadem occasione solent, stipendium ad ducatos 60. adaugendum esse decernitur: *Polinianen. Juris Quest. et Process.* 30. *Aug.* 1746. *dub.* 13.

12. Exposuit Antonius Sorchius omnes fructus haereditatis, quae ducit originem a Johanne Surchio, cedere debere in solutionem legatorum, aliquam partem esse servandam Fidei commissariis, et habere nomen haeredis absque ullo compendio. Propter operam, diligentiam, atque industriam administrationis bonorum Fideicommissi adscribi sibi stipendium, seu aliquam partem, nempe fructuum dicti fideicommissi postulat. Sed incassum: *Ferrarien.* 13. *Febr.* 1751. *confir.* 27. *Martii ejusd. anni.*

13. S. C. censuit Henrico Eustachio Rectori beneficii erecti ad Altare S. Leodegarii secundae Fundationis in Collegiata Ecclesia S. Martini Civitatis Leodiensis, ob quod S. C. decreverat teneri munus Hebdomadarii Rectorem subire, deberi menstrua retributio a Decano, et Capitulo ratione dicti muneris Hebdomadarii, licet hoc onus ex

lege fundationis oriri ostenderetur : *Leodien. Serv. super. Salar.* 3. *Febr.* 1753. *dub.* 1.

14. Ac deberi resolvit in summa oblata a Capitulo pro tempore praestiti servitii : *Ibid. dub.* 2.

15. Stipendium oeconomis haereditatis Canonici Caroli, Antonii, et Constantini Nicolai Fratrum Marenchi, qui in opus pium disposuerant, ab Exequutoribus testamentariis deputandis est assignandum arbitrio Episcopi : *Aquen. Erect. Capell.* 2. *Aug.* 1760. *d.* 3.

16. Stipendium relictum Curatis Parochialis oppidi Balneariae haeredibus designatis a testatore Dominico Guglielmini in scuto uno pro quolibet, et non amplius, licet post obitum testatoris tres essent Curati, deinde uno beneficio curato suppresso, et duobus subrogatis oeconomis, consuevit accrescere duobus super extantibus curatis ob defectum tertii; S. C. tamen requisita, an merces aequalis competat oeconomis etiam? solitum servari praecepit : *Viterbien. Dot.* 11. *April.* 1761. *dub.* 7.

17. Oeconomo sive Exactori haereditatis Dominici Guglielmini maritandis, dotandisque puellis oppidi Balneariae relictae Parochialis Ecclesiae Curatis haeredibus, mercedem statuendam esse arbitrio Card. Episcopi, decernitur : *Ibid. dub.* 10.

18. Jo. Antonius Gonzalez advocatus, et administrator pii operis ab avo Petro Gonzalez relicti pro dotandis parentibus orbatis puellis, petiit sibi assignari salarium pro implicata haereditatis administratione, et responsum tulit, ut uteretur jure suo coram Ordinario : *Burgen. Oper. Pior.* 21. *Aug.* 1762. *dub.* 2.

19. Apostolica auctoritate bona omnia Societatis S. Mariae Disciplinatorum Insulae Majoris ad Lacum Transimenum applicata fuere Capitulo Cathedralis Ecclesiae ratione ejus Sacrarii. Idem Capitulum petit modo, ut ob tenuitatem redituum, et Sacrarii necessitatem salarium Ludimagistri in summa scut. 40. redigatur ad summam scut. 24., quum praesertim domicilii beneficio idem Ludimagister fruatur, quas exiguitatis proventuum ac necessitatis Sacrarii causas confirmat etiam Episcopus, et a S. C. haud fuit auditus : *Perusina Reduct.* 27. *April.* 1765. *d.* 2.

20. Illud salarium administrationis ex fructibus haereditatis a Canonico Jacobo Ghilinio Capitulo Alexandrino relictae detrahendum, augendum esse S. C. resolvit, in summa, quae Episcopo visa fuerit : *Alexandrina* 10. *Decemb.* 1785. *dub.* 4.

21. Censuit S. C. non licere Vicario Generali aliquid muneris, sive stipendii etiam modicum accipere pro subscriptione, et sigillo, sive alia qualibet de causa, et titulo in exequutione literarum Apostolicarum dispensationis matrimonialis, licet vigeret consuetudo aliquid accipiendi : *Dubia super Exeq. Disp. Matrim.* 20. *Januar.* 1787. *dub.* 1.

22. Bernardinus Rescia mercedem, seu remunerationem laborum plurium annorum postulavit propter rectam administrationem bonorum simplicis beneficii, ad quod eum nominavit fundator Stephanus Joseph Chiodi Presbyter ac propter solicitudinem in constructione Sacelli impensam, sed nihil est assequutus : *Alexandrina* 18. *Aug.* 1787. *dub.* 1.

Reliqua. *Vide Administrator* §. *VII. Capellanus Curatus* §. *VI. Capellanus Sodalitii* §. *IV.*

Stola quoad Delationem. *Vide Cadaver* §. *III.*

Strena. *Vide Episcopus* §. *XXIII.*

Studiorum Universitas. *Vide Universitas* §. *II.*

Sub-Collector Apostolicus .

1. Quod attinet ad Sub-collectores Camerae Apostolicae S. C. nihil decernendum putavit, sed in hoc agendum esse cum SSmo D. Nro: *Nicien.* 18. *Novem.* 1628. *dub.* 8.

2. Indiget explanatione, an subcollectores spoliorum, Decimarum, aliarumque jurium Camerae Apostolicae, eorum officio durante, distributiones quotidianas lucrentur, quamvis Choro Divinis Officiis persolvendis minime intersint? planum fecit S. C. decreto, non lucrari, et literas Sixti V. Pont. Max. datas sub Anulo Piscatoris 8. Maii 1590. esse locales: *Romana seu Mediolanen. Sbucoll.* 26. *Aug.* 1662.

3. Censuit S. C. Jo. Baptistam de Angelis, et Hieronymum Santinum Rectores Ecclesiarum Parochialium non potuisse in subcollectores deputari: *Civitatis Castelli* 6. *Maii* 1645.

4. An libellum Capitulorum, et Canonicorum Cathedralis, et Collegiatarum conquerentium, quod ipsis defunctis subcollectores spoliorum subripiunt distributiones quotidianas, et stipendia Missarum inexacta ipsis debita pro personali praesentia praestita in Choro, et pro Missis celebratis? S. C. ad explicandum hoc dubium voluit dandam esse declarationem alias editam 9. *Febr.* 1669. *Neapolitana Distributionum* (191): *Arianen.* 13. *Febr.* 1672.

5. Haeredes Fabii Ciampi Archidiaconi Ecclesiae Cathedralis supplicant declarari non licere subcollectori spoliorum exigere distributiones quotidianas non exactas, et eisdem Archidiacono debitas? respondit danda esse Decreta hac de re alias edita: nempe *in Neapolitana Distributionum* 9. *Febr.* 1669. (192), *et Arianen.* 13. *Febr.* 1672. (193): *Frigentina* 28. *Aug.* 1683.

6. Opere pretium fuit declarandi, an subcollectores spoliorum pro Rev. Camera Apostolica recensendi essent inter Officiales, de quibus loquitur *Extravagan. cum Matthaeus de Haetic.*, *Divina in Eminenti de privil.* (194) responsum fuit negativum: *Dubia Exempt.* 20. *Junii* 1682. *dub.* 2.

7. Est quaestio, an Franciscus Padula subcollector Apostolicus deputatus pro Civitate, et Dioecesi Bituntina gaudeat exemptione a jurisdictione Episcopi in causis civilibus, tam activis, quam passivis? rescripsit S. C. servanda esse Decreta generalia anni 1677. (195): *Bituntina Deput. Subcoll.* 4. *Maii* 1697. *dub.* 1.

8. Perpensoque dubio, an subcollectores deputati pro jurisdictionibus Abbatiae Nullius Fasani, et pro loco nullius Rutiliani, et commorantes Bitunti aliqua in dicto loco gaudeant exemptione? S. C. non gaudere, et Episcopum procedere posse in futurum respondit: *Ibid. dub.* 2.

9. Et ad quaesitum, an illegitimus, vel natus ex damnato coitu possit deputari subcollector, vel quatenus fuerit jam deputatus, licite possit in dicto Officio continuare? respondit negative quoad primam partem, quo ve-

(191) *Vide Verb. Spolium Ecclesiasticum num.* 1.

(192) *Vide Verb. Spolium Ecclesiasticum num.* 1.

(193) *Vide num.* 4. *praes.* §.

(194) *Vide not.* 252. *pag.* 174.

(195) Emanata die 27. *Febr.* confirmata ab Innocentio XII., quae etiam servari mandavit Concil. Roman. anni 1725. sub Rom. Pont. Bened. XIII., *cap.* 3. *tit. de Major. et obed.*, in cujus calce et Append. *num.* 7. praefatum S. C. Concilii decretum cum aliis declarationibus circa subcollectores refertur; ubi declaratur „ Generaliter vero subcollectoribus exemptionem ab Ordinario in civilibus non suffragari, nisi adesset in Dioecesi Judex a Nuntio deputatus, qui habeat tantummodo facultatem in causis passivis, et nullo privilegio, aut exemptione gaudeat ".

ro ad secundam censuit respondendum in casibus particularibus : *Ibid. d.* 6.

Subdiaconus *Vide Sacramentum Ordinis* .

Sub-Emphyteusis. *Vide Bona Ecclesiastica* §. *IX*.

Subjectio. *Vide Clerici* §. *I. Ecclesia in genere* §. *V. Moniales* §. *II. Sacramentum Ordinis* §. *II*.

Subministratio. *Vide Alimenta etc.*, *Assignatio* .

Sub-Prior .

1. Sub-Prior Presbyterorum, qui in Parochiali Ecclesia oppidi Malaucenae sub Collegii nomine ad divina peragenda officia coguntur, alia emolumenta praeter ea, quae distribuuntur, percipit. Presbyteri ipsi, ut Sub-Prioris stipendium in communem conferetur Massam, consilium inierunt, decreveruntque, nullum ex ipsis subire deinceps posse Sub-Prioris officium, quod incompatibile esset cum officiis ex oneribus Presbyterorum illius Collegii. Hujus resolutionis hodie postulant adprobationem, sed incassum a S. C. postulant : *Vasionen. Distrib.* 26. *Junii* 1756.

2. Adducitur in dubitationem, an omnes, et singuli Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Archangeli habeant expensarum utensilium Parochialium; vel potius Prior, et Sub-Prior animarum curam habentes solummodo devincti sunt ad dictas expensas?

3. An, et qui teneantur ad expensas pro exequutione rescripti a S. C. editi die 17. Aug. 1779. quoad remotionem, ac expurgationem sepulcrorum? S. C. explicavit ad utrumquae dubium *affirmative* respondens, itaut unusquisque juxta ratam partem suae congruae contribuat; *Firmana* 6. *Sept.* 1783. *dub.* 3. *et* 4.

Subrogatio .

Subrogationem haereditariae Domus quamvis idoneae subsidii dotalis a Victoria Pacioni relicti in oliveti locum faciendam minime esse S. C. decidit : *Interamnen. Subs. Dot.* 16. *Febr.* 1743.

Reliqua. *Vide Ecclesia Parochialis* §. *V*.

Subsidium Charitativum. *Vide Episcopus* §. *XXV*.

§. I.

Subsidium Dotale quoad Anticipationem .

Aloysius Jacobellus ex oppido Collis veteris nonnulla subsidia dotalia distribuenda reliquit, legavitque Hortensiae Catharinae fratres filiae in casu, ut Deo voveret, vel matrimonii causa dotis summam scut. 1717. Hac de causa dicta Hortensia supplicavit pro assignatione fructuum dicti Legati Dotis scut. 1717. etiam ante contractum matrimonii, et non obtinuit : *Romana Derog. Volunt.* 11. *Sept.* 1717. *dub.* 2.

2. Anna Maria Venturi Pizzicanti dotes distribui mandavit pauperibus, honestisque puellis, praesertim consanguineis, et distribui in actu matrimonii, sive Monasticae professionis, et non ante. Ideo inixae praelationi Agnes, Catharina Maria Anna, et Maria Sorores Conforti S. C. precatae sunt, ut non obstante defectu actualis conjugii singulis sibi dotale illud subsidium scut. circiter 50. ad levandam earum inopiam permitteret; sed irritae eorum preces fuerunt : *Camerinen. Subs. Dot.* 3. *Marti* 1787.

§. II.

Subsidium Dotale quoad Applicationem.

1. Anna Maria Alberta Alippia obtinuit per decennium a Sum. Pont. applicationem quatuor subsidiorum dotalium scut. 25. pro qualibet, quae reliquit pro puellis Sanctimonialibus faciendis Andreas Alippius, cujus dicta Anna est filia. Decennio expirato pro extensione ad aliud decennium in spem

erigitur, et S. C. invocavit, et profecit. Etiamsi uxor Andreae institutae liti super consequutione quartae vigore *Auth. Praeterea C. Unde Vir, et Uxor* (196) cesserit, et convenerit pro consecutione dotium in favorem suae filiae: *Romana Appl. Leg.* 20. *Sept.* 1692.

2. Praecepit Petrus Guala ut quaedam pecuniae summa collocaretur in favorem pauperum puellarum vel pro aliis piis operibus arbitrio haeredum, propterea Antonius haeres fundum ad hunc effectum assignavit. Attamen voluntas nunquam fuit impleta, nec exequi potest ob paupertatem haeredum, ex hac causa animus intendit ad applicationem pro dote filiarum haeredis quoad futurum, et S. C. annuit, et commisit Episcopo, ut pro suo arbitrio pro quantitate, et tempore congruas dotes neptibus haeredis applicet, et assignet: *Casalen. Commut. volunt.* 7. *Decem.* 1797

3. Capitulum, et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Petri Guastallae de quadam haereditate eroganda in quinque dotibus puellarum petierunt praevia derogatione voluntatis testatoris facultatem applicandi tres partes ejusdem haereditatis in manutentionem, et educationem tot puellarum, quae parentibus sunt orbatae ac nonnullos effectus impendendos juxta mentem testatoris in aedificium Conservatorii erogandos. Sed S. C. audito Episcopo postulationes non excepit: *Nullius Guastallae* 29. *Novem.* 1698. (197).

4. Quum puellae consanguineae testoris Silverii Silverio de Piccolomineis postulassent applicationem tertiae partis redituum bonorum, quae idem testator reliquit pro distribuendis dotibus inspecta verisimili testatoris ejusdem voluntate propter earum paupertatem, et ut ex defectu dotium innuptae non remaneant, S. C. *per sum. prec.* gratiam denegavit, modo perstitit in decisis: *Aquilana Commut. Volunt.* 28. *Julii* 1703.

5. Ob Nummariae Mensae, ac Domus Sanctissimae Annuntiationis Neapolis decoctionem expostulatum fuit ab hodiernis Gubernatoribus pro aliqua temporali provisione, et praesertim, an et quae subsidia dotalia a pluribus disponentibus relicta, et ab eodem Domo distribuenda, ad tempus applicanda sint in collocationem Expositarum? responsum extitit affirmative ad decennium quoad subsidia narrata in precibus, exceptis dotis relictis cum exclusione Expositarum: *Neapolitana Reduct. Oner.* 15. *Martii* 1704. *dub.* 1.

6. In Indulto a Pontifice Clemente XI. desuper obtento comprehensum non fuit legatum subsidii dotalis ab Ascanio de Elea relicti. Ideo praefati Gubernatores studuerunt decerni, subsidia a praefato testatore relicta esse applicanda in collocatione Expositarum, et accommodanda in duc. 50. proquolibet: *Ead. Caus.* 15. *Junii* 1709. *d.* 2.

7. Sine ulla dubitatione respondit S. C. ad dubium, an praefata subsidia dotalia essent applicanda ut Deo voverent Expositae in Monasterio Sanctissimae Annuntiationis? negative, et injunxit, ut recurreret in casibus particularibus: *Ibid. dub.* 3.

8. Inspecta Piae Domus S. Mariae *della Solitaria* nationis Hispanicae extrema paupertate ex deficientia redituum, a Gubernatoribus ipsius ignora-

(196) Ubi legitur „ Praeterea si Matrimonium sit absque dote, conjux autem praemoriens locuples sit, superstes vero laboret inopia, succedet una cum liberis communibus, alteriusve matrimonii in quartam, si tres sint vel pauciores. Quod si plures sint in virilem portionem: Ut tamen ejusdem Matrimonii proprietatem servet, si extiterint, his vero non exantibus, vel si nullos habuerit, potietur etiam dominio, et imputabitur legatum in talem portionem ".

(197) *Per Summaria preçum.*

tur, an in casu distributionis dotium, de quibus agitur, liceat piae Domui ex fructibus sortium destinatarum ex dispositionibus testatorum ad dictum effectum, retinere aliquam summam pro reparationibus aedificiorum, et pro mercede ministrorum, et in qua quantitate? rescripsit S. C. dilata, et scribatur juxta instructionem, et ad mentem: *Neapolitana Conser*, 1. *Junii* 1715. *dub*. 2.

9. Ascanius de Elia ordinavit dotium distributionem Domui Sanctissimae Annuntiatae haerede instituta in favorem puellarum egenarum in duc. 100. pro singulis, et solutionem ducat. 120. puellis parentibus orbatis Sanctissimae Annuntiatae Civitatis Luceriae. Sequuta dictae Domus decoctione, ac reductis oneribus ambiguum fuit, an legatum Ascanii de Elia in reductione comprehenderetur. Et Archiepiscopo Neapolitano commissum fuit per breve applicationem subsidiorum pro collocatione puellarum expositarum ad rationem ducat. 50. pro quolibet. Breve non fuit expeditum incuria administratorum, qui modo precantur pro exequutione Brevis, et pro applicatione dotium, et S. C. pro nova facultate expediendi Breve dixit, eoque expedito orent pro approbatione dotium distributarum, et ad mentem: *Neapolitana Red*. 7. *Maii* 1718.

10. Ad sublevandam inopiam Ecclesiae S. Johannis Nationis Florentinorum dotes, quae ad Archiconfraternitatem revertuntur, Ecclesiae praedictae commodo applicari fuit exoratum per spatium quindecim annorum, exceptis illis, in quibus sodalium filiae, et consanguineae sunt praeferendae; sed hujusmodi instantiae quoque iteratae S. C. non moverunt: *Romana Dot*. 24. *Sept*. 1718. *et* 21. *Januar*. 1719.

11. Ascanius Rivaldus haeredem in codicillis scripsit Congregationem pauperum puellarum mendicantium devotarum Sanctissimi Sacramenti sub lege, ut dos posset constitui puellis nupturis sub conditionibus ab eodem praescriptis. At quum saepius accideret, ut non tot in eodem conservatorio nuberentur puellae, quot dote illa instrui potuissent habita proventuum ratione; hinc superextantes fructus praeter subsidia dotalia, quae quotannis tradantur puellis, aut nubentibus, aut Religiosum habitum amplectentibus licere libere convertere in alimenta aliarum puellarum in Conservatorio degentium decisum fuit: *Romana Subs. Dot*. 20. *Martii* 1734.

12. Ad supplicationem Hieronymi Mattei Ducis terrae Jovii Clemens XII. indulsit ut in collabentem reparandam Parochialem Ecclesiam ejusdem oppidi summa erogari valeret, quae Monti, seu Montibus Frumentariis debetur pro eo tamen quod superest praeter sortem, quae pro fundo integra manere debebat. Et concessit ulterius ut pro eadem causa impendi valeret annua scuta 120. assignata pro duabus puellis de terra Jovii, quae nubere velint in Domino. Pontificia haec rescripta impugnat hodie Communitas documenta adducens, quibus evinci putat rescripta a veritate aberrare, tum quod vetus Parochialis Ecclesia ruinam minatur, tum quod Parochiae incolae suum novo aedificio praebuerunt assensum, satagit proinde ut explicatur, an gratia foret exequenda et an comprehenderet etiam alios montes frumentarios? S. C. mandavit coadjuvandas probationes, et scribendum Episcopo juxta intructionem (198): *Amerina* 10. *Junii* 1741. *dub*. 1. *et* 2. Deinde definitio prodiit gratiam esse exequendam etiam quoad alios Montes Frumentarios arbitrio Episcopi, qui

(198) Datae itaque fuerunt ad Episcopum Literae, quibus jussus est S. C. referre: *An populus hodie assentiatur Fabricae novae Ecclesiae, et an ulla spes affulgeat, quod Pa-*

ejus exequutioni sedulo incumbat invigilando praesertim, ne in constructionem Ecclesiae fiant ornatus superflui, et pro tutiori, ac celeriori absolutione; quatenus opus sit, procedat etiam prout de jure, ad formam resolutionis edictae anno 1707. 26. *Januar.* 1743.

13. Petrus Sanctes Fanti Communitatem Campi Rotundi haeredem instituit sub conditione, ut reliquarum sortium fructus in assignationem dotium inopum honestarumque Virginum in summa scut. 50. pro qualibet puella erogarentur. In eo Pagotres, aut quatuor tantum quotannis puellae nubunt, ideo non nihil pecuniae in Æde sacra depositae, superest. Idcirco plures testatoris consanguinei ad hos superextantes reditus lucrandos concurrunt. Verum contra hos insurgit Communitas haeres et fructus omnes, qui detractis dotibus superextant, ad publica opera munienda et reficienda impendere autumat. Perpensum itaque est, An Communitas possit de dictae haereditatis fructibus superextantibus disponere, et in cujus favorem applicare? respondit S. C. dilata, et ad mentem *Camerinen. Subs. Dot.* 23. *Decem.* 1743. Deinde resolvit ne Communitas libere de dictis fructibus queat disponere, et docto deinde de superexistentia redituum, in casibus particularibus supplicet, et ad mentem: 29. *Febr.* 1744. *confir.* 19. *April.* 1760.

14. Interea ex praefati testatoris Consanguinea Jacobi Bonelli Vidua Francisca dotem filiae suae Annae jam Monasterium Sanctae Agnetis in Civitate Tolentini ingressae in summa scut. 300. adplicari desiderans ex voluntate fundatoris; qui Monasticam dotem inopi consanguineae suae dari voluit, rescriptum impetravit, consulendum Sanctissimum pro adplicatione subsidiorum scut. 300. in favorem Mariae Annae Theresiae filiae, et in reliquis firmetur status *Ead. Caus.* 24. *Aug.* 1748. *dub.* 2.

15. Pietate, et pecunia Sodalium SS. Sacramenti urbis Anconae erectus fuit mons, ut ejus fructibus dos praestaretur pauperi foeminae, quae meretricio quaestu relicto, in Monasterio S. Mariae Magdalenae Poenitentium ejusdem Civitatis regularem professionem emitteret. Quum in Ecclesia sodalitii quaedam sint altaria nimis antiqua, quaeque reparatione indigent, sodales cupiunt facultatem erogandi in impensam reparationis; et ornamenti altarium summam 1688. quam ex fructibus collegerant, et pro securiori dotium praestatione obferunt non generalem omnium sodalitii bonorum hypothecam, specialem fundi liberi. Audito S. C. sodalium voto annuit facta obligatione assignationis fundi statuti, et emissa obligatione generali omnium bonorum: *Anconitana* 10. *Julii* 1751.

16. Victorius Lancellottius haeredem instituens Societatem Sanctissimi Rosarii, quae Camerini in Ecclesia Patrum Ordinis S. Dominici erecta est, cum onere distribuendi quolibet anno duo dotalia subsidia scutorum centum pauperibus puellis Camerinensibus sorte extrahendis, quae monasticam vitam suscepturae forent. Alterum ex dictis subsidiis sorte obvenit Gasparae Gualtieri, quae postmodum cedere illud deliberavit puellae Venantiae Antoniae Ciotti Concivi suae; et ob id preces oblatae sunt Sanctissimo pro approbatione hujusce cessionis. Sed PP. Dominicani qui a Societate, Brevi intercedente Pontificio cessionem reoa-

rochiani manus adjutrices, aliquodve sussidium pro eadem Fabrica libenter in posterum sint praestituri, itidemque exprimat, quae summa verisimiliter exigi possit a debitoribus Montis Frumentarii a Paullo Parca instituti: Ead. caus. 26. *Januar.* 1743.

dentium subsidiorum impetrarunt pro quantitate scut. 3000. in reparationem Fabricae Ecclesiae eroganda, praedictam Gasparae cessionem oppugnarunt, et subsidium Fabricae Ecclesiae Conventus S. Dominici adplicandum censet; et puella Ciotti cessionaria sibi jure, meritoque cessum contendit, et obtinuit; *Camerinen. Subs. Dot.* 23. *April.* 1763.

17. Earum puellarum, quae ante Matrimonium perierant, dotes ad levandam inopiam Seminarii, tollendumque aes alienum adplicatae in praejudicium aliarum puellarum in locum mortuarum juxta Archiepiscopi Card. Ravennatis decretum nominandarum, validae non sunt: *Ravenaten. Subs. Dot.* 11. *Januar.* 1766. *d.* 1.

18. Illarumque etiam summarum, quantitatem, quae jam Seminario Ravennati solutae erant, restitui etiam debere praecipitur: *Ibid. dub.* 2.

19. Marcus Antonius Curroli Cavina suam haereditatem pro dote annua vel dotibus statuendis praelatis puellis familiae Artusinae reliquit, vetuitque suae voluntatis commutationem. Artusinus de Artusinis a Sum. Pontifice tenuit ob ejus rei familiaris angustiam scuta annua 50. praestanda ex fructibus superextantibus haereditatis firma manente subsidii Dotalis collatione. Sed gratia praedicta vitio subreptionis, et obreptionis infecta judicata est, ideo exequutio voluntatis testatoris mandata a S. C. fuit, et decrevit non esse locum gratiae exequutioni, facto verbo cum Sanctissimo (199): *Faventina Commut. Volunt.* 30. *Maii* 1778.

20. Johannes Surchi ex suae haereditatis fructibus dotes duodecim totidem pauperibus puellis Civitatis Ferrariae distribuendas ad scut. 16. 50. pro qualibet redactas reliquit. Anna filia Josephi Surchi exoravit pro applicatione scut. 100. ex dictis subsidiis in triennio exequenda uti habuit ejusdem soror Rosa, et interim nupsit. Itidem Ursula Mini Neptis Franciscae Surchi testatoris Proneptis easdem preces exhibuit, et interim quoque ipsa se in matrimonium collocavit. Ambae hodie preces integrant. Sed repugnantibus Sodalibus Sacrorum Stigmatum, quibus eligendi jus competit, quia jam nuptae sunt, nihil obtinuerunt. *Ferrarien. Subs. Dot.* 18. *Martii* 1780.

21. Ex designatis puellis a testatore Francisco de Rubeis inspecta redituum quantitate relicta tres tantum in uno quoque anno extrahuntur. Accidit aliquando, ut una vel altera ex dictis puellis sorte extractis innupta decedat, et sic subsidium dotale, ad opus Ecclesiae Collegiatae Ecclesia SS. Paullini, et Donati haeredem institutum revertitur. Quum autem in hoc casu nihila testatore fuisset dispositum ideo pii operis Ministri postulant facultatem erogandi in fabricam Ecclesiae recensita dotalia subsidia quae revertuntur, S. C. tamen preces rejecit licet opus pium aliquo levamine maxime indigeat: *Lucana* 22. *Maii* 1784.

22. Consulendum esse Sanctissimum pro applicatione ad decennium pro equali rata parte subsidiorum dotalium a Virgilio Antonini binis puellis oppidi Podii Mirteti relictorum in favorem Josephi, et Johannis familiae Bentivoli circumspecta eorum paupertate et testatoris propinquitate, S. C. definiit: *Nullius seu Farfen. Subsid. Dot.* 2. *Decem.* 1786. *dub.* 2.

23. Minime S. C. indulsit sodalibus Societatis SS. Benedicti et Scholasticae Nursinorum Urbis applicationem dicto Sodalitio dotium illarum quae devolutae fuerunt, ac caducitatem passae sunt: *Romana seu Spoletana Subs. Dot.* 5. *Junii* 1790.

(199) Quia gratiam per Summum Pontificem Artusinus consequutus erat.

24. Dotes annuae sex totidem scutorum pro qualibet per haeredes Francisci Viarana non collatae ad numerum 83., et in hanc tandem collationis causam solutae in manibus Parochi S. Jacobi Matiati superioris, applicantur Parochiali Ecclesiae in manutentionem ejus fabricae, et sacrae supellectilis: *Novarien*. 8. *Febr*. 1794. *dub*. 1.

25. Matthaeus Consegli Arcis Nulphae dotem scut. 25. reliquit distribuendam *per il maritaggio di una Zitella povera, parente, ed onorata in ogni anno, da aversi in considerazione dall' Erede sempre la più povera in concorso di più di una di esse in qualche anno, da soddisfarsi da esso e suoi Successori nell' atto delli sponsali e non prima*. Haeres nullum hactenus contulit subsidium tempus expectans sponsalium pauperis consanguineae hinc ei adscribi praeterita subsidia postulat, sed frustra: *Spoletana Subs. Dot*. 8. *Febr*. 1794. *dub*. 2.

26. Necnon subsidia dotalia in iis annis, in quibus nulla erit nubilis puella consanguinea, vel dotem non petierit, non esse applicanda haeredi, sed sequentibus annis esse conferenda decernitur: *Ibid. dub*. 3.

§. III.

Subsidium Dotale quoad Cautionem.

Sodales Societatis S. Apolloniae in Ecclesia S. Augustini erectae unanimi consensu adferunt S.C., ut non obstantibus disponentium voluntatibus societatisque ordinationibus, et consuetudine fidejussionem de restituenda dote si sine filiis dotata obiret praescribente, subsidia dotalia puellis conferri possint reportata juramento firmata obligatione eas restituendi, non autem cautione, quam exigere prae inopia puellarum nequeunt. S. C. decrevit ex tribus Bartholomaei nempe Bardovagni, Bartolomaei Rusconi, et Nicolai Fantozzi, ac ex reliquis aliis tribus Jacobi scilicet Coriolani, Andreae de Alexandris, et Petri della Foresta dispositionibus admitti posse cautionem juramento signatam in consignatione dotium: *Romana Subs. Dot*. 12. *Maii* 1714. *dub*. 1. *et* 2.

§. IV.

Subsidium Dotale quoad Commutationem.

1. Ex subsidiis dotalibus scut. 200. quotannis distribuendis ab Archiconfraternitate SSmae Annuntiatae in vim legati Card. Justiniani puellis Monasterium ingredi volentibus, obtinuit Francisca de Pattis, uti testatoris consanguinea ab Innocentio XI. Pont. Max. summam scut. 1200. Modo cum ad aetatem 16. ann. pervenisset, petiit pro derogatione voluntatis, ac commutatione dotium pro nuptiis temporalibus, et negativum reportavit responsum *sub die* 30. *Maii* 1699. rediit iterum jam matrimonio concluso, et S. C. recessit a decisis et praecipit Card. Protectori, ut praefata subsidia pro suo arbitrio, et prudentia Oratrici gratis applicari mandet etiam ad effectum nubendi et absque spe ulterioris incrementi, *et dummodo non transeat in exemplum*: *Romana Subs. Dot*. 14. *Aug*. 1700.

2. Ludovicus Jacobillus Legatum instituit nubendi quinque puellas pauperes, inter quas designavit nominari Mariam Blancolinam, quae adhuc innupta reperitur, et inspecta ejusdem gravi paupertate, ac sexagenaria aetate, in virgineo statu permanere cupit. Ad preces pro commutatione legati dotis scut. 100. assequendi in statu virginali S. C. annuit quoad usufructum tantum, et dummodo non adsit alia soror oratricis, quae velit nubere. Nam testator ait, *una Figlia etc., e massime Maria*: *Fulginaten. Subs. Dot*. 9. *Julii* 1701.

3. Apollonia Virginia Cursia posteaquam obtinuerat subsidium dotale scut. 50. relictum a Thoma Papinio ab Archiconfraternitate S. Joannis Decollati distribuendum puellis pauperibus nationis Florentinae praeferri jubendo, quae Monasticum habitum suscipere voluissent, postulavit, ut commutetur in dotem profanam. Nam iuvenit virum, ac habet patrem senio confectum, et extrema paupertate laborat: et petitionis salutarem effectum consequuta est(200): *Romana Subs. Dot.* 2. *Maii* 1705.

4. Quum Jo. Jacobus Baldinus haeredem instituisset Collegiatam Ecclesiam S. Urbani de terra Apiri, et praecaeteris ordinasset distributionem subsidiorum dotalium, Capitulum videns reditus haereditarii pingues admodum esse pro ista distributione cogitavit detrahi summam quamdam pro conservatione Seminarii erigendi noviter in eadem terra, et quamvis comperta fuerit erectio nimis utilis, tamen S. C. rejecit instantias, et mandavit servari voluntatem testatoris: *Camerinen. Erection. Semin.* 15. *Martii* 1710.

5. Quaedam aderant puellae cum dote scut. 500. consistentium in pluribus subsidiis dotalibus sibi collatis a diversis locis piis Urbis, quae admitti postulant inter puellas Convictrices SSmi Pueri Jesu, quae sunt simplices oblatae cum voto perseverantiae obstrictae. Dubitarunt dictae oblatae autem posse retardari per Deputatoslocorum piorum solutionem subsidiorum illorum, quia non emittitur solemnis professio in Monasterio Claustrali; hinc ut frui valeant subsidiis dotalibus quae pro Monialibus in Monasterio claustrali professionem pronunciantibus assignari solent, exorant: at S. C. sua consilia ostendit, ut recurrent in casibus particularibus: *Spoletana Subs.* 20. *Sept.* 1710.

6. Quum Monasterium Monialium S. Ambrosii Urbis expectet numerum Monialium, quae a 50. vel 60. prius numeratae, ad 22. hodie redactae sunt impares servitio chori ac aliis operibus explendis, ob id exorat pro gratia scuta bis mille ex tribus millibus multiplicatis juxta dispositionem Virginiae de Comitibus convertendi in duobus subsidiis pro geminis puellis nobilibus, qui promptae sunt ad habitum Monasticum recipiendum in dicto Monasterio. At S. C. preces non excepit. Nam testatrix praedicta haerede instituto Monasterio mandavit reditus investiri, ac cumulum conservari ad dotandam quolibet biennio [primum postea quotannis unam puellam Monasterio dicandam, quod multos exigit annos: *Romana Subs. Dot.* 28. *Febr.* 1711.

7. Johanna Lucilla de Blondis relicto haerede Monasterio Sanctimonialium SS. Bernardini, et Marthae, illi onus ex quarta parte redituum adjunxit subministrandi subsidium dotale in favorem puellarum Bononiae, si vellent professionem in dicto Monasterio emittere, *conforme sarà giudicato dalle RR. Suore Superiore*, cum praelatione descendentium familiae Boselli. Hinc pauperrima puella Antonia Catharina de Adamandis descendens ex Gente Bosella, ac testatrici consanguinea ad effectum nubendi in seculum, congruam

(200) ,, Nihilominus quemadmodum hujusmodi Indulta concedi nequeunt, nisi derogando voluntati disponentium, ita fere nunquam. aut non nisi cum magna difficultate concedi solent; remanente tamen semper justo arbitrio in casibus particularibus per S. C. impartiendo, quae nunquam annuere solet, si adsit taxativa pro Matrimonio Spirituali, et agatur de puellis extraneis; quamvis quandoque indulgeat, si agatur de puellis Testatori conjunctis, praesertim si sint descendentes, quatenus tamen non adsint aliae puellae certae nominatae, de quarum praejudicio agatur ".
Ita Card. Petra *Comment. ad Const. XII. Innoc. IV. Sect. I. num.* 24. *tom. III. pag.* 68.

postulat dotem lib. 3900., ac si professionem emitteret in dicto Monasterio, S. C. rescripsit, solutis dotibus Castellanis pro gratia ad ratam partem Legati caducati tantum. Nam hae electae fuerunt a Monialibus ad supplementum dotis Monasticae: *Bononien. Dot.* 16. *Januar.* 1717.

8. Albericus Arfilius nonnullos reditus reliquit pro Deo vovendis suis neptibus ex tribus sororibus, quatenus Monasterio dicare vellent, prius nempe pro filiabus Archangelae, secundo pro filiabus Antoniae, ac tertio pro filiabus Seraphinae, subsidium taxando pro unaquaque ex eis in scutis 500. monetae Urbini. Antonia altera ex sororibus testatoris in seculo nubere cupiens commutationem desuper expetivit testatoris voluntatis, et obtinuit Breve, quod impugnant Anna filia Archangelae primae sororis testatoris, et Felix filia Seraphinae tertiae sororis ob non factam mentionem de earum existentia. Verum exequutioni Brevis locum esse S. C. rescripsit: *Senogallien. seu Fanen. Subsid. Dot.* 19. *Aug.* 1730.

9. Quum Ludovica de Polidoris, acriter contendente Monasterio SS. Nominis Jesu, Pontificium postularet indultum, ut dotali subsidio, quod a Mutio Cappelletto Urbevetano puellae Urbevetanae Monasticam vitam amplexurae relictum fuit, et quod per Diploma Urbani VIII. in summa 400. additum est puellis in dictum Coenobium ingressuris potiri sibi liceret in altero Monasterio S. Petri, ad quod illa transierat; ponderatum fuit dubium, an precibus Ludovicae sit annuendum? rescriptum fuit dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem: *Urbevetana Subs. Dot.* 12. *Januar.* 1732. Reproducta causa pro medietate tantum assensit 22. *Martii* 1732.

10. Matthaeus Bartolaccius Mansionarius Cathedralis S. Cassani Urbis Fori Cornelii jussit, ut Haeredes sui solverent scuta bisceutum in subsidium dotale pro puella, quae vel Fori Cornelii, vel alibi religiosum statum amplexura erat. Regina Maria Ascani filia fratris Gregorii Ascani Mansionarii petiit, ut ad hoc dotale subsidium admitteretur, ut possit in seculo nubere, et ab haeredibus fidejudiciariis, et a Congregatione Mansionariorum nominationem obtinuit. S. C. ad consulendum SSmum pro nominationis sanatione non venit, sed ut uteretur jure suo respondere placuit: *Imolen. Subs. Dot.* 24. *Januar.* 1750.

11. Brigitta, et Petronilla Gaudentii, quae per duplicem foemininum gradum a Bosellis a testatrice Johanna Lucilla Biondi Bononiensi praelatis descendunt, commutationem avent voluntatis quoad Monasterium diversum ingrediendum, et at nec commutationem, neque dotes impetrarunt: *Bononien. Subsid. Dot.* 2. *Sept.* 1758. *dub.* 1. 2.

12. Maria Fioccari nonnullis Monasterio ex Monialibus S. Mariae Magdalenae Civitatis Vallettae relictis legatis, haeredem ex asse instituit pium distribuendarum dotium opus. Distributio ex fructibus haereditatis facienda erat hoc modo. In favorem puellarum ex quinque designatis familiis descendentium quantitatem dotis praefinivit in scutis 1000. pro qualibet in Domino nuptura: et quoad solas descendentes ex tribus ex praedictis familiis dotem scut. 100. tradi jussit etiam in casu matrimonii carnalis. His vero puellis deficientibus praecepit haereditarios reditus in dotandis mulieribus poenitentibus cuilibet assignando scuta 100. in actu regularis professionis emittendae in praefato Monasterio S. Mariae Magdalenae, impendi. Tandem voluit, ut si haec quoque poenitentes Mulieres deficerent, vocarentur Virgines relin-

quendo cuilibet puellae sibi sanguine conjunctae scut. 100. pro dote temporali puellis vero pauperibus quibuscumque scuta 1000. pro dote spirituali, vel scuta 100. in casu nuptiarum. Legata relicta suscepit praedictum Monasterium, sed quum exequutores testamentarii elegissent duas Mulieres poenitentes, renuerunt moniales illas admittere sub spe commutationis voluntatis, ut reditus non poenitentibus Mulieribus, sed pro virginibus in religionem ingredientibus erogarentur. S. C. tamen exequi testatricis voluntatem, neque esse locum commutationi sententiam tulit: *Melevitana Commutat. Volunt.* 19. *Sept.* 1761.

13. Quum actum fuisset, an sit consulendum SSmum pro commutatione voluntatis Francisci Terranova, Scholasticae Vincisfora, Mariani Balli, et Didaci Adragna, qui reliquerunt Domui puellarum parentum orbatarum urbis Alcami bona pro distributione inter illas puellas dotium. Et deficientibus reditibus pro necessaria manutentione puellarum, aliarumque Monialium ad illas educandas petiit Domus praedicta bonorum illorum reditus in alimoniam earumdem convertere; S. C. dilata, et ut scribatur Episcopo juxta instructionem (201) rescripsit: *Mazzarien.* 9. *Sept.* 1775. *dub.* 2. Deinde placuit respondere affirmative juxta votum Episcopi anni 1776. (202): 19. *Julii* 1777.

14. Lucia Sgarronia SSmi Salvatoris supra Minervam haeredem instituit, ut binas quotannis in summa scut. 25. Romanis puellis, quae in Domino nuberent, dotes conferret. Onera puellis dotatis in pagella dedit, ut semel in mense defunctorum Officium, vel integrum B. M. V. Rosarium, alterumque Rosarium SSmi Salvatoris in hebdomadis singulis, donec vixerint, recitarent. Sodalitii Deputati, probantibus Confessariis, institerunt pro commutatione voluntatis, proque imparis oneris moderatione, et puellarum conscientiae, et testatricis animae consulendo. Annuit S. C. mandans, ut annuae Missae duodecim in suffragium animae testatricis ex redundantibus ejusdem haereditatis fructibus celebrarentur: *Romana Commut. Volunt.* 14. *Martii* 1789.

§. V.

Subsidium Dotale quoad Cumulum.

1. Catharina Castiglia cupiens juxta ejus conditionem nubere cuidam nobili viro, quum dos materna fuerit dilapidata a patre, postulat assignationem dotium, quae distribuuntur in Urbe ab Archiconfraternitate SSmae Annuntiatae, et ab aliis Sodalitiis usque ad summam benevisam, et tenuit Breve Pontificium pro assignatione usque ad summam mille persolvendam sequuto matrimonio. At renuentibus Sodalibus, ut subreptitie obtentum ob mentem contrariam Benefactorum illud Breve exequutioni demandare ad quaesitum, an sustineatur? rescripsit dilata, et ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem: *Romana Brevis* 1. *April.* 1702. Deinde decrevit non constare de subreptione 13. *Maii ejusd. anni.*

2. Perla, Clara, et Catharina Sorores de Zaccardinis in extrema egestate constitutae supplicarunt SSmo, ut ex fructibus spatio annorum duodecim exigendis viginti sex locorum montium

(201) „ Quae fuit, ut minori, quo fieri posset, expensa, firmaretur status haereditarius uniuscujusque ex dictis quatuor piis testatoribus, de quorum commutanda voluntate quaestio proponitur, auditis interesse habentibus “ *Eod. caus.* 5. *Julii* 1777. §. 1.

(202) „ Nempe quod fructus assignati pro Dote a Scholastica Vincifora impendantur pro alimentis puellarum Conservatorii, quousque necessitas perduraverit, non autem pro expensis Sacristiae “ *Eud. caus.* 19. *Julii* 1777.

non vacabilium relictorum per Caesarinam Zaccardinam pro subsidiis dotalibus quolibet anno constituendis quatuor pauperibus Virginibus, sibi ipsis pro virili assignari demandaret, et reportarunt gratiam ad triennium, at in expeditione Brevis salva fuit praeservata Auctoritate S. C. Ob id in dubitationem adducuntur, an esset locus assignationi dotis super fructibus locorum Montium in favorem Perlae, Catharinae, et Clarae de Zaccardinis juxta Breve Clem. XI. emanatum post rescriptum S. C. sub. die 21. April. 1703. et quatenus negative.

3. An sit concedenda nova gratia, et pro qua summa? S. C. rescripsit affirmative quoad Claram, et Catharinam, negative autem quoad Perlam, quum esset nupta, et quoad secundum jam provisum: *Nepsina Dotat.* 14. *Junii* 1704. *dub.* 1. *et* 2.

4. Deinde requisitum fuit, quo modo praefata gratia concessa ad triennium sit intelligenda? rescripsit gratiam intelligendam esse ad annum pro qualibet ex duabus Oratricibus: 30. *Aug. ejusd. anni.*

5. Denique dubio, an sit locus assignationi dotis in favorem Clarae Zaccardinae etiam quoad ratam partem assignatam Catharinae ejus sorori praemortuae? responsum negativum datum est. 2. *Julii* 1707.

6. Quum postulassent Rosa Maria aetatis an. 25. filia Augustini de Barberiis, et Catharina an. 21. nata soror germana alterius Augustini de Barberiis puellae nubiles inopia laborantes pro consecutione subsidiorum dotalium, quae distribuenda reliquit Angela Francisca Bartolacci uxor Marci Antonii de Barberiis Societati SS. Stigmatum Urbis in favorem puellarum prima pro obtinendis ad viginti annos illis dotibus quae distribuuntur a Guardianis Societatis, altera quae erogantur ad nominationem haeredum testatoris patrui, S. C. rescripsit pro meliori informatione juxta instructionem (203): *Romana seu Ventimilien. Subs. Dot.* 24. *Januar.* 1711. Postea decrevit negative quoad Rosam Mariam, quo vero ad Catharinam indulgendum esse pro dotibus unius anni tantum: 14. *Decem. ejusd. anni.*

7. Bonaventura Carusius Congregationi nobilium loci Montisalti, qui haeredem recitavit, mandavit, ut alternatim, ac annuatim fructus haereditatis erogetur in favorem pauperum, ac pro dote puellae pauperis. Julia Rocchi pauper S. C. narravit, quod conjuncta consanguinitatis gradu secundo, ac tertio sit testatori, et quod Monasticam vitam amplecti cupiat; idcirco consequi optat reditus haereditatis usque ad ducat. 200. S. C. precibus annuit pro reditibus unius anni tantum, in qua fieri debet erogatio dotis: *Consentina Subs. Dot.* 7. *Febr.* 1711.

8. Bernardus Splues reliquit bona pro distributione dotium puellis popularibus, in duc. 70. praeligendo conjunctas, et quoad filias Didaci Vargas Splues nepotis augeri voluit usque ad duc. 400. occasione Matrimonii. Modo insurgit Margaritha Romanazzi Splues, se ex linea contemplata provenire asserens, et petit dotem ducat. 400. inspecta ejusdem inopia. S. C. censuit instantiam hujusmodi rejicendam: *Monopo-*

(203) Quae extitit, an Oratrices praefatae sint conjunctae praedicto Marco Antonio testatricis viro, et in quo gradu, transmittendo ad hunc effectum arborem distinctam, necnon quae bona possideant tam Pater, quam Mater, vel alii earum Ascendentes, vel Patrui, si qui adsint, ac ulterius, quae sit quantitas dotis dari solitae puellis ejusdem conditionis pauperibus, et tandem, an ipsae Oratrices habeant alia bona aliunde obvenientia: *Ead. caus.* 12. *Decem.* 1711.

litana Subs. Dot. 3. *Sept.* 1701. ac postea quum esset jam nupta, rediit, et eamdem repulsam passa est: 16. *Maii* 1711.

9. Jo. Stephanus Roccatagliata Januensis in favorem consanguineorum nonnulla subsidia dotalia distribuenda relinquit scut. 50. pro qualibet. Exposcit Maria Camilla Ciapona in Urbe nupta Antonio Ciapone oriundo pariter ex Urbe Januae se in summa rerum inopia constitutam esse ac in quarto gradu consanguinitatis testatori conjunctam, ac petiit in summa scut. 500. geminatam dotem uti habuit ejus genitrix, et licet nata sit Romae S. C. gratia pro scut. 200. concessit: *Romana seu Januen. Subs. Dot.* 23. *Junii* 1714.

10. Haereditate Domitii Scogli ex fideicommisso delata ad Nicolaum, et Franciscum Vanucci cum onere quolibet anno solvendi puellis Amerinis ex honestibus parentibus natis tria subsidia dotalia scut. 25. pro quolibet. Horum soror Catharina pauperima, *et cujus propter paupertatem* (ut refert Ordinarius) *pudicitia periclitari posset* postulat sibi adjudicari ex illis scut. 500. considerata consanguinitate cum testatore. S.C. precibus adhaesit usque ad scut. 200. ex dotibus tamen conferendis ad nominationem Fratrum Oratricis, solutis prius omnibus dotibus jam promissis, et Episcopus assumat administrationem locorum Montium auctoritate S.C. et pro tempore arbitrio ejusdem S.C.: *Amerina Dot.* 5. *Sept.* 1716.

11. Caesar Valentinus Professor Juris Pontificii Romae reliquit suam haereditatem erogandam in distributiones subsidiorum dotalium in favorem puellarum. Nunc Aquila Valentina testatoris Agnata, ac in sexto gradu ei conjuncta, rogitat congruam sibi assignari dotem pro aliquo Urbis Monasterio, vel Arcis Antiquae. S. C. indulsit gratiam pro summa arbitranda Card. Praefecto: *Romana seuSabinen. Subs. Dot.* 24. *April.* 1717.

12. Quoad cumulum petitum subsidiorum dotalium usque ad congruam dotem in favorem Sororum, filiarum, et neptum Francisci, et Constantii de Surchis testatoris agnatorum, et haeredum fideicommissariorum prodiit rescriptum, ut recurrant in casibus particularibus: *Ferrarien. Reduct.* 14. *Novemb.* 1716. *dub.* 3. Hinc Blanca annorum 34. Anna annorum 31. filiae dicti Francisci, et Clara annorum 20. et Rosalia annorum 16. neptes ex filio quarto gradu respective conjunctae deprecantur sibi assignari scuta mille pro qualibet ex subsidiis dotalibus distribuendis puellis pauperibus. S. C. rescripsit affirmative quoad decem annua subsidia dotalia pro qualibet ex Oratricibus puellis Ferrariensibus distribuenda pro arbitrio, et conscientia Card. Episcopi, ita tamen ut firma remaneat distributio aliorum duorum subsidiorum puellis Villae Gradizzae, et subsidia dotalia elapsa, et decurrenda deponantur in aede sacra, neque consignentur, nisi in actu dotationis: 19. *Junii* 1717.

13. Quum Petrus Leonius Nepos ex Sorore, ut asserit, pii testatoris Bartholomaei Lupardi petiisset pro gratia applicationem in favorem Annae Theresiae, et Columbae ejus filiarum trium subsidiorum dotalium pro qualibet, ad effectum profitendi vitam Monasticam in Urbe in Monasterio Infantis Jesu, S. C. eis assignandas non esse decrevit addendo, et servetur mens testatoris. Nam testator licet praeelegi mandaverit descendentes puellas, tamen voluit, ut hae pridem assequutae fuerint ab Archiconfraternitate SS. Stigmatum dotes, servatis conditionibus ceteris etiam extraneis injunctis: *Romana Subs. Dot.* 11. *Sept.* 1717.

14. Eques Joannes Laurentius Berninus distributionem dotium in favorem puellarum reliquit, ac neptibus suis quinque scut. 1000. pro qualibet, dummodo vitam Monasticam susciperent. Ideo Victoria Landi una ex dictis neptibus supplicat pro cumulo dotium scut. 400. in favorem ejus filiae pro dote Monastica, licet emiserit professionem regularem in Monasterio S. Clarae Velitris. S. C. respondit affirmative usque ad scut. 400. comprehensis scut. 50. jam exactis: *Romana Dot.* 2. *Octob.* 1717.

15. Maria Boncompagna scripto haerede Thoma nepote distribuenda reliquit Archiconfraternitati Annuntiationis 4. subsidia dotalia scut. 50. pro qualibet quatuor pauperibus Virginibus monasticam vitam electuris. Angela Thomae filia postulat cumulum scut. 400. ut possit profiteri; ostendit suam sanguine conjunctionem cum testatore, et exempla similium concessionum. S. C. misericordiam commovit: *Romana Dot.* 24. *Sept.* 1718.

16. Paullus Agliata de terra Petragliae inferioris in testamento disposuit, ut ex 100. unciis, quinque quolibet anno nuberentur puellae, *orfane di Padri, povere necessitose, di età d' anni quindici per sino all' età d' anni venticinque, quali orfane abbiano da essere figlie di Donne onorate necessitose, e pericolose*. Nonnullae testatoris proneptes in maxima egestate constitutae, sed non orphanae, precatae sunt pro benigna assignatione duplicis annualitatis; verum eas S. C. non exaudivit: *Messanen. Subs. Dot.* 19. *Novemb.* 1718.

17. Constituta controversia inter Congregationem B. M. Virginis, ut vocant, *de Platea* institutam haeredem a Raphaele, et Jo. Baptista Fratribus de Conversinis, ac Equitem Lambertum de Conversinis, qui postquam juxta legem, et praelationem testamenti dotem conflatam ex fructibus haereditatis pro singulis duabus filiabus obtinuerat, impetravit a Clemente XI. assignari filiae majori natù proventus ejusdem haereditatis per alios duos annos, demandata simul annua versione fructuum hujus fundi in novam sortem, quousque puella nuptias contraheret, eamdemque gratiam pro altera filia secundo genita fuit assequutus ex rescripto Benedicti XIII., atque insuper impetravit ab eodem Pontifice per literas Apostolicas attribui cuique ex dictis suis filiabus in causam dotis fructus memoratae haereditatis per alios quinque annos. At ortam controversiam, num Apostolicum Breve foret executioni mandandum? S. C. diremit responsione affirmativa, quoad subsidia dotalia assignata filiae majori natu dumtaxat, non obstante declaratione a testatoribus adjecta, *che quella Fanciulla, che avrà ottenuta la dote un anno di qualsisia Famiglia, non possa concorrere, nè conseguire in altri anni, ma ciascheduna sia contenta d' una sola dote*: *Pistorien. Subs. Dot.* 22. *Sept.* 1731.

18. Petens vero idem Lambertus exequutionem Brevis Apostolici etiam quoad filiam secundo genitam agentem jam vigesimum suae aetatis annum, nuptiasque seculi optantem, eo quod se imparem ad congruam ei dotem constituendam agnosceret juxta stylum nobilium illius Civitatis familiarum, quod fuit etiam ab ipso Episcopo confirmatum, accepit responsum negativum: 2. *Junii* 1742.

19. Petrus Jacobus Baldinus ex oppido Apiro, quaedam relinquens subsidia dotalia pauperibus puellis quotannis assignanda in scutis 50. studuit inquirere, utrum Fabriani, et in oppido *Serra de Conti* existeret aliqua puella de domo Baldinia, aut ad di-

etam domum attinens; ad quam tria, vel quatuor subsidia adplicari possent. Idcirco Maria Jacoba et aliae filiae Petri Jacobi Ursini testatoris fratri affines commutationem voluntatis ad dotalia subsidia cumulatim assequenda supplicant; responsum tulerunt consulendum Sanctissimum pro assignatione scut. 200. pro qualibet: *Camerinen. Subs. Dot.* 8. *Aug.* 1733. *d.* 1. 2. *et* 3.

20. Johannis Amadio Panormitanus ab haerede Johanne Pavano et Rizzo uxore Johannis Francisci Gherardi ex Januensi Urbe oriundi reliquit decem dotes pro maritandis decem puellis Virginibus pauperibus, filiabus legitimis, et de legitimo matrimonio procreatis, ac de filiis Januensium, vel de filiis filiorum Januensium. Bernardus filius naturalis memorati Johannis Francisci Gherardi rescripto Principis legitimatus, in summa egestate constitutus orat, ut praevia Apostolica testamenti commutatione, subsidia dotalia singulis ex decem praedictis puellis quotannis assignanda in summa unciarum viginti, in dotem ejus trium nubilium filiarum per viginti annos erogentur. Sed S. C. per decennium ei tantum indulsit: *Panormitana Subs. Dot.* 20. *Aug.* 1735.

21. Jo. Baptista Bellonus Fratribus Conventus S. Nicolai de Tolentino haeredibus ab se scriptis injunxit onus tres honestas in summa scut. 50. dotandi puellas, in religionem ingressuras. Praecepit insuper, ut si sua affinis, vel consanguinea adesset, duplicem haec assequeretur dotem, si Monasterium vellet ingredi, si vero in seculo nubere cuperet, solum scuta 50. obtineret. Anna Cecilia Bamboccі septimo gradu testatori sanguine juncta et nimia paupertate pressa petit, ut sibi dos usque a scuta mille geminetur, a testatoris voluntate petitionem alienam fratres praedicti ostendunt, et petitioni S. C. non annuit: *Romana Subs. Dot.* 15. *Decem.* 1736.

22. Pier-Sanctes Fanti haeredem scribens Communitatem oppidi Campi Rotundi, eam gravavit de distributione dotium pro maritandis puellis in summa scut. 50. pro qualibet facienda. Philippus Bezzi in tertio gradu testatori conjunctus, et numerosa gravatus familia, Sanctissimo supplicavit, ut, praevia voluntatis commutatione, dotem geminaret pro unica sua filia, et pro tribus ex Valentino filio neptibus: Impetravit orator pro gratia applicationem scut. 300. in favorem filiae, scut. vero 200. in favorem cujuslibet ex neptibus; sed Communitatis Praesidibus sese literarum Apostolicarum in forma Brevis executioni subreptionis causa opponentibus, disputatum fuit, an praedictum Breve sit exequendum? rescriptum prodiit, dilata, et Episcopus, praevia firmatione status referat tam super summa, quae ex reditibus haereditariis superextare debere, quam super numero puellarum jam extractarum habentium requisita a testatore statuta: *Camerinen. Subs. Dot.* 17. *Aug.* 1737.

23. Anna Maria Renda subsidium dotale a Marco Antonio de Florentiis in scut. 30. pro qualibet ex duobus relictum petens in geminata summa 300. contradicente Equite Virgilio de Florentiis consanguinitatem Oratricis cum fundatore, et probante, illam jam fuisse nuptam antequam preces Sanctissimo exhiberet, non impetravit: *Romana Subs. Dot.* 1. *Aug.* 1739.

24. Maria Attilia Francisca Paluzzia testatoris Raymundi Innocentii Musetti in Curia nostra Advocati, proneptis, unam, ex portionibus annorum scut. 60. pro Virginibus educandis assignatis, obtinuit. Nunc Sacras in Monasterio S. Silvestri vestes adsumere cupiens, vidensque imparem esse ad hoc onus

subeundum rem familiarem, postulat subsidium in causam expensarum parapherni et annuorum scut. 22. in causam praestationis livelli; obtinuit juxta votum Card. Vicarii, qui quoad dotem exigendam in annuo reditu scut. 60., non vero quoad loca Montium, atque annua scut. 22. adsignanda in causam parapherni atque annuae praestationis, votum aperuit: *Romana Subs. Dot.* 26. *Martii* 1746. *d.* 1. *et* 2. Quum Silvester Posthumi rescivisset Attiliam in pari consanguinitatis gradu ac filiam suam existentem testatori adeptam fuisse dotem, libellum exhibuit, quo narrabat dictam Attiliam falsam fecisse narrationem, et dictum ideo fuit dilata, et ad mentem: 27. *Aug. ejusd. anni.* Verum dictum postea fuit in decisis: 17. *Sept. ejusd. anni.*

25. Maximilla Bronconia Canonicas Congregationis Lateranensis S. Mariae de Pace in Urbe haeredes instituens, onus eis dedit, ut singulis annis filiabus natis, et nascituris Laurentii Boccalarii Patruelis sui dotem scut. 25. juxta aetatis ordinem distribuerent, quousque vel ad religiosum, vel ad secularem statum transirent; et praecepit insuper, ut idem dotale subsidium praestarent alteri puellae, ut proximioribus sibi conjunctis, quae Monasticam tantum vitam eligeret exclusis caeteris, quae seculo vale dicere nollent. Caecilia, et Rosa ex filio Clemente Laurentii Boccalari Nepote parentibus orbatae aeque ac pauperes subsidium dotale singulis annis, donec in seculo, vel in Domino nupserint, postulant, et ad tollendum omne dubium Sanctissimum pro eorum adplicatione consulere satagunt; et revera Sanctissimum pro ipsorum quatuor subsidiorum dotalium adplicatione pro qualibet ex Oratricibus, etiam ad effectum nubendi in seculo consulendum esse, firmatum fuit: *Romana Subs. Dot.* 9. *Julii* 1746. *dub.* 1. *et.* 2.

26. Paullus Paganini collatis bonis Archiconfraternitati SS. Annuntiationis Urbis mandavit dotium distributionem, voluitque ut jus nominandi puellas spectaret pro parte dimidia ad sodales ipsius Societatis, pro alia ad Magdalenam pronepotem suam nuptam Theodosio Rubeo, S. C. decrevit subsidia dotalia, quae pro medietate distribuuntur haeredibus quondam Magdalenae Paganini, et vigore Brevis Benedicti XIII. obtenti a Felice Trulli filiae Margarithae Rubei pro filiabus ob cumulum, apparent assignata filiabus Felicis Trulli, non deberi Virginibus de Rubeis: *Romana Subs. Dot.* 30. *Martii* 1748. *dub.* 2.

27. Accidit dubitatio, an in casu, quo dicta subsidia non sufficiant pro alimentis, et dotibus dictarum Virginum de Rubeis, quae sunt numero sex eisdem providendum sit pro supplemento ex altera medietate eorumdem subsidiorum, quae distribuuntur a Archiconfraternitate SSmae Annuntiatae Urbis?

28. Et an dictis Virginibus assegnanda sint dicta subsidia, quae ut supra distribuuntur ab eadem Archiconfraternitate, et in qua summa pro earum qualibet? Respondit S.C. Affirmative juxta mentem (204): *Ibid. dub.* 3., *et* 4., ac confirmavit, addendo, et quoad summam subministrentur alimenta in scutis tribus Menstruis pro qualibet, subsidia vero dotalia juxta eorum statum, et praesentem conditionem, ita tamen ut nubentes in Domino nubant extra Urbem, et ad Card. Praefectum pro exequutione: 3. *Aug. ejusd. anni.*

29. Opus fuit declaratione, an quantitas dotium debitarum dictis Sorori-

(204) Mens vero fuit, ut „ Card. Praefectus procederet ad exequutionem cum Card. Protectore " *Ead. caus.* 6. *Maii* 1752. §. *Romana.*

bus de Rubeis sit nunc taxanda, et in qua summa, sive in Domino, sive in seculo nubant? remissum fuit ad Card. Praefectum cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis juxta mentem: *Ead. Caus.* 8. *Julii* 1752.

30. Deinde in eadem S.C. petitum fuit a Julio de Rubeis filio Vincentii Philippi habentō unicam filiam Annam, ut ex medietatė dictorum subsidiorum dotalium eidem filiae congrua dos concederetur ob sanguinis conjunctionem, et paupertatem, et disputato dubio an et in qua summa sint constituendae dotes? affirmative respondit juxta votum Card. Protectoris (205) *Ead. caus.* 29. *Aug.* 1767. *dub.* 2.

31. Antonius Coccolinius sex subsidia dotalia singulis annis die festo D. Antonini Patavini praestari voluit totidem puellis pauperibus, honestis, et quae certis, designatisque oppidis natae essent. Cavit tamen, ut si puellae adessent de domo Coccolinia sive maritandae sive religionem amplexurae, tunc et eo auro una ex iisdem puellis sex praedicta subsidia consequi debeat. Andreas Razzi exemplum Mariae Rosae Perazzini testatoris cognatae, quae sex haec dotalia subsidia consecuta est, sequutus pro filia sua Maria Rosa eidem testatori sanguine conjuncta eadem subsidia postulavit, et obtinuit: *Pisana Subs. Dot.* 3. *Aug.* 1748. *confir.* 14. *Decem. ejusd. anni.*

32. Salvator Scandelloni legavit Capitulo Cathedralis Veliternae scut. 7600. ut ex eorum fructibus octo subsidia dotalia pauperibus ex ea urbe puellis traderentur, certa assignata quantitate scut. 25. pro quolibet subsidio. Legem autem praelationis fuit haec ut nempe, si ad hujusmodi dotalia subsidia obtinenda concurrerent puellae consanguineae in gradu etiam remoto, hae praeferrentur ceteris, quoniam sic aequum esse videtur ipse testator ait. Haeres scriptus fuit filius Appolloniae sororis testatoris, Antonius; et ab eodem Antonio descendentes Catharina Victoria, et Theodora Poloni puellae pauperes postularunt dotem, ejusque adplicationem et cumulum, et in summa scut. biscentum pro qualibet, comprehensis subsidiis eisdem jam distributis, obtinuerunt: *Veliterna Sub. Dot.* 1. *Martii* 1749.

33. Angela Maria Giorgi Proneptis Appolloniae supralaudati testatoris, eadem ratione idem petiit dotale subsidium, sed quia est nobilior in scut. 2000. sibi deberi autumat. Verum S. C. pro summa scut. 800. partitim assignanda juxta votum Card. Episcopi (206) rescripsit: *Ead. caus.* 8. *Junii* 1771.

34. Victoria praedicta, quae dotem in summa scut. 200. retulerat, quum resciverit alteri puellae Angelae Mariae Giorgi Consobrinae suae, Capitulo annuente, ex dictis subsidiis dotalibus assignatam fuisse dotem usque ad scut. 800. hujusmodi exemplo permota eamdem petit summam, computata tamen ea, quam consequuta est. Sed quum Capitulum ostendisset, Victoriam ne-

(205) Protector haec habet „ Cum inter descendentes Theodosii de Rubeis recenseatur Julius Orator, aequitati non minus, quam rationi ipsius preces consentaneae videntur adeo ut Sacer iste ordo, ubi in meam veniat sententiam aliquam annuam quantitatem ex fructibus dimidiae partis dotalitii Paganini ad successores respectu juris nominandi spectantis statuere possit ex qua tum diurna alimenta, tum dos congrua Annae de Rubeis praestari possit, urgentibus praesertim in id exemplis supplici libello indicatis. Et quemadmodum alias pro alimentis annua quantitas scut. 36., pro dote autem quantitas scut. 700. pro nuptiis carnalibus, pro spiritualibus vero scut. 745. praescripta fuit, ita Orator contentus esse deberet, quoties ab exemplis in hac parte minime recederetur. Porro sententia haec mea quidem est, estque Sodalium „. *Sub die* 8. *Aug.* 1767. §. *Emus.*

que nobilitate, neque inopia esse cum puella Giorgi comparandam, nonnisi alia centum obtinere potuit: *Ead. caus.* 13. *Febr.* 1773.

35. Eademque Victoria non contenta summae scut. 300. bis relatae, iterum preces porrexit, ut parem cum antefata Angela Maria Giorgi dotem donaret, at Capitulo acerrime contendente augmentum illi negandum esse ex voluntate testatoris, qui in dubietate, arbitrium totum dedit Card. pro tempore Episcopo Veliterno, ut ipse definiret, et qui jam judicium praebuit de dote jam reportata, Victoria nil amplius assequi valuit. *Ead. caus.* 30. *Julii* 1774.

36. Maria Thomassina Multedo puella Januensis a summo Pontifice quaesivit, ut quum testatori Caesari Columbi, qui annualitates pauperibus collocandis puellis, et egenis civibus praeventivis vetitis assignationibus, et respectu humano inhibito reliquit, arcto sanguinis vinculo conjuncta sit, ex annuis reditibus scut. 283. sibi scuta 166. in causa suae congruae dotis per annos 24. assignarentur. Verum nullam obtinere summam valuit: *Januen. Subs. Dot.* 7. *April.* 1753.

37. Johannes Petrus Praevitalis haeredem nuncupans Sodalitium Urbanum SS. Bartholomaei, et Alexandris Nationis Bergomensis, adjecit onus, ut pauperes ejusdem Nationis puellas in scut. 30. dotaret. Laurentius Praevitalis Agnatus instat pro assignatione congruae dotis unicuique ex suis filiabus facienda praeter illam, seu illas eis jam debitas ad formam judicati in summa 30. et orat pro dispensatione testatoris Johannis ad assequendam dotem longe majorem consanguineis, et descendentibus, ut ipse dicit debitam; et repulsus fuit: *Romana Subs. Dot.* 17. *Januar.* 1756.

38. Quum Comes Philippus Anatamorius, cui testator Julius Selvaggio reliquit jus nominandi puellam tantum Regionis illius, inqua distributio aliarum pro dotibus scut. 25. pro qualibet fieri debebit, flagitasset in favorem filiarum dotem scut. 3000., tum ratione honestatis familiae, tum sanguinis conjunctione cum testatore, et ageretur de eligendis personis incertis omnino, S. C. tamen assignandas esse praecepit dotes in scutis mille pro qualibet: *Romana* 21. *Maii* 1757. *dub.* 2. *confir.* 28. *Januar.* 1758.

39. Petrus Jacobus Rodulphus legata pia reliquit pro subsidio dotali, pauperi alicui honestaeque puellae Perusinae ab exequtoribus testamentariis nominandae distribuendo. Joseph Rastellius, ad quem ex substitutione delata fuit Rodulphi haereditas, cumulum dotis desiderio tenet vigore sanguinis quo testatori consanguineas praeferenti jungitur, pro paupere, honestataeque sorore, et meruit assequi ad decennium incipiens ab anno 1752. inclusive, sorori dotem, quae in annuis scutis 18. coaluit: *Perusina Leg. Dot.* 4. *Maii* 1758.

40. Johannes Surchi Ferrariensis haeredes gravavit de dotandis quotannis

(206) Qui singulis mature perpensis; concludit „ Ætate, genere, ac indigentia Oratricis, pauperum puellarum copia aliisque facti circumstantiis sedulo perpensis ex animo sentio, nimirum satis coaevum fore, ut eidem Oratrici in dotis causam indulgeatur applicatio subsidiorum, de quibus agitur, non tamen ultra scut. 800. eorumque solutio distribuatur in singula centena quotannis praestanda. Sic enim ex scut. 800. hujusmodi, aliisque ducentis a dote materna Oratrici obvenientibus, conficietur dos scut. 1000., qua honeste, et decenter, quantum satis sit, nuptui collocari queat. Eorum vero scut. 800. solutio distributa in annua singula centena nihil impediet, quominus adhuc quotannis ex reliquis aliis scutis centum quatuor subsidia conferantur in alias totidem puellas Civitatis „: 8. *Junii* 1771. §. *Emus*.

duodecim puellis pauperibus in summa redacta scut. 10., et 50. pro qualibet. Theresia Poletti, quae filia est Antoniae Surchi testatoris agnatae, et quae paupera est, et orphana, et e numerosa patris defuncti et decocti familia, supplicavit pro dotis assignatione in summa scut. 500. ex praedictis subsidiis erogandam; et obtinuit juxta votum Card. Archiepiscopi, qui in scutis centum ei dotem assignari posse arbitratus fuit: *Ferrarien. Subs. Dot.* 22. *Novem.* 1760.

41. Anna filia Josephi Surchi preces exhibuit ad duo assequenda dotalia subsidia per triennium solvenda, et interim nupsit. Itidem Ursula Mini neptis Franciscae Surchi testatoris Proneptis easdem preces porrexit pro ipsamet dote referenda ex dictis subsidiis, et interim ipsa quoque in matrimonium se collocavit. Ambae hodie preces integrant, sed oppositores habent Sodales SS. Stigmatum, quibus eligendi jus competit, rationemque eas jam esse nuptas in medio proferunt. Itaque apud S. C. ratae preces non fuerunt: *Ead. caus.* 18. *Martii* 1780.

42. Episcopus Fani 30. Decem. 1758. habilitavit vigore rescripti S. C. filias Francisci Beccari ad assequutionem subsidiorum dotalium piae haereditatis Luci Salvi juxta petitum numerum in scut. 300. pro qualibet, inde novum edidit decretum 20. Julii 1759. quo praecepit consignari eidem Francisco scut. 600. ex pecuniis dictae haereditatis, quae asservabantur in Arca depositi existente in Monasterio S. Caroli terrae Urceani, cujus terrae pauperibus puellis reditus distribui solent. S. C. vero instantibus Urceanensibus labefactari decrectum Episcopi super consignatione scut. 600. circumscripto etiam decreto Episcopi diei 30. Decem. 1758. super assignatione declaratum fuit. Nam silentio servata fuit prohibitio expressa testatoris erogandi reditus in alium usum, quam dotationis pro puellis contemplatis: *Fanen. Subs. Dot.* 14. *Febr.* 1761. *dub.* 1.

43. Caesar Valentinus sexto gradu a testatore Caesare Valentino dotium puellis maritandis distribuendarum Fundatore distans, pro suis filiabus Lucretia, et Prudentia congruam petit dotem; et in summa scut. 500. pro qualibet adepta est: *Romana, seu Sabinen. Subs. Dot.* 25. *April.* 1761.

44. Octavius Mazzarocchius de terra Poli Tyburtinae Dioecesis haeredem instituens Conventum, et Ecclesiam XII. Apostolorum Urbis, jussit, ut decem subsidia dotalia totidem puellis distribuerentur. Maria Magdalena, Felix Geltrudes, et Francisca Antonia Coccia sorores, exemplum sequutae Catharinae Leoni pii testatoris cognatae, quae dotem in scutis 500. obtinuit, eamdem dotem, utpote et ipsae testatoris consanguineae, postulant, et a postulatione rejectae sunt: *Romana seu Praenestina Subs. Dot.* 18. *Julii* 1761.

45. Gaspar Perez Vergueiro ab haeredibus quasdam dari voluit dotes in scut. 30. praeter scuta quinque pro veste, totidem puellis tam Romanis quam exteris pauperibus in Urbe morantibus ex urna in Ecclesia S. Antonini Nationis Lusitanorum extrahendis. Gaspar Payua Lusitanus in urbe degens numerosa gravatus sobole, medicam exercens artem testatori in undecimo gradu distans cumulum datis pro filiabus in scut. 1000. constituenda implorat. Rogatus Card. Protector ejusdem Ecclesiae retulit, satis probatum non videri per gradus distinctos cognationem Oratoris cum pio testatore, et censuit quod ejus filiae exaudiri possint cum assignatione certa ad tempus benevisum annuorum duorum ex dictis subsisidiis dotalibus Perez, una cum assignatione, quae datur pro vestibus us-

que quo censeatur eis decenter provisum pro monasterii earum statuti, et conditioni congruis ut ita consulatur earum indigentiae. Idcirco obscurum fuit an locus sit assignamento subsidiorum dotalium Oratoris filiabus? rescriptum fuit negative, et ad Card. Praefectum ad mentem: *Romana Subs. Dot. 12. Decem. 1761.*

46. Anna, et Angela Stoppini de terra Cottanelli ex pii Cognati Caesaris Valentini haereditate, SS. Annuntiatae sub lege distribuendi maritandis puellis dotem relicta subsidium dotale ad exemplum aliarum consanguinearum quae idem subsidium jam antea tenuerant, et dotem unaquaeque in scut. 300. assequi meruerunt: *Romana seu Sabinen. Subs. Dot. 27. Martii 1762.*

47. Paullus Mangoni civis Narniensis haereditatem Angelae filiae suae Comiti Francisco Scotti nuptae reliquit cum onere dotandi puellas in seculo, vel in Domino nubentes, et eligi voluit a congregatione Laicorum sub auspiciis Nativitatis B. M. V. erecta in urbe Narniae, puellas originarias quae sint honestae conditionis, et bonae famae, et congruae aetatis, ac magis pauperes, et egenae, arbitrio eorumdem electorum, quorum in hoc onere conscientiam, et facultatem praeterea eisdem dedit taxandi numerum dictarum puellarum dotandarum, et quantitatem dotis assignandae. Ob id idem Comes Scoti solicitus fuit, ut suspensa distributione puellis extraneis, dos constitueretur tribus filiabus, utpote testatori magis, et in quinto gradu consanguineis. S. C. auxiliata eum est, ut nempe dos in scut. 300. pro qualibet coacervandis ex medietate fructuum legati Mangoni, constitueretur: *Narnien. Subs. Dot. 2. Sept. 1762.*

48. Joseph Philonardius supplicavit S. C. ut Subsidia Dotalia scut. 25. distribuenda pauperibus Civitatis puellis relicta a Scipione Philonardi assignaretur filiae suae usque ad scut. 500. pro dote Monastica, exponente paupertatem. Hanc gratiam confirmari curavit Apostolico Brevi quod exequi exoptat, licet opponentibus se puellis Civitatis vitio obreptionis breve redarguentibus S. C. autem locum esse executioni Brevis mandavit: *Verulana 4. Junii 1763.*

49. Canonicus Augustinus Galaminius haeredem suum hortatus est, ut duabus filiabus, quas Hieronymus Biscia ex sorore nepos habet, aliquod subsidii juxta ejus arbitrium daret. Hac de causa Rosa Biscia ejusdem Hieronymi filia, postulavit, ut haeres dicti Canonici cogeretur ad praestandum subsidium dotale scut. 500., et nihil ei postulatio profuit: *Recineten. Subs. Dot. 25. Junii 1763.*

50. Subsidia dotalia a Jacobo Oltramario Ferrariensi relicta pro dotandis octo puellis suspendenda non esse, neque deponenda ad hoc, ut cum iis constituatur dos scut. 800. pro unaquoque ex tribus filiabus Julii Oltramari, quae in infantili sunt aetate et testatori remoto gradu conjunctae, et pro filia Comitis Caesaris Gambetta, qui Theresiae Oltramariae in octavo gradu ab eodem stipite distantis filius est; S. C. censuit: *Ferrarien. Subs. Dot. 11. Januar. 1766.*

51. Petrus Jacobus Rodulphus Perusinus ab haeredibus testamentariis substitutis dotem puellae Perusinae honestae et honestis etiam praedictae natalibus distribuendam reliquit. Anna Rastellia ex familia ad fideicommissum vocata descendens dotem ad decem annos obtinuit. Nunc Margaritha Sonzina Annae filia pro sua dote alios aureos decem poposcit, verum exaudiri non meruit; *Perusina Subs. Dot. 20. Sept. 1766.*

52. Aliarum quoque exemplo excitatae Maria Anna, et Basilia Buranti

per triplex medium foeminarum a familia Valentini descendentes, et decimo gradu secundum computationem Juris Civilis a pio fundatore remotae efflagitant pro congrua dote, sibi juxta familiae qualitatem et consuetudinem assignanda; at contradicente Archiconfraternitate SS. Annuntiatae, et Card. etiam improbante Protectore repulsam passae sunt: *Romana, seu Sabinen. Subs. Dot.* 14. *Febr.* 1767.

53. Jo. Baptista Ciminius Romanus haeredem ex esse nuncupans Ecclesiae S. Antonini ejusdem Lusitanae Nationis sub expresso onere indidit, quod tot ex urna extraherentur puellae sive Romanae, sive extraneae in Domino nupturae, quot ferrent haereditatis fructus, subsidium scut. 50. singulis dando. At quum plures extractae interim morerentur puellae, antequam dotem spiritualem assequerentur, a S. C. provisum fuit, ut recadentiae in extinctionis aeris alieni pro fabrica Ecclesiae contracti erogarentur, et eo dimisso in tot censibus, seu locis montium emendis collocarentur ad alia paranda subsidia. Nobiles hinc puellae Gratia, et Violantes Maura ex patre Lusitano Monasticam vitam amplecti optantes requisiverunt, ut ex cumulo recadentium congrua eis assignaretur dos, et pro scut. 300. pro qualibet detrahenda ex fructibus extantibus, et deinde ex recadentiis gratiam tenuerunt. Quum autem quantitas haec ad Monasticam vitam amplectendam sit impar reperta; ideo incrementi in summa liquidata coram D. Secretario alteram consecutae sunt gratiam; quae summa liquidata fuit in scutis 696. Opponitur hisque rescriptis Card. Protector et simul Administrator S. Antonini, et gratiam tanquam ceteris a Deputatis dictae Ecclesiae eligendis puellis gravosam redarguit, aequam contra esse Oratrices contendunt, quia de recadentiis a testatore non praevisis, et non dispositis agebatur. Sed examinari interest, an esset gratia sustinenda? responsum prodiit affirmativum imputatis tamen dotibus jam obtentis, et certo obtinendis, et ad Card. Praefectum juxta mentem: *Romana Subs. Dot.* 30. *Januar.* 1768.

54. Lucas Fredianius Lucensis legata quaedam reliquit Roccho, et Peregrino filiis adoptivis, et scuta 2000. in manutentionem Orphanotrophii a se constructi, et alia scuta 2000. in dotationem tredecim puellarum pauperum, quae parentibus sunt orbatae territorii sorte extrahendarum. Sylvia Maria Olympia Frediani, quae renunciationem emisit Administratoribus pii operis, dotalia petiit subsidia ejus vita durante pro ejus dote, et alimentis, freta consanguinitate a filio adoptivo, et ejus maxima paupertate: sed non impetravit: *Lucana Subs. Dot.* 8. *Julii* 1769.

55. Paullus Paganini de dotium liberalitate saepe laudatus quum quantitatem scut. 30000. contulerit in Archiconfraternitatem SS. Annuntiationis, eidem onus indidit dotandi puellas pauperes vel in seculo, vel in Domino nupturas. Nominationis autem jus divisit inter dictam Archiconfraternitatem ac Magdalenam proneptem suam nuptam Teheodosio de Rubeis, ejusque filiis, haeredibus, ac successoribus tam masculis quem foeminis in infinitum. Nunc Alexander de Rubeis, qui tres habet filias, Mariam nempe Ludovicam, Mariam Franciscam, et Annam Mariam exemplo ductus aliarum consanguinearum, quae dotem in scutis mille consequutae sunt, eamdem poscit summam pro unaquaque ex filiabus, licet Annae de Rubeis minorem summam a S. C. reportaverit. Prolato inde quaesito, quaenam eis esset assignanda summa? rescriptum fuit Epis-

copo juxta instructionem: *Romana Subs. Dot.* 8. *Julii* 1769.

56. Bartholomaeus Lupandi loca 53. Montis S. Petri, nec non propriam domum in Urbe positam legavit Archiconfraternitati SS. Stigmatum, ut ex fructibus plura dotalia subsidio scut. 50. pro qualibet distribuerentur pauperibus puellis Religioni nomen daturis; permisitque, ut ex hisce dotalibus subsidiis, usque ad tria dari possent eidem puellae in supplementum Monasticae dotis. Plures autem qualitates requisivit in puellis, ut nempe in aliquo Monasterio extra urbem intra tamen districtum sexaginta milliarium profiterentur, quodque insuper aetatem annorum 25. haud excederent; ac demum, quod non aliae admitterentur, quam quae dotem ab Archiconfraternitate SS. Annuntiationis fuissent assequutae. Praelationem tribuit filiis, ac descendentibus a filia Olympia. Lucretia Matthaei quae in Monasterio Spiritus Sancti de Urbe profiteri cupiebat annos excedens 25., nec dotem assequuta ab Archiconfraternitate SS. Annuntiationis cumulum dotis in summa 750. petit caeterarum consanguinearum, quae similem dotem rescripto Pontificio obtinuerint ducta et exemplis; habuit responsum negativum, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem: *Romana Subsid. Dot.* 21. *Novem.* 1772.

57. Virgilius Antoninus ex oppido Podii Mirteti duo subsidia dotalia scut. 25. pro quolibet singulis annis pauperibus puellis ditribuenda reliquit, designavitque censum sorte in scut. 1600., ex cujus fructibus hujusmodi subsidia persolverentur. Anna uxor Hyacinthi Bentivogli a familia testatoris descendentis, angustiis undique pressa petiit, ut tam filiae suae nubili, quam suis ex filio nepotibus constituatur dos scut. 500. conficienda ex cumulo dotium à Virgilio relictarum. Verum S. C. summam scut. 100. pro filia Oratricis tantum cumulandam ex subsidio, quod ab eadem familia confertur, concessit: *Nullius Farfen. Subs. Dot.* 14. *Maii* 1774.

58. Card. Benedictus Giustiniani legati jure reliquit Archiconfraternitati SS. Annuntiatatae Urbis scuta quinquaginta millia, quorum nonnullas summas erogari voluit in dotandis *tante zitelle povere, e se sono nobili tanto più, che possano monacarsi dandoli 200. scudi per una per monacarsi a Roma o fuosi di Roma.* Idem pium opus adauxit Marchio Vincentius Giustiniani ejusdem Card. frater germanus. Joseph Possenti Fabrianensis, et Maria Giustiniani ejus uxor cumulum hujusce dotis desiderant pro tribus suis filiabus ex praesumpta testatorum affectione erga Consanguineas. Sed quum nec descendentiam nec consanguinitatem probassent, nec earum capacitatem ostendissent, eo quod in seculò eae nubere velint, et non sunt de pauperioribus, negativam reportarunt decisionem: *Fabrianen. Subs. Dot.* 10. *Maii* 1777.

59. Armindus Riccì ex Monte S. Martini Firmanae Dioeceseos haeredem instituit Montem Charitatis sub invocatione D. N. Jesu Christi, SS. Immaculatae Virginis Mariae, et S. Michaelis Archangeli a se etiam erectum. Illius autem Administratorem esse voluit Carolum Ricci nepotem suum, annuo eidem assignato stipendio scut. 60., et post eum vocavit Valentinum Ricci alium ejus nepotem, et iis multiplicum fieri de reditibus haereditariis mandavit, et injunxit etiam, ut si praefati Carolus, et Valentinus in paupertatem, miseramque conditionem delaberentur, aliquod annuum subsidium ab Exequutoribus testamentariis haberent. Ob id in summa rei familiaris angustia positi Conjuges Jacobus Prosperi, et Marianna Ricci praefati testatoris neptis dotem requirunt Mariannae eorum fi-

liae ex reditibus Armindi Ricci eorum patrui desumendam, et summae scut. 800. S. C. benigno auxilio eas refovit: *Firmana Subs. Dot.* 10. *Januar.* 1778.

60. Alphonsus Federici Praenestinus ab haerede voluit dari quotannis dotes duas in summa viginti pro qualibet. Voluit insuper, quod ex aliis superextantibus bonis duae ejusdem quantitatis distribuerentur dotes. Eas autem praetulit puellas, quae de domo sua essent, et fuit haec ratio, ut Ludovica Maria Constantia, et Maria Rosa Sorores Gisleni Proneptes Aureliae Polidori Francisci Gisleni uxoris, et in sexto gradu testatori sanguine junctae, et praelationem habentes subsidium efflagitaverint usque ad summam scut. 400. pro qualibet. Sed S. C. summam scut. 150. pro qualibet ex Sororibus cumulative ex utroque legato eis tantum tradendam censuit: *Praenestina Subs. Dot.* 14. *Febr.* 1778.

61. Caesar Advocatus Valentinus originarius Arcis Antiquae testamento jussit, ut ex domus praediorumque legato quod Communitati, Prioribusque Arcis Antiquae reliquerat, quotannis solverent scuta centum juveni de sua agnatione Romae studiis operam daturo, et voluit insuper, quod ex reliquis pensionibus dotarentur filiae alterius Caesaris Valentini filii Jo: Matthaei, cui ille Prudentiam, et Lucretiam ex Lucretia Sorore neptem in Matrimonium tradiderat; et voluit, ut si quid ex honorario Ludimagistro Grammaticae in terra Arcis Antiquae superesset, impenderetur etiam in dicti Caesaris filiabus dotandis. In reliquis autem suis bonis haeredem instituit Archiconfraternitatem Annuntiationis Urbis onere duodecim celebrandi Sacra, et unum anniversarium in perpetuum, et dotandi singulis annis pariter in perpetuum tot honestas puellas in die Festo S. Valentini Martyris. In hisce dotalibus subsidiis Margarita, et Rosa sorores Nardi Aloysii, se ipsas tanquam affinitate cum testatore conjunctas praeferendas esse puellis incertis autumant. Hae igitur puellae in octavo gradu per quadruplex medium faemininum ex trasversa a testatore distantes exorant, ut tot ipsis assignentur subsidia dotalia, quot summam conficiunt scut. 500. pro qualibet intra terminum quatuor annorum ad rationem scut. annuorum 250. Oratrices summa scut. 150. pro unaquaque S. C. sublevavit: *Romana Subs. Dot.* 27. *Junii* 1778. Reproposita causa dictum est in decisis juxta modum, nempe pro scut. 200. pro qualibet: 18. *Martii* 1780.

62. Pius Franciscus Stanchi dotis in summa 60. Fundator praecaeteris puellis voluit, ut consanguineis, inter quas et filia Agnetis Capecci a Theresia Stanchi orta comprehenderetur, per quinque annos summam assignari deberent. Plures jam consanguineae, et praelationem et cumulum dotis adeptae sunt. Nunc instant quatuor Hieronymae filiae, Camilla scilicet, et Maria Catharina, quae jam Religioni nomen dederunt aere alieno a patre contracto, nec non Elisabeth, et Hieronyma innuptae. Et resolutio pro monialibus fuit infausta, pro Elisabeth vero et Hieronyma quinque annuae summae assignatae sunt pro qualibet, inspectis peculiaribus facti circumstantiis: *Romana. Subs. Dot.* 7. *Augusti* 1779.

63. Eandemque postulationem fecit Constantia, quae Carolo Capeci Advocati Stanchi adnepoti Matrimonio juncta fuit, pro quatuor suis filiabus, unde dotem sumere non habentibus, et testatoris consanguineis, et obtinuit pro unaquaque ex iisdem pariter quinque annuas summas: *Ead. Caus.* 6. *Sept.* 1783.

64. Marcus Antonius Fregulia Ferrariae a descendentibus suis Freguglia haeredibus scriptis dotes reliquit dis-

tribuendas tribus pauperibus honestisque puellis ejusdem Civitatis in scut. 25. pro unaquaque. Quatuor Ferrarienses puellae, Theresia nempe, Marianna et Barbera filiae defuncti Paulli Freguglia, et Elisabeth filia pariter defuncti Petri Freguglia omnes cum praedicto testatore sanguine conjunctae nituntur ad dotium cumulum usque ad summam scut. 600. pro qualibet ex Oratricibus. S. C. propitia fuit Theresiae Mariae Annae et Barbarae in scut. 300. pro unaquaque; Elisabeth vero supplicare debet suis loco et tempore: *Ferrarien. Subs. Dot.* 26. *Januar.* 1782. ad justam aetatem cum pervenisset Elisabeth religiosum habitum induendi, iterum cumulum 363. scut. implorat pro spirituali dote, et scut. 150. pro fundo livelli, et meruit assequi cumulum praedictum post tamen expletum cumulum aliarum dotium praecedenter promissarum. 15. *Sept.* 1787. *dub.* 1.

65. **Praesul Piersanctes Fanti** subsidia plurima dotalia mandavit distribuenda puellis, quae natales sortitae fuissent, et morem traherent in oppido Campirotundi. Unum ex iis subsidiis habuit Angela Antonia Rilli, quae advertens ex defectu congruae dotis sponsum invenire non posse preces exhibuit Clementi XIII. ut sibi pauperi, et testatoris consanguineae geminaret dotem in summa scut. 300. Sed quum illi sese Communitas opposuisset, quod jam illa erat in matrimonio locata, quod ex fructibus superextantibus annua scuta 90. pro alendis tribus adolescentibus ex oppido Campirotundi in Seminario Camerinensi detrahenda erant, et quod denique aliae reperiebantur puellae quibus dos promissa jam fuit ideo scut. 300. Angelae Antoniae Rilli denegata fuerunt, et dictum insuper fuit ad mentem (207): *Camerinem. Subs. Dot.* 6. *Sept.* 1783.

66. Decrevit S. C. non esse consulendum Sanctissimum pro cumulo quatuor dotium ad Oratorum Alexandri, et Juniperae Cerroni nominationem spectantium, usque ad summam scut. 1000. in favorem Isabellae Bacchettoni annorum undecim eorum nepte pro Matrimonio Carnali. Nam dotalis cumuli beneficium in solas testatoris neptes collatum fuit, ab eoque ipsarum descendentes per haec verba excludi: *a favore delle mie Nipoti Carnali sole e non altre discendenti da esse*: *Romana* 24. *Martii* 1787. *confirmavitque* 29. *Novem.* 1788.

67. Julia Gavotti multiplicum reliquit, ut ex ejus fructibus distribuerentur dotes Puellis descendentibus a Hieronymo, Johanne Lodisco, Nicolao et Carolo ejus fratribus, et Nepotibus, tam in seculo, quam in Domino nubentibus. Diversam sequenti anno dispositionem fecit Johannes Stephanus Gavotti, qui imperans investimentum 500. scut. in tot censibus, voluit, ut dotes distribuerentur puellis suae Domus descendentibus a praedicto Nicolao, Savonae commorantibus, et religiosum statum ingredi cupientibus. Quibus non existentibus, mandavit dictam dotem 400. pauperibus distribui puellis Savonae religionem amplectentibus. Hujus Familiae alii sunt Savonae, alii Januae, alii in Urbe morantur. Qui sunt Savonae de consensu Baronis Gavotti Romani cumulum dotium a Julia relictarum obtinuerunt. Qui in statu Ecclesiastico modo existit, Baro Alexander supplicavit, ut ex fundo subsidiorum dotalium a Johanne Stephano relictorum certa annua summa assignaretur Camillae, et Mariae ejus filiabus. A-

(207) Et mens est, ut Episcopus incumbat diligenti, et oeconomicae administrationi redituum Legati, resecatis inutilibus expensis: *Ead. caus.* 6. *Sept.* 1783.

gitato ob id dubio, an esset consulendum Sanctissimum pro derogatione voluntatis, et non est assequutus: *Romana, seu Savonen. Subs. Dot.* 26. *April.* 1788.

68. Marchio Johannes Maria Belmonti, qui jure ad quatuor subsidia dotalia scut. 30. pauperes honestas, vilesque puellas patre orbatas per regiones Urbis vigore Codicilli 23. Sept. 1724. Marchionis Nicolai de Raimundis nominandi pollet, exoravit pro facultate nominandi per sexennium ad unum ex dictis subsidiis Annam Compadretti ejus ex sorore neptem nobilem Fori Cornelii, ac patre orbatam, licet pauperem ut in aliquo educari posset Monasterio. S. C. preces hujusmodi rejecit: *Romana Subs. Dot.* 28. *Novem.* 1789.

69. Subsidii Dotalis, quod Canonicus D. Martinus de Dominis reliquit, et in favorem descendentium etiam scut. 200. tradi jussit, cumulus conceditur ad dictam summam Rosae de Archangelis Fundatoris consanguineae, licet diviti: *Nullius Terrae Pontiani Subs. Dot.* 29. *Januar.* 1791.

70. Sacerdos Johannes Octavius Stampeggi instituto Fideicommisso anno 1735. sub definito annorum centum gravavit haeredes dotalia duo subsidia distribuendi in favorem puellarum Assisii, scut. 30. pro qualibet. Dotes distributae sunt usque ad annum 1787., quo cumulum trium annorum obtinuit Elisabeth Stampeggi ex fratre neptis Caroli possessoris fideicommissi. Eo expleto petitur cumulus scut. 900. in favorem Johannae ejus filiae sub lege prorogandi subsidiorum distributionem ad annos supra centesimum quindecim. At S. C. cumulum concedi renuit: *Assisien. Subs. Dot.* 7. *Maii* 1791.

71. Aloysia Saminiati nonnullas dotes distribuendas pauperibus puellis reliquit. Patronus Jo. Carolus Diversi suplicavit pro adjudicatione existentium subsidiorum in scutis 40. et tricenario altero illorum cumulo ad augendas dotes filiarum ejus Rosae, et Annae, quae jam scut. 1250. habent pro qualibet, sed ex tenui suo sperare nequeunt patrimonio, ut maternam aequent dotem scut. 2000. At S. C. locum cumulo non esse resolvit: *Lucana Subs. Dot.* 17. *Sept.* 1791.

72. Pauper, et honesta puella Columba Bartoli Monasticum habitum assumere cupiens supplicat pro cumulo annuo duplicis dotis scut. 18. ad octennium, quas reliquit quotannis distribuendas Hieronymus Oltramaris honestis 8. puellis. Card. Archiepiscopus cuncta comprobans ei favet ad sexennium, et S. C. juxta ejusdem votum annuit: *Ferrarien. Subs. Dot.* 14. *Januar.* 1792.

73. Antonius Pelucchi quatuor subsidia dotalia reliquit scut. 25. pro quolibet *a quattro povere zitelle oneste, e civili di questa Città*, ac duo ex his conceduntur ad decennium filiabus Elisabethae Guarini pauperibus illius consanguineis: *Romana Subs. Dot.* 17. *Aug.* 1793.

74. Subsidiorum Dotalium cumulus impertitur ad summam scut. 400. nobili puellae Flaminiae Giorgi proximiori Salvatoris Scandelloni testatoris, ad exemplum aliarum consanguinearum: *Veliterna Subs. Dot.* 23. *Febr.* 1793. Inde imparem autumans hujusmodi cumulum nobili suae conditioni, pro ejus supplicat incremento ad summam initio postulatam scut. 1000., et S. C. annuit pro aliis scutis 400. ad rationem duorum subsidiorum quolibet anno, et dummodo nubat in Domino: 8. *Febr.* 1794.

75. Cumulus subsidiorum dotalium scut. 700. pro qualibet donatur tribus filiabus Comitissae Mariae Franciscae de Rubeis Stella ex medietate subsidiorum dotalium Paganini liberae collationis haeredum, satisfactis prius alimentis, vitalitiis, aliisque dotium cu-

mulis jampridem concessis, servata altera medietate de collatione Archiconfraternitatis SSmae Annuntiatae Urbis: *Romana, seu Auximana Sub. Dot.* 15. *Martii* 1794.

76. Per rescriptum vero *habebitur ratio suis loco, et tempore* differtur gratia subsidii dotalis pauperiori puellae consangnineae annorum trium Mariae Theresiae de Rubeis, cujus avus menstrua habet scut. 4. in causam alimentorum ex dotalibus subsidiis Paganini: *Romana Aliment. et Subs. Dot.* 15. *Martii* 1794.

77. Dotale subsidium scut. 20. relictum per Sacerdotem Silvestrum Luciani Margaritae Bernetti ex familia non indigente, quod augeri postulabat legataria ad scut. 200. ex aliis piis legatis ejusdem testatoris, ut nuberet in Domino, in summa tantum legata decernitur: *Firmana Subs. Dot.* 15. *Martii* 1794.

78. Dotalia subsidia relicta a Bartholomaeo Lupardi sub administratione Archiconfraternitatis Sacr. Stigmatum Urbis conceduntur Mariae Barbarae, et Mariae Metildi Paparozzi pauperibus consangnineis testatoris juxta votum Card. Protectoris dictae Archiconfraternitatis, in summa nempe scut. 300. pro qualibet: *Romana Dot.* 31. *Maii* 1794.

79. Subsidia Dotalia legata per Magnum olim Hierosolymitanae Religionis Priorem Hipolytum Malaspina Monasterio S. Mariae Magdalenae Melitensis Dioecesis pro Meretricibus poenitentibus, concedenda esse postulabant piae fundationis Oeconomi per Ordinarium ad summam necessariam pro moniali facienda ex Meretricibus, pro illorum nempe cumulum, ut quandoque factum est Apostolica auctoritate. At S. C. rescripsit, ut recurrant in casibus particularibus. Cumulo enim subsidii adversatur voluntas fundatoris, qui jussit, ut ob defectum Meretricis investiantur fructus *per ajutare poi quelle, che si vorranno convertire*: *Melevitana Sub. Dot.* 16. *Aug.* 1794. *d.* 1.

80. Subsidiorum Dotalium, quae distribuenda quotannis reliquit in summa scut. 50. binis puellis consanguineis Canonicus Martinus de Dominis, cumulus conceditur Theodorae Monetti testatoris consanguineae, in scutis 150. ex computandis cum debito ejus patris. *Nullius Terrae Pontiani Subs. Dot.* 16. *Aug.* 1794. *dub.* 1.

81. Nazzariae item Monetti in aliis scut. 150., ut supra excomputandis cumulus ex gratia tribuitur: *Ibid. d.* 3.

82. In Majori vero indulgetur summa scut. 200. Angelae Archangeli ob merita ejus familiae erga pium opus; quum ejus germana soror similem obtinuerint cumulum: *Ibid. dub.* 2.

83. Dotis unius annuae cumulus ex dotalibus subsidiis relictis sub administratione Archiconfraternitatis SSmae Annuntiatae Urbis per Card. Benedictum Justiniani, conceditur ad summam scut. 600. Annae Mariae Justiniani Fundatoris consanguineae, ut religiosum assumat habitum in Monasterio S. Silvestri de Capite; licet ad ea subsidia vocatae sint in genere pauperes puellae nubentes in Domino: *Romana Subs. Dot.* 12. *Julii* 1794.

84. Quum vero Maria assumptura esset religiosum habitum in Monasterio S. Ambrosii, in quo requiritur dos scut. 1000. supplicat pro cumulo ad necessariam complendam dotem inspecta ejus paupertate, sed S. C. cumulum augeri in aliis scutis biscentum mandavit: 20. *Febr.* 1796.

85. Nicolaus Marcantonj eodem tempore, quo petiit reductionem trium subsidiorum dotalium, quibus gravatur ex testamento Angeli Antonii Marcantonj Consorbini, etiam postulavit cumulum dotium in favorem ejus dua-

rum neptum ad scut. 200. pro qualibet. Et S. C. illum denegavit. Nam de ejusdem neptibus nullam fecit testator mentionem in dotium institutione: *Firmana Reduct. Oner.* 18. *Julii* 1795. *d.* 2.

86. Dotalium subsidiorum, quae distribuenda reliquit Scipio Cardona Sodalitio Misericordiae Camerini cumulum, quem S. C. concessit ad summam scut. 200. die 17. Julii 1752. quartae etiam pauperi filiae Octaviani Cardona in casu nuptiarum, hoc eveniente casu praestandum esse decernitur: *Camerinen. Subs. Dot.* 22. *Aug.* 1795. *dub.* 1.

87. Et conceditur similis cumulus nepti ejusdem Octaviani ex fructibus elapsis, et investiendis donec nubat; et Ordinarius incumbat exactioni nominum debitorum: *Ibid. d.* 2.

88. Erogandos vero esse declaratur fructus elapsos, et decurrendos ad formam fundationis, post expletos dictarum dotium cumulos: *Ibid. dub.* 3.

89. De subsidiis Dotalibus relictis a Petro Blandolisi in favorem puellarum pauperum, et genitoribus orbatarum Aloysius Diofebi testatori consanguineus postulavit cumulum in scut. 500. pro qualibet tribus filiabus; quum jam Jo. Franciscus pro suis scut. 100. pro qualibet obtinuerat: sed S. C. gratiam denegavit; licet constabat de respectiva paupertate. *Narnien. Sub. Dot.* 28. *Novem.* 1795.

90. Subsidiorum Dotalium cumulis quatuor, quae Antonius Caputius scut. 100. reliquit, et postea reducta sunt ad scut. 25., praemature promissis per Patres Rapresentantes Civitatis Spoleti administratores nobili puellae Constantiae Luci, locum non esse solutioni decernitur ob defectum paupertatis, licet sub illius fide professionem emiserit puella in Monasterio S. Mariae de Stella ejusdem Civitatis, eique unica conceditur dos scut. 25. post redintegratum montem Pietatis de eo, quod pro aliis dotibus praemature solvit: *Spoletana Subs. Dot.* 19. *Decem.* 1795. *dub.* 1.

91. Tres dotes reliquit Canonicus Marcus Antonius Treguglia in favorem puellarum pauperum scut. 18. 18. cum facultate haeredi tributa praestandi dotem unam scut. 50. ex praedictis. Ex his cumulum plures obtinuerunt, postremo usque ad scut. 363. 63. Elisabeth Treguglia conjuncta in quinto consanguinitatis testatori gradu adepta est cumulum, et expletur an. 1804. Modo exorat Maria Theresia Venturini an. 12. paupera per duplex medium foemininum in gradu septimo testatori conjuncta pro cumulo scut. 300. post completum novissimum. At S. C. cumulum petitum denegavit: *Ferrarien.* 23. *Januar.* 1796. Deinde praevio recessu a decisis assignavit S. C. Mariae Oratrici alterum ex cumulis jam assignatis Theresiae, et Barbarae Treguglia, quatenus altera innupta decedat: 27. *Aug. ejusd. anni.*

§. VI.

Subsidium Dotale quoad Distributionem, seu quando, quomodo, in qua quantitate praestari debeat.

1. Quoad Societates, Hospitalia, et alia loca pia, quae dotes debitas pro puellis maritandis non solvunt, ac aliis obligationibus non satisfaciunt remisit examen ad S. C. Episcoporum (208): *Civitatis Castellanae* 26. *Aug.* 1628. *dub.* 4.

2. Petitur, ut persolvi Episcopus compellat dotes, quae a Congregatione Nobilium in dicto Collegio degen-

(208) Et Regularium, apud quam examen institui debet de rationibus, quas illa pia loca exhibere possunt.

te promittuntur; respondit posse cogere: *Maceraten. Visit. SS. LL. 26. April. 1664.*

3. Alexander Peregrinus voluit, ut Deputati Hospitalis Majoris nuncupati S. Annae in sua haereditate postremo loco substituti distribuere pauperibus Virginibus Civitatis, tot dotes in libr. 200. Imperialium cum praelatione ex familiis Peregrinorum, quibus tradi libr. 400. jussit. At cum reperiantur multae puellae rusticae tamen de cognomine Peregrinorum, quae, an sint de familia testatoris ignoratur, et quae cum minori dote possunt viris aequalis conditionis nubere, ac haeae absorbent integra pene subsidia, quibus carere coguntur puellae nobiles, ac honestae majori periculo expositae. Ideo Deputati adierunt S.C., an omnibus sint distribuendae de dictis familiis licet extraneis? et S. C. toto animo postulatis acquievit: *Comen. 27. Febr. 1706. dub. 1.*

4. Nec non pro dictis rusticis puellis deberi pro dote integram summam libr. 400. definivit: *Ibid. 2.*

5. Duae dotes distribuendae ab Archiconfraternitate S. Hieronymi Charitatis Urbis ex dispositione Johannis Fossae non debent esse in summa scut. 30. pro qualibet, comprehensa veste, sed pro intranti quantitate integri fructus haereditatis praedictae. Nam ait testator ... *de suis introitibus nubebantur puellae duae etc. Romana Applic. Miss., et Subs. Dot. 7. Julii 1708. d. 2.*

6. Quum impares sint fructus quinque millium scut. in tot locis Montium ad efficiendam distributionem quinque dotium annualium in summa scut. 30. pro qualibet juxta expressam pii Canonici Dominici Raynaldi disponentis voluntatem, Capitulum Basilicae S. Petri Urbis exoravit, pro earum dotium quantitatis, vel numeri praefixione, S. C. respondit esse distribuendas quinque dotes ad rationem 30. pro qualibet: *Romana Capell., et Dot. 23. April. 1712. dub. 2. confir. 6. Aug. ejusd. anni.*

7. Quum vigore dispositionis Andreae Factorii Archiconfraternitas Charitatis Ecclesiae S. Hieronymi ob obtentam reductionem distribui soleret quinque subsidia Dotalia alternatim in uno nempe anno tribus pro puellis Monasterii S. Catharinae de Rosa, et binae pro aliis puellis, et altero anno binae Monasterio, tres pro aliis. Monasterium quaestionem excitavit deberi ei quolibet anno quinque, uti ante reductionem distribui mandaverat testator. S. C. tamen decrevit quinque illas dotes reductas non debere omnes distribui puellis Monasterii S. Catharinae, sed servari solitum: *Romana Distrib. Dot. 11. Martii 1713.*

8. Distribuenda reliquit Laurentius Bonincontri nonnulla subsidia dotalia in summa scut. 30. pro qualibet puella, quae Monasterio nomen dare velit; ditributionem hanc faciendam commisit Archiconfraternitati SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum. Hujus Deputati Breve obtinuerunt a Sancta Sede cogendi in unum quatuor dotatalia subsidia tribuenda puellis Monasterio dicandis. Postea ad instantiam eorumdem S. C. decrevit in anno, in quo non adsit puella dicanda in Monasterio SS. Quatuor Coronatorum, quatuor subsidia dotalia concessa in Brevi distribuenda dictae puellae, consignari non debere eidem Monasterio, nec distribuenda esse a Custodibus Archiconfraternitatis ad formam testamenti, sed esse deponenda in Sacro Monte Pietatis ad effectum consignandi ad formam Brevis: *Romana Subs. Dot. 16. Decem. 1713.*

9. Dum latebat, an solutio dotium, quas Sacerdos Guidubaldus Rossetus Eugubinus fundata Capellania reliquit

erogandas puellis sibi in secundo, et tertio gradu proximis ac consanguineis fieri debeat ab haeredibus ex sorte, vel ex fructibus, et an puellis constitutis in secundo, vel tertio gradu juxta jus Civile, vel jus Canonicum? aperuit S. C., solutionem dotium faciendam esse ex sorte juxta modum, (209), et computationem graduum esse faciendam juxta jus Canonicum (210): *Eugubina* 18. *Decem*. 1723.

10. Advocatus Antonius Zonca decessit in Urbe haerede scripta Maria Antonia Ghiselli, quae in matrimonium conjuncta est in Civitate Bononiae cum Dondino, eamque gravavit distributione dotium scut. 25. pro qualibet de Virginibus, et parentum orbatis puellis usque ad scut. 500. Haec mulier ambigua est; an distributio praedicta in urbe, vel in Civitate Bononiae sit facienda? et S. C. decrevit faciendam esse puellis Romae degentibus: *Romana seu Bononien*. 22. *Sept*. 1725. *d*. 1.

11. Et inde denegavit eadem S. C. gratiam haeredi, ut medietatem dotium distribuat puellis in Urbe degentibus, et aliam medietatem puellis in Civitate Bononiae commorantibus: *Ibid. dub*. 2.

12. Episcopi S. Miniati decretum edidit, quo cavit, ut quolibet anno fieret distributio dotium ad ratam portionem reditus a testatore relicti pro dotibus distribuendis, ita tamen ut quaelibet dos non sit minor scutis decem, et quod in hypothesi in qua una tantum adesset puella legati capax, fieret eidem assignatio reditus anni currentis, idemque in plures divideretur, si plures concurrerent puellae capaces, et in hypothesi demum, in qua nulla adesset puella, quae pro dote instaret, admoneretur idem Episcopus, ut deliberaret quid de pecunia esset faciendum, exequendum esse contra voluntatem Prioris, seu Parochi Ecclesiae Sancti Petri Villae Salettae haeredis a pio testatore scripti, qui reditus praedictos in favorem propriae Ecclesiae investiebat. Haec decreta exequenda esse juxta modum praescribendum a Card. Praefecto (211) resolutum fuit: *S. Miniatis* 24. *Martii* 1725. *confir*. 12. *Januar*. 1726.

13. Nicolaus Collateralis haeredem instituit suam masculinam lineam, et in ejus defectum masculos de familia Minia Veneta, ac eis substituit Communitatem terrae Murri Vallium onere adjecto, quod in perpetuum teneatur singulis annis duas miserabiles, et ho-

(209) „ Modus autem est, ut pro nunc octo tantum dotes assignentur persolvendae tempore Matrimonii, vel Professionis, et quod bona valoris scut. 400. ex residuo haereditatis stare debeant pro evictione, et supplemento fundi Capellaniae, et tam ex horum, quam aliorum bonorum haereditariorum fructibus, aliae dotes tempore debito persolvantur in summa a testatore demandata ". *Ead. caus*. 18. *Decem*. 1723.

(210) Quod habetur *ex cap*. 2. *ad Sedem caus*. 35. *qu*. 3. ubi legitur „Namque duo gradus Legales unum gradum Canonicum constituunt. Fratres itaque, qui secundum Seculares leges dicuntur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo. Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo: nepotes vero, qui in sexto ibi, istic numerantur in tertio: sic deinceps, qui in legibus scribuntur in octavo, et decimo, in canonibus definiuntur in quarto, et quinto. Atque hoc modo de reliquis sentiendum est, ut qui secundum Canones dicuntur in sexto, vel septimo, secundum Leges accipiantur in duodecimo, vel quartodecimo. „

(211) Et modus praescriptus fuit, 1. *quod celebrentur duodecim Missae quolibet anno*, 2. *quod omnes redditus erigentur in Dotes, ita tamen, ut unaquaeque dos non excedat scuta decem*, 3. *quod in hypotesi, in qua non adsint puellae, fiat depositum pro annis sequentibus*, 4. *quod Parocho relinquantur scuta tria quolibet anno, et* 5. *demum, quod sufficiat puellas esse in aetate annorum duodecim: sub die* 12. *Januar*. 1726. §. *unic*,

nestas puellas dotare, quum factus esset locus vocationi, ipsa Communitas inops consilii est, an pro nubendis duabus miserabilibus puellis juxta ultimam Nicolai Collateralis voluntatem, praedicta dos scut. 12., et obul. 50. pro qualibet sit sufficiens, vel danda major, et in qua summa? rescribitur, detractis expensis, et aliqua mercede ab Archiepiscopo statuenda, et solvenda administratori bonorum a Communitate eligendo, reliquum esse distribuendum in duas dotes: *Firmana* 22. *Novem.* 1727. Quod aegreferens Communitas preces instaurat pro recessu a decisis, et rescriptum obtinuit, praevio recessu a decisis, dotem scutorum 20. 50. pro qualibet puella a Communitate taxatam pro tunc esse congruam 17. *April.* 1734.

14. Marchio Prosper Cortagutus emit octo loca Montis Bentivoli, tredecim loca Montis S. Petri cum tertia parte alterius loci, et quatuor loca Montis Gualenghi ad commodum puellarum nobilium quarum electionem ad eos tribuit, qui in primogenituram ab Ascanio Cortaguto conditam succederent. Quum Principis auctoritate eorum fructus diminuti fuissent, S.C. consulta, haeredes non teneri ad supplementum decisum jam fuerat; inde subsidia dotalia distribuenda esse proportione servata juxta fructuum quantitatem, qui singulis annis exiguntur, et ad formam litterarum patentium; et Nominationem puellarum esse faciendam per mensem ante Festum S. Johannis Baptistae provisum ab eadem S. C. fuit: *Romana Subs. Dot.* 16. *Maii* 1733. *dub.* 3.

15. Quum res in quaestione versetur, an, quomodo, et in qua quantitate quolibet anno solutio dotium a Junipera Gineuri relictarum, facienda sit puellis jam nominatis, stante diminutione fructuum, seu redituum sortis a dicta Junipera destinatae? resolutio remittitur ad Episcopum, qui procedat prout de jure: *Recineten. Subs. Dot.* 2. *Decem.* 1741. *dub.* 3.

16. Sodales B. M. Rosarii in Ecclesia S. Silvestri oppidi Plagarii Dioeceseos Civitatis Plebis constituti, cum haesitarent, quibus puellae dotandae a testatrice Mansueta Marsilii sortitio tributa fuit, an subsidium dotale distribuendum sit ad formam illius testamenti, seu potius juxta methodum praescriptam ab Ordinario, qui statuta desuper confecerat; S. C. voluit ut exspectetur novus Episcopus: *Civitatis Plebis Subs. Dot.*, *et Stat.* 22. *Maii* 1751. *dub.* 1. *et* 2.

17. Urna puellarum quolibet anno, sorte extrahendarum pro subsidiis dotalibus ab ipso testatore Johanne Augustino de Cappellis relictis in oppido Vulturis est facienda a PP. Carmelitis dicti loci, et puellae sunt sorte extrahendae coram patrono, vel ejus procuratore: *Januen. Capellan.* 26. *Febr.* 1752. *dub.* 5.

18. Ac a supradictis PP. Carmelitis retineri non possint scuta quatuor circiter pro quolibet ex dictis subsidiis dotalibus: *Ibid. dub.* 6.

19. Petrus Gonzalez del Rio residuum bonorum investiri jussit, ut ex fructibus ducata centum singulis suae familiae daretur puellis parentibus orbatis, et his non existentibus illis oppidi Valgagnonis. Dum lis super pii operis pecuniis restituendis in Regiis Tribunalibus agebatur, Advocatus Jo. Antonius Gonzalez piae dotationis defensor et administrator postulavit, ut nova statueretur methodus distributionis. Proponebat autem Vicarius, quod considerata puellarum penuria dos augeretur ad summam ducat. 600. pro Monasterio dicandis, et ducat. 400. pro maritandis si de sanguine essent testatoris puellae; extraneis vero amplificaretur ad ducat. 200. cuilibet post

professionem, vel matrimonium consignandam: quod duabus testatoris neptibus Orphanis tyrocinium in Religione obeuntibus, praeter dotem 600. subsidium vitalitium assignaretur in annuis ducat. 50., eademque summa pro livello alterius neptis professae assignaretur; quod demum deficientibus puellis a testatore vocatis, subsidia distribuerentur ceteris puellis pauperibus in quantitate ducat. 200. consanguineis, et ducat. 100. extraneis. Proposito itaque dubio, num juxta relationem hanc essent augendae, et repartiendae dotationes? placuit S. C. respondere in decisis 18. Junii 1757. (212) et interim Archiepiscopus incumbat deposito, et investimentum pecuniarum haereditatis, et curet ex illarum fructibus impleri voluntatem testatoris: *Burgen. Oper. Pior.* 21. *Aug.* 1762. *dub.* 1. Orator Advocatus ajt depositum ac investimento uudique expletum esse, et urget resolutionem. Sed haec non prodiit, quum demandatum fuisset, ut scriberetur Archiepiscopo juxta instructionem non retardato adimplemento ad formam praefati rescripti: 11. *Julii* 1767.

20. Decretum Episcopi Dolfi tum quoad aetatem obtinendi a puellis subsidium Dotale praemortui pii testatoris, qui nullam praefinivit aetatem in testamento, tum quoad confinium divisionem *tra il Borgo di sotto, ed il Borgo di sopra*, eo quia ob veram mutationem a tempore obitus testatoris sequutam nulli certi limites possint assignari, S. C. non sustineri demandavit: *Fanen. Subs. Dot.* 3. *Aug.* 1771. *d.* 1.

21. Et quum repudiatum Decretum praeseferet commutationem voluntatis, S. eadem C. statuit ob id non esse consulendum SSmum pro commutatione voluntatis: *Ibid. dub.* 2.

22. Deliberare curae pretium est, an confirmanda sit resolutio ab Universitate Ecclesiae S. Eligii Fabrorum Ferrariorum in Comitiis capta, ut nempe dos a Johanne Baruffi in summa scut. 25. pro qualibet ex puellis a patre Febre Ferrario in Urbe ortis annuatim praestanda, relicta praevia nominatione Sodalium, ex urna extrahendi conferri deberet in ea quantitate, quae detractis oneribus superesset de reditibus haereditatis, dummodo residualis quantitas non excedat summam scut. 25.? differtur sententia, ut firmetur status haereditarius per peritum Curialem deputandum, et exhibeatur testamentum: *Romana Subs. Dot.* 27. *April.* 1776.

23. Quaeritur S. C. judicium, an, et quomodo Conservatoribus Societatis S. Mariae Misericordiae Calii liceat assignare dotes in favorem pauperum puellarum etiam nobilium, et in qua summa? judicium remisit ad Card. Antonellium cum Episcopo juxta mentem (213) facto verbo cum SSmo: *Callien. Subs. Dot.* 15. *Decem.* 1787. *dub.* 1.

24. Petrus Jacobus Beccarius Imagini B. M. V. de Populo, quae Cathedrali veneratur Ecclesiae, omnia sua bona donavit anno 1617. Horum reditus nonnullos Capellano, et peragendae Musicae assignavit. Reliquam vero summam in tot dotes librarum 100. puellis distribuendas mandavit im-

(212) In quo S. C. respondit, supplicent recuperatis pecuniis.

(213) Nam juxta mentem S. C. demandavit SSmus Card. Antonello, et Calliensi Episcopo Apostolicam Societatis Visitationem „ cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad effectum visitandi statum oeconomicum supradictae Societatis, Statutaque illius reformandi, et nova condendi, quatenus opus fuerit, praesertim pro recta administratione bonorum, et annua redituum erogatione, habita ratione temporum, Fundatorum, et fundationis. “ *Ead. caus.* 28. *Novem.* 1795. §. 1.

pendi Praelationem vero tribuit puellis a quodam Camillo Beccario sive per foemininam sive per masculinam lineam descendentibus, antelata inter has pauperiore. Diu super vivens Donator aliam exaravit donationem anno 1650., qua desiderabat, ut nec in Musicam, neque in dotes praefatas reditus illi erogarentur; verum ut Priores et Sodales ejusdem Ecclesiae pro eorum arbitrio in honorem SS. Imaginis eosdem impenderent: Pius VI. Pont. Max. Caesenas inter cetera decrevit, ut fructus illi omnes pro Musica, et pro Cappellano detracta quota a donatore primum praecepta pro duobus dotandis pauperibus puellis Parochiarum alternis vicibus praelatis semper a Camillo Beccario descendentibus puellis, erogarentur. Ignoratur hodie, an nobilibus puellis descendentibus a testatore dos sit praestanda lib. 100. tantum, seu potius totum id, quod detractis oneribus superest ex annuis bonorum reditibus? planum fecit S. C. responso, praestandam esse per Societatem, ad formam primae donationis, ex bonis etiam postea quaesitis: *Caesenaten. Subs. Dot.* 29. *Novem.* 1788. *dub.* 1. *confir.* 19. *Febr.* 1791. demum redeundi denegata appellatio fuit: 21. *April.* 1792.

25. Alterum exinde fuit de dotibus non traditis excitatum dubium, an scilicet, quomodo, et quibus puellis descendentibus providendum sit quoad praeteritum? quod aperuit S. C. providendum nimirum pro illis tantum, quae debitis requisitis praedictis dotem petierunt tempore quo adhuc erant innuptae: *Ibid. dub.* 2. *confir. Ibid.*

26. Communitas Caesenae quaerebat tertio, an, et quomodo praestandae essent dotes puellis extraneis? praestandas esse ad formam primae donationis, decisio fuit: *Ibid. dub.* 3. *confir. Ibid.*

27. Consignationem subsidii dotalis a Francisco Passarinio relicti non in cedula obtentae nominationis dilata solutione ad casum sequutarum nuptiarum, vel sublatae earumdem spei, sed in ipsa pecunia ante nuptias faciendam esse, S. C. definivit: *Reatina Subs. Dot.* 8. *Julii* 1786. *dub.* 2.

28. Constantinus Antonellius Canonicus Collegiatae Ecclesiae Campaneani distribui mandavit dotes scut. 20. quot annui detracto Legato scut. 10. pro utensilibus Altaris SS. Angelorum haereditatis reditus ferrent. Praeferri voluit consanguineas addendo, ut facienda est per sortem extractio dotium. Instante Capitulo dictae Ecclesiae et illis de Salvis, quibus jus est praesentandi puellas, pro explanatione, an, et quomodo sint conferenda subsidia dotalia? rescriptum prodiit, subsidia dotalia conferenda esse per sortes ad formam rescripti S.C. 24. Aug. 1765.: *Nepesina Dot.* 21. *Aug.* 1790. *dub.* 1. Deinde instante patrono, et observantia licet sit exhibendi Schedas solutionis Dotium tradendas per patronos, S. C. decidit Schedas subscribendas esse, et tradendas ab Archipresbytero Collegiatae: 24. *Januar.* 1795.

29. Dotalia subsidia per sortitionem distribuenda a Lucensi Sodalitio SSmi Crucifixi nuncupati *de' Bianchi* filiabus Sodalium, et in earum defectum puellis Civitatis ex testamentis Zitae Mansi Bernardi, et Antoniae Sarteschi, et pluribus abhinc annis non distributa, eaque etiam devoluta, et devolvenda non esse iterum distribuenda, sed investienda esse praescribitur in favorem utriusque pii Legati, non retardata solutione pro annis 1789. 1790. 1791.: *Lucana Sub. Dot.* 28. *Maii* 1791. *dub.* 1.

30. Futuram vero illorum distributionem, quam Sodales efflagitant ad ipsorum nominationem, faciendam esse ad formam utriusque testamenti: *Ibib. d.* 2.

31. Dotalia subsidia a Catherina Carlo Haxisa puellis consanguineis relicta, quae ad reparandam haereditariam domum suspensa fuerunt Apostolica Auctoritate ab anno 1765. ad annum 1786., conferenda esse statuitur in antiqua summa scut. Melitensium 89. puellis innuptis pro qualibet; et in summa scut. 51. in reparationem aucta, unicuique ex sex puellis nuptis durante suspensione, et de licentia Episcopi: *Melevitana Subs. Dot.* 6. *Aug.* 1791.

32. Matthaeus Consegli Arcis Nulphae dotem scut. 25. reliquit distribuendam *per il maritaggio di una Zitella povera parente, ed onorata in ogni anno, da aversi in considerazione dall' Erède sempre la più povera in concorso di più di una di esse in qualche anno, da soddisfarsi da esso, e suoi successori nell' atto delli Sponsali, e non prima*. Haeres nullum hactenus contulit subsidium, tempus expectans Sponsalium pauperis consanguineae, hinc ei adscribi postulavit; et perpenso, an et quomodo in futurum sit praestandum subsidium dotale puellis consanguineis? Affirmative respondit, ad formam testamenti juxta votum Episcopi (214) *Spoletana Subs. Dot.* 8. *Febr.* 1794. *d.* 1.

33. Altero discusso dubio, an, et quibus sint conferenda subsidia praeterita non collata a condito testamento, nempe ab anno 1788.? seu sint applicanda haeredi, tamquam caduca? affirmative ad primam partem ad formam testamenti, comprehensis etiam puellis nuptis post obitum testatoris absque scientia legati; negative ad secundam, respondit: *Ibid. d.* 2.

34. Ac subsidia futura in iis annis, in quibus nulla erat nubilis puella consanguinea, vel dotem non petierit, non esse applicanda haeredi, sed sequentibus annis esse conferenda statutum est: *Ibid. d.* 3.

35. In distributione subsidiorum dotalium erogandos esse decernitur fructus sortis superlucratae a sodalibus S. Apolloniae Urbis ex investimento promissarum dotium; redintegrato prius ex eodem fundo Legati Egidj, in duobus locis Montium, et deductis ex ejus fructibus expensis Sodalitii pro administratione bonorum, necnon celebrato quotannis Anniversario pro fundatoribus, et Benefactoribus: *Romana Subs. Dot.* 31. *Maii* 1794. *dub.* 1.

36. Distributionem vero dictorum subsidiorum faciendam esse juxta respectivas fundationes, ad quas pertinebant dotes investitae pro rata portione scilicet fructuum sortium ad unumquoque Legatum respective pertinentium: *Ibid. dub.* 2.

37. Plurima pia Legata reliquit Julius Antonius Silvagni, et prius inter caetera novae Ecclesiae constructionem mandavit. Ad hanc perficiendam petitur restrictio subsidii dotalis ad foeminas existentes in familiis vocatorum, exclusis aliis, quae ab iis descendunt; et ut ex foeminis ipsis de familia dotandae essent proximiores primo vocatis, et nuptis, ab an. aetatis 15. ad 30. tantum, cum sortitione in paritate gradus, ne propagatis earum familiis, difficilis etiam evaderet puellarum omnium dotatio. Nam descedentes puellae nubiles sunt 59. Haec de re S.C. decrevit esse locum distributioni subsidiorum dotalium post perfectum aedificium Ecclesiae, redintegratam sortem venditae domus, extinctumque censum scut. 250., necnon expletum depositum scut. 1000. (ante dotes a testatore volitum) et in favorem puel-

(214) Nempe „debere haeredem intimare quolibet anno ad valvas Ecclesiae concursum puellarum, et devenire ad electionem puellae". *Ead. caus.* 8. *Febr.* 1794. §. 5.

larum agnatorum tantum ex familiis vocatis, servata methodo juxta votum Episcopi, qui postulationi praedictae favebat: *Ariminen. Subs. Dot., et Fab. Eccles.* 26. *Sept.* 1795. *dub.* 1.

38. Praescribendum non esse numerum dotium, quas distribuere solet Sodalitium S. Mariae Misericordiae Callii ex patrimonio quotannis, decisum est, quum in eam causam erogari debeat quidquid superest, detracto sumptu adnexi Hospitalis juxta votum Card. Visitatoris: *Callicen. Subs. Dot.* 28. *Novem.* 1795. *dub.* 2.

39. Conditione purificata erigi jusserat Canonicus Martinus de Dominis Monasterium Monialium in oppido Pontiani, sed commutatione voluntatis impetrata ex defectu haereditatis erectio bini Canonicatus in Ecclesia Collegiata fuit demandata *cum redditibus assignandis a Card. Abbate Commendatario, et residuum distribuendum esse in dotes*. Sed non residuum fuit pro dotibus assignatum, sed bona separata vigore Decretorum Sacrae Visitationis, hinc impugnata dicta fundatione, ut Canonicatus reditus consequerentur incrementum, S. C. rescripsit, fundationem distributionis subsidiorum dotalium esse exequenda ad formam Decretorum S. Visitationis: *Nullius Terrae Pontiani Canon., et Subs. Dot.* 12. *Martii* 1796.

40. Etsi octo ex Pontificiis rescriptis expletae sint praematurae collationes ad subsidium dotale relictum a Petro Pontoni scut. 200. pro puellis in Domino nupturis; novam tamen postulavit Theresia Ricci, quae ob defectum dotis regularem nequit professionem emittere; declaravitque satis ipsi esse, quod subsidium post soluta jam collata consequatur: Sed S. C. exaudire noluit: Quamquam ob praematuram illius dotis collationem nulla incertis aliis puellis fieret injuria: *Camerinen. Sub. Dot.* 18. *Martii* 1797.

41. Dotium distributionem praescripsit Stephanus Giorgini Sodalitio SSmi Rosarii oppidi Novi ad suam haereditatem ultimo loco substituto, ut nempe binas traderet puellis dotes die B. M. V. Praesentationis juxta reditum annuum bonorum, *a giudizio de' Fratelli di essa Congregazione, o Compagnia*. Ideo collatio dotium haereditate delata ad Sodalitium expleta fuit primum per secreta Sodalium Suffragia, deinde per sortitionem puellarum. Modo auctis bonorum haereditariis putant Sodales 4. distribuere dotes, et facultatem continuandi puellarum sortitionem; et S. C. consulta quoad numerum resolvit affirmative juxta votum Card. Episcopi (215): *Senogallien. Sub. Dot.* 6. *Maii* 1797. *dub.* 1.

42. Et ad dubium, an, et quomodo fieri debeat illorum subsidiorum dotalium collatio? respondit affirmative juxta votum Episcopi (216): *Ibid. d.* 2.

43. Denique postulata obscura, an, et in qua summa debeatur subsidium dotale Franciscae Regno, qui Pontifici postulavit dotem absque ulla extractionis formula, et Sum. Pontifex remisit ad arbitrium Sodalium, qui in eorum consilio putarunt assignari ei dotem in quarta parte ex fructibus annuis; S. C. aperuit, affirmative in quarta re-

(215) Qui ait ,, ad praecludendam studiosae suffragiorum requisitionis viam, non inopportune eventualis extractionis regula amplexa fuerit. Hanc ipsam modo firmitus constituendam censuere Confratres, et in eorum nuper habitis juxta mandatum meum Comitiis per secreta suffragia confirmarunt. Providae hujusmodi profecto resolutioni annuendum existimarem " *Ead. caus.* 18. *Martii* 1797. §. 2.

(216) Inquit enim ,, Ejusdem sane naturae alterum videtur eorumdem consilium, pariter confirmatum circa distribuendarum dotium variationem, ut nimirum non binae, sed quatuor exinde quotannis conferantur ". *Ead. caus.* 18. *Martii* 1797. §. 3.

dituum parte rescribens: *Ibid. d.* 3.

44. Societas SSmi Crucifixi, et Sacramenti erecta est in Ecclesia S. Vitalis Pergulae, quae subest Abbati Nonantulae. Hic in Visitatione an. 1785. mandavit, ut exuberantium redituum pars in duas quotannis erogaretur dotes scut. 12. ½. pro qualibet, tributa puellarum electione duobus Sodalibus sorte eligendis. Deinde statuit idem Abbas, ut aliae constituerentur dotes scut. 25. pro qualibet, sorte conferendis puellis consanguineis Sodalium in secundo tantum gradu; et novam hanc methodum Sodales cunctis approbarunt Suffragiis. Sed postea huic methodo nonnulli refragarunt. Ideo re in S. C. delata, resolutum fuit subsidia dotalia ex reditibus exuberantibus Societatis sunt conferenda in omnibus juxta votum Ordinarii, qui rejicere injustam oppositionem exorabat: *Nullius Nonantulae Subs. Dot. 6. Maii* 1797.

45. Mandavit Lodovicus Manni praevia bonorum donatione Communitati Civitatis Plebis distributionem subsidii dotalis scut. 50. in favorem puellae familiae Manni, cum fructibus ejusdem summae ex illorum multiplico a nativitate puellae superlucratis. Communitas ab initio ob multiplices puellas Manni duplex subsidium dotale scut. 25. tradi consuevit, et numquam fructus superlucratos. Inde bona pii Legati Seminarium suscepit, et subsidium dotale scut. 25. dedit Luciae Salvatori, qui petiit assequendi etiam in statu nubili, et obtinuit praestito juramento coelibatum servandi, et fidejussione restituendi subsidium dotale in fine naturalis suae vitae. Hoc casu mortis purificato Seminarium postulavit dotis restitutionem. Sed haeredes puellarum, quae similes consequutae sunt dotes, insurrexerunt, ut cogatur Seminarium solvere scut. 50. descendentibus familiae Manni; propterea excusso in S. C. dubio, an, et quomodo puellis familiae Manni sit praestandum subsidium dotale in futurum? responsum est, affirmative in summa scut. 50. a Seminario quotannis investienda, ac praestanda una cum fructibus elapsis a die nativitatis puellae usque ad traditionem dotis: *Civitatis Plebis Subs. Dot. 17. Junii* 1797. *d.* 1.

46. Sodalitium SS. Sacramenti oppidi Communantiae, cui Ansideaeus Travaglia distributionem subsidiorum dotalium in majori summa in favorem descendentium, et in minori scut. 50. in favorem puellarum pauperum reliquit, ob auctum harum pauperum numerum oppidi supplicat pro minuenda quantitate dotium ad scut. 25., et illarum numerum augendo, et S. C. gratiam indulsit juxta votum Episcopi (217) facto verbo cum SSmo. *Montis Alti Subs. Dot.* 16. *Decem.* 1797.

§. VII.

Subsidium Dotale quoad Electionem, et Nominationem.

1. Electoribus subsidii dotalis ordinati a Gaspare de Servantiis, non licet limitare tempus Matrimonii puellis eligendis, eorum arbitrio, et conscientia: *Sancti Severini Subs. Dot.* 11. *Januar.* 1710. *dub.* 1.

2. Qua de causa subsidium dotale non est adjudicandum Dominicae Angelae de Bentivolis electae in deficientia nuptiarum tempore praefixo Rosae Carafae ob matrimonium ejusdem non sequutum, sed potius ipsi Rosae, *Ibid. dub.* 2.

(217) Qui suo favorabili voti addit „ Firmis tamen remanentibus dotibus per collatores usque adhuc assignatis, ac illis ex speciali dilectionis praerogativa in majori quantitate descriptis pro suis nepotibus, ac descendentibus foeminis ad formam particulae dispositionis " : *Ead. caus.* 16. *Decem.* 1797. §. 3.

3. Quum Electores deputati a testatore Dominico Santini pro nominatione ad subsidia dotalia distribuenda quolibet biennio in favorem puellarum, inter quas praeferendas esse mandavit proximiores suae familiae, ac Domus, devenerint ad electionem tam Antoniae Hieronymi Santini, quam Franciscae Antoniae Stephani in secundo gradu testatori conjunctarum; nominarunt alias duas consanguineas puellas, qui paratam habebant occasionem nubendi, reservata S. C. approbatione, quam denegavit sub die 8. Aug. 1716. *inter sum. prec.* Nam Episcopus ajebat non esse exaudiendas puellas, quia tolleretur jus eligendi Electoribus successivo biennio, et stricte non observabitur testatoris voluntas. Modò repetita instantia S. C. rescripsit; in decisis, et amplius: *Camerinen. Dot.* 13. *Novem.* 1717.

4. Electionem puellae Annae Minopriae non in Parochia cum parentibus, sed in consobrini parochia degentis ad subsidium dotale a Praeposito Syro Andrea Vezzoli Civitatis Papiae puellis fidem Parochi super paupertate, honestate, ac frequentia Sacramentorum distribuendum exhibentibus, et per Parochias alternis vicibus relictum, exequendam minime esse S. C. firmavit: *Papien.Subs. Dot.*21.*April.* 1731. *d.* 1. At demonstrante ipsa Anna, quod ad domum consobrini intra Parochiam S. Nicolai cui dotis distributio contigebat propter dotem habitatum minime ivisset S. C. recessit a decisis: 18. *Aug.* 1731. *Confir.* 1. *Decem. ejusd. anni*, ubi additum fuit, ut in posterum edictum Episcopi servaretur (218).

5. Quoad dotes a Marchione Prospero Costaguto ordinatas in favorem nobilium puellarum, nominatio facienda est per mensem ante festum S. Johannis: *Romana Subsid.Dot.* 16. *Maii* 1733. *dub.* 3.

6. Subsidium dotale, quod a sodalitio S. Andreae Civitatis Praenestinae haerede instituto in quolibet decennio distribuendum, a Faustina Leonarda relictum fuit Mariae Antoniae Rosicarelliae, quae quamvis aliud Monasterium ingrediebatur diversum ab illo, quod testatrix ipsa cupiebat, tamen plura, quam Maria Antonia Petrinia suffragia tulit, deberi, S. C. decernit: *Praenestina Subs. Dot.* 11. *Januar.* 1744.

7. Quoad Pium Montem Dotalem fundatum a Sacerdote Johanne Juvenazzi, de quo fuit commissa cura, et administratio Capitulo Ecclesiae Cathedralis Castellanetae in favorem familiarum Frosoloni, ac della Fratta, relictis Exequutoribus Episcopo, Archidiacono, et Cantore necnon Thesaurario pro tempore dictae Cathedralis, S. C. definivit distributionem dotalium subsidiorum faciendam esse juxta resolutionem majoris partis exequutorum, et occasione vocum paritatis procedendum esse per sortes: *Castellaneten. Subsid.* 27. *April.* 1748. *dub.* 4. *Confir.* 8. *Maii* 1751.

8. Qua de causa gesta per Archidiaconum Sebastianum Patrone, Thesaurarium Hieronymum Plagese, et Cantorem Nicolaum Tria exequutores Pii Montis nulla esse declarantur, ac in posterum nominationem faciendam esse collegialiter statuitur: *Ibid. dub.* 7. *Confir. Ibid.*

9. Quum adversus leges in dotium distributione peccasset Montis Sancti in Comitiis Communitas; Provinciae

(218) Quod promulgavit sub die 9. Junii 1730., quo mandatur eisdem Parochis, ut capaces subsidiorum dotalium considerari debeant tantum illae puellae, quae cum propriis parentibus in eorum Parochia permaneant, et in quibus nulla adsit suspicio, quod Parochiam adiverint, ut subsidia perciperent: *Ead. caus.* 21. *April.* 1731. §. *Parochus*.

Praeses a pluribus postulatus puellis, rescripsit, ut nova fieret electio, exclusis illis, quibus deerant hae conditiones, quas testatores exoptaverant. Concilio hinc die 30. Sept. 1757. iterum coacto, et in urnam injectis schedulis puellarum nomine inscriptis, facta est nonnullarum sortitio. Sortitioni huic, ac electioni refragatus est Silvester Scoccia. Proposita itaque causa, non ad novam electionem devenire, sed illam diei 30. Sept. validam esse S. C. firmavit: *Firmana Elect.* 11. *Aug.* 1759.

10. Electionem honestae puellae ad obtinendum subsidium dotale a Mercurio Leti in summa centum Florenorum relictum, tribus suffragiis, Prioris nempe, Canonicorum Ecclesiae S. Petri, et Operariorum, qui pro tempore deputantur, non vero per capita, faciendam esse, prout antea factum fuit, sancitur: *Spoletana Subs. Dot. Sup. modo Comp. Suffr.* 15. *Decem.* 1759.

11. Electionem decem puellarum pauperiorum Presbyteris Curatis Ecclesiae Parochialis S. Johannis oppidi Balneariae per testatorem Dominicum Guglielmini injunctam, et illarum extractionem pro consecutione subsidiorum, non cum Episcopi scientia, et adprobatione, et ipsius, aut Vicarii praesentia esse faciendam declaratur, sed eisdem Curatis independenter esse tantum permittendam statuitur: *Viterbien. Dot.* 11. *April.* 1761. *dub.* 6.

12. Sodales Mortis, et Orationis Civitatis Centum Cellarum ex pecuniis ex contributo collectis quotannis Dotes distribuunt ad rationem scut. 80. sub lege, quod una sit a Societatis Praeside nominanda, et altera superextans a Sodale ab urna extrahendo, et quod illa, quae a Sodalibus jam obtinuerat aliam habere nequisset dotem. Sed per statutum Sodalitii emanatum, variatum in hoc fuit, ut non Sodalis, qui nominaret, sed puella ab urna deinceps extraheretur, ne collusio fieret inter Sodales. Praeses Paullus Ruffinius puellam Hyacintham Petrini nominavit ad dotem; anno sequenti Praeses Angelus Graziosi nominavit puellam Anastasiam Ferrari. At quum harum puellarum nomina permanserint in urna pro altera assequenda dote sorte extrahenda, conquesti sunt Sodales, et oraculum S. C. exquisiverunt. Hanc validam non agnovit, deletionem factam ab urna nominis puellarum, quae dotatae fuerunt ad nominationem Gubernatoris Mortis, sed earum nomina retinenda in urna esse, donec fuerint sorte extracta pro altera consequenda dote: *Viterbien. Dot.* 20. *April.* 1782. Sed Sodales clamorem profuderunt, et S. C. susceptum judicium deposuit, et validitatem deletionis sustinuit: 8. *Febr.* 1783.

13. Quum Sacri Senatus oraculo opus fuisset, utrum Diamantes puella Dolci, an vero Rosa quondam Stephani Subsidium dotale relictum ab Ægidio Sanzi in summa scut. 50.? responsionem prodiit ut fieret nova electio; et quatenus Parochus, et Sodales non convenirent, arbitrio daretur Episcopi. Nam Diamantes sex in Comitiis ex undecim Sodalibus Societatum SSmi Sacramenti, et B. Mariae Virginis de Monte Carmelo oppidi Pisignani habuit favorabilia suffragia, Rosa novem favorabilia duo contraria, at in favorem Diamantis nominatio Parochi, quae ex dispositione testamentaria aequet omnia Sodalium suffragia simul sumpta, accessit: *Spoletana Subs. Dot.* 22. *Maii* 1784.

14. Episcopi Assisiensis Edictum, quo mandavit fieri depositum in aede Sacra subsidiorum dotalium statim ac facta fuerit extractio, seu nominatio puellarum ad eadem subsidia, validum esse S. C. agnovit: *Assisien.* 21. *Januar.* 1786. *dub.* 6.

15. In Consilio a Sodalibus S. Mariae de Misericordia Callii composito, actum fuit de insigni constituenda dote nobili puellae Annae Biscaccianti, scut. 600. Alter ex quatuor congregatis Conservatoribus aperte protestatus fuit; se ad id resolvendum numquam deventurum; alter bis dedit negativum calculum; reliqui vero duo suffragati sunt pro dotali suffragio. Finito dimissoque consilio, accessit qui contrarium tulerat suffragium, sanationem ab Episcopo impetrarunt. Modo disputatur, utrum valida sit illa Dotis assignatio? S. C. de nullitate non dubitavit: *Callien. Subs. Dot.* 15. *Decem.* 1787. *d.* 2.

16. Quum Constantinus Antonellius Collegiatae Ecclesiae Campaneani Canonicus distribui jussisset dotes relictas per sortem Consanguineis antelatis, tunc S. C. irritam declaravit nominationem Theodorae Salvi puellae Consanguineae factam a Canonico Constantino Salvi, cui jus puellas praesentandi est, ceteris neglectis. *Nepesina. Dot.* 21. *Aug.* 1790. *dub.* 2.

17. Subsidiorum Dotalium, qui Sacerdos Maria Perla reliquit, praematurae nominationes factae a Sodalitio S. Caroli Montis Falisci, aliis insciis exequutoribus testamentariis, irritantur juxta votum Episcopi, exceptis nempe consanguineis fundatoris aliisque extraneis jam nuptis sub illarum spe in Domino, vel seculo, et quae sponsalia contraxerunt, vel habitum assumpserunt Monasticum, dummodo intra annum in Domino, vel seculo nubant: *Montis Falisci Subsid. Dot.* 19. *Febr.* 1791. *dub.* 1.

18. In futurum vero esse nominationes faciendas decernitur juxta votum (219), et interventum Episcopi, vel ejus Vicarii, servato quoad illorum quantitatem ac formam testamenti Perla: *Ibid. dub.* 2.

19. Ac Subsidium dotale deberi Marianae Polidori testatoris consanguineae, quae illud ante contractum Matrimonium petiit, et ob praematuras collationes consequi non potuit: *Ibid. dub.* 3.

20. Alphunsus Putignani inter cetera in distributione dotium dedit Societati S. Mariae Orationis, et Mortis Urbis legem praescribentem propinquitatem, quae intercedere debet usque ad quartum gradum inter nominantem, et nominatam, exclusis extraneis. Stante hac lege habiles fecit suis rescriptis Sum. Pont. quatuor extraneas puellas in Domino nupturas. Nonnulli Sodales autem habentes jus nominandi adversus dicta Rescripta insurrexerunt, et re ad S. C. delata declaratum est, locum non esse rescriptorum executioni; licet Card. Protector Oratricibus faveret: *Romana Subs. Dot.* 17. *Junii* 1797. *Confir.* 19. *Aug. ejusd. anni.*

§. VIII.

Subsidium Dotale quoad Deletionem, et Remissionem.

1. Antonius Leonardi Gorfigliani haeredes fideicommissarios, omnesque substitutos gravavit onere solvendi summam scut. mille pro qualibet ex filiabus, quae vel in seculo, vel in Domino nupturae essent; necnon dandi duabus puellis Parochiae S. Thomei scut. 25. pro qualibet. Haereditas tempore mortis testatoris ad scuta triginta mil-

(219) Qui ait „ inhibitione praeterea facta, ne in posterum sub quovis praetextu, aut quaesito colore aliud conferant subsidium, nisi unum dumtaxat quolibet anno, atque adamusim servatis omnibus, et singulis conditionibus ab ipso testatore praescriptis sub poena nullitatis electionis, ac etiam solvendi proprio sumptu dotem illam, quam contra expressam hanc voluntatem nostram Officiales praedicti, seu Praefecti polliceri attentarent " *Ead. caus.* 29. *Januar.* 1791. §. 2.

lia adscendebat, et scuta mille reditus anni excedebant. Ad scuta vix 7000. hodie ascendit, et anni fructus vix summam scut. 120. attingunt. Inquiritur ideo, an sit reductioni, seu remissioni locus? nulla definitione data, demandata est nova informatio juxta instructionem (220): *Lucana Remis. Oner.* 23. *Febr.* 1726. Inde S. C. definivit: locum esse remissioni, donec Orator, ad pinguiorem fortunam devenerit, et pro condonatione pro praeterito: 31. *Julii* 1728.

2. Locum fuisse resolutioni Legati praestationis dotium, quas ordinaverat Sacerdos Marcus Tullius Ursinius, S. C. firmavit. Quum casus evictionis a testatore descriptus bonorum, quae pro pia fundatione fuerant assignatæ, evenerit: *Tudertina Trans.* 19. *Aug.* 1786. *dub.* 2.

3. Postquam Pia Domus Misericordiae pro infirmis, et peregrinis erecta ob redituum imminutionem onerum Missarum, et dotium obtinuerit reductionem ad Missas annuas 338., et dotes tres; causa terraemotus maximi anni 1755. alteram redituum passa est imminutionem, et onera omissa sunt. Ideo exorat pro suppressione, vel suspensione, sed S. C. denegavit suppressionem, et concessit suspensionem Missarum, et dotium ad decennium celebrato anniversario infra octavam omnium fidelium defunctorum applicando collective pro omnibus, qui onera relinquerunt. Nam reditus piae Domus modo scut. annua 800. attingit, et aegrotantium, aliorumque piorum operum sumptus est in scut. 1100. *Pharaonen. Supp. Oner. et Abs.* 9. *Julii* 1796. *d.* 1.

§. IX.

Subsidium Dotale quoad Jus Eligendi, ac nominandi Puellas.

1. Fabius de Amicis de Castro Sillani relinquit annua scut. 100. in subsidium dotale erogandum uni Virgini egenae eligendae a P. Guardiano PP. Cappuccinorum, a Priore SSmi Sacramenti, ac a viro seniore familiae Amiciae si haec adesset, aliter a Plebano pro tempore Castri Sillani; suo juri ter nunciavit P. Guardianus; et haec renunciatio causa fuit jurgii inter reliquos, quod S. C. composuit, vocem deficientem in electione puellarum ad subsidia dotalia esse concedendam Plebano, non Episcopis Spoletanis, aut quibuscumque resolvens: *Spoletana Juris Elig.* 15. *Novem.* 1704. *dub.* 1.

2. Patronos de Cancellottis, de Boccolis, et Centoflorenis ad dotes relictas a Junipera Gineuri privative nominare puellas Recanatenses non teneri, sed ad illas dotes etiam puellas exteras eligere posse S. C. sancivit. Nam testatrix nominari pauperes Virgines dixit: *Recineten. Subs. Dot.* 2. *Decem.* 1741. *dub.* 1.

3. Deliberandum adducitur, an familia de Cancellottis, et de Boccolis possint in posterum nominare exclusive ad familiam de Centoflorenis totidem puellas ad dictas dotes, quot in praeteritum eadem familia de Centoflorenis privative nominavit? ad Episcopum qui procedat prout de jure statutum fuit: *Ibid. dub.* 2.

4. Collegiatam Ecclesiam SS. Mariae et Hilarii, cujus Parochi nominandi puellas ad subsidia quaedam dota-

(220) Ea vero fuit instructio, ut Archiepiscopus, receptis probationibus, certiorem faceret S. C., primo de statu antiquo, et praesenti haereditatis Antonii olim Leonardi Gorfigliani: secundo ex quanam processerit causa diminutio redituum: tertio an Orator praeter haereditatem possideat alia bona; demum qualis sit status Familiae Oratoris tam circa bona, quam circa numerum filiorum" *Ead. caus.* 31. *Julii* 1728. §. *Lucana*.

lia gaudebant jure, nunc S. Francisci de Paulla terrae Lugi, suppressit Benedictus XIV., et Collegiatae, et unicae Parochiali olim S. Jacobi, nunc SS. Petronii, et Prosperi una cum omnibus juribus, et emolumentis univit. Illi vero suppressae Ecclesiae PP. Scholarum Piarum una cum pensione 40. scut. a Capitulo matricis solvenda, et cum animarum cura praefecit adempta jam antiqua. Quaestione hinc super puellarum nominatione inter Capitulum et Curatum S. Francisci de Paulla facta, incertum fuit, an jus nominandi puellas ad subsidia dotalia in festis Nativitatis B. M. S. Rocchi, et Montis Pietatis spectaret ad Capitulum SS. Prosperi, et Petronii, seu ad dictum Curatum? S. C. ad Capitulum spectare definivit: *Imolen. Jur. Par.* 20. *Decem.* 1760. *dub.* 22.

5. Constantia Zerbinati testamento mandavit, ut deficientibus haeredibus Monasterium Monialium aedificaretur in patria cui protectionem reliquit. Quum pares ad erectionem Monasterii haud essent reditus, et fundus, Clemens XI. pium hoc opus in spiritales convertit dotes, commisitque Forosempronensi Episcopo distributionem. Episcopus sibi puellas eligendi, et nominandi potestatem tributam censet; et Communitas sibi datam putat ex patronatu testamentario. Audita S. C. respondit, competere Episcopo, salva auctoritate S. C., audita Communitate super verificatione requisitorum: *Forosempronien. Subs. Dot.* 8. *Aug.* 1789. *dub.* 2.

6. Canonicus fundationis Amadei Ecclesiae Collegiatae S. Eustachii Urbis jus habet nominandi puellam, uti alii Canonici pro consecutione subsidii dotalis scut. 25. relicti ab Innocentio Bardonio, qui Canonicos supradictos non exclusit: *Romana* 27. *Febr.* 1790 *dub.* 6.

§. X.

Subsidium Dotale quoad Praelationem.

1. In conflictu duarum Consanguinearum, et aliarum puellarum ad subsidium dotalem obtinendum relictum a Hieronymo Lozzio cum praelatione consanguinearum S. C. censuit esse praeferendam consanguineam natu majorem. Licet neutra ex illis habent legitimam aetatem ad religiosa vota emittenda in Monasterio Civitatis Matelicae prout testator disposuit: *Camerinen. Subs. Dot.* 9. *Aug.* 1698.

2. In concursu puellarum nobilium non sunt simul admittendae etiam puellae ignobiles concurrentes, itaut quae ex illis majorem suffragiorum numerum tulerit, sit eligenda, sed ignobiles admittendae et eligendae sit in defectum tantum nobilium. Nam Tullia Geraldina, subsidia dotalia reliquit, hac lege *ritrovandosi alcuna Zitella Nobile ma povera, o alcuna di bassa mano, ma pero onorata, che si vogliano far Monache.... l' elegga ec. Amerina Subs. Dot.* 5. *Julii* 1710.

3. Constituitur, quaestio, an in concursu puellae Venetae destinatae pro Matrimonio Carnali, et puellae Romanae destinatae pro Matrimonio spirituali sit praeferenda Veneta, vel potius Romana, quoad dotes relictas a Nicolao Gotti Archiconfraternitati S. Hieronymi Charitatis Urbis, qui primo loco jussit in Monasterio vovendas, maritandis, deinde vero mandavit puellas venetas Romanis praeferri. S. C. dubium pro definitione remisit ad AC. (221): *Romana Praelat. Dot.* 28. *Febr.* 1711.

4. In concursu puellarum ad assequenda duo subsidia dotalia relicta a Gaspare Servantio distribuenda, cum prae-

(221) Quod est Tribunal Curiae Romanae, et apud quod ad tramitem juris voluntas Testatoris in testamento expressa examinanda est.

tatione illarum, *lequali si vorranno monacare*. Anna Maria de Partiguelfis jam Monastico habitu induta in Monasterio S. Catharinae praeferri petiit Rosae, et Victoriae de Cupido in seculo nupturae. S. C. tamen decrevit esse praeferendas Rosam et Victoriam: *Sancti Severini Subs. Dot.* 5. *Sept.* 1711.

5. Ex pia dispositione Hieronymi Lozzi Oppidi Matelicae praelectae fuerunt in admissione ad habitum Monasticum puellae Consanguineae descendentes, ut subsidium dotale consequi possint et revera locum obtinuit puella Nicola de Seghettis tanquam major natu inter concurrentes, et aequales consanguinitatis, seu affinitatis cum testatore. At reclamavit Maria Theresia Paladina utpote ex hujusmodi admissione gravata, et S. C. respondit coadjuventur probationes super proximitate juxta instructionem (222): *Camerinen. Subs. Dot.* 13. *Aug.* 1707. Inde deberi Paladinae subsidium Dotale decrevit S. C. 16. *Novem.* 1709.

6. Canonicus Augustinus Bozzius oneravit suam haereditatem distributione unius subsidii dotalis in favorem propinquioris sanguine. Felix Antonia uxor Gregorii Lupidi reportavit assignationem hujusce subsidii quum sit in sexto gradu testatori propinqua, ac cedulam subscriptam recepit. At plures parentes puellarum insurrexerunt autumantes illam esse a 40. annis in matrimonio conjunctam, et S. C. ad dubium, an ei debeatur legatum Dotis? respondit negative: *Ripana Sub. Dot.* 7. *Julii* 1714.

7. Disputatio instituta est, an Sorores, Filiae, Neptesque respective Francisci et Constantini de Surchis agnatorum testatoris Johannis, uti ei conjunctae praeferri debeant ex justitia, vel ex gratia in concursu puellarum extranearum, quas vocavit testator? S. C. recurrendum in casibus particularibus putavit: *Ferrarien. Red.* 14. *Novem.* 1716. *dub.* 2.

8. Petrus Nicolaus Fantozzius Matelicanus haeredem instituit Societatem S. Apolloniae in Ecclesia S. Augustini de Urbe, eamque oneravit de dotandis puellis parentibus orbatis, vel viduis, cum praelatione illarum, quae a suis concivibus descendissent. Eleonora Catherina Fundati praetendit se esse praelative ad alias puellas, et absque lege bussoli ad subsidium dotale admittendam argumento ducto a praelatione concivium ad consanguinitatem, ad quam demonstrandam quum ceterae, quae praeferri postularent non adessent, se non esse adigendam autumat, sed repulsam passa est: *Romana Subs. Dot.* 13. *April.* 1720.

9. Johanna Lucilla de Blondis haeredes sibi scripsit Moniales SS. Bernardini, et Marthae urbis Bononiae adiecto eis onere, ut alieni nobili, honestaeque puellae Religiosum habitum in earum Monasterio suscipere volenti dotale traderent subsidium praelatis iis, quae a familia de Bosellis descenderent. Plures hinc Moniales expertae sunt lites super hujus legati executione, et non fuit sine dubitatione, an praelatio in hoc assequendo subsidii supplemento, puellis familiae de Bosellis deberetur? et quatenus affirmative.

10. An praelatio debeatur tantum puellis Familiae de Bosellis descendentis a quondam Elisabetha de Anselmis, seu

(222) Ut coadjuventur probationes super proximitate praefatarum puellarum Hieronymo Lozzo testatori, quodque nempe transmittatur copia descriptionis factae personarum consanguinearum illius in processu confecto anno 1636. nec non verificetur descendentia utriusque puellae per gradus distinctos, praevia Fide Baptismatum, depositione testium, aliisque legitimis documentis a partibus hinc inde adducendis, et iis auditis, justificandis: *Ead. caus.* 28. *Sept.* 1709. §. *unic.*

etiam omnibus Familiis de Bosellis Bononiensibus? et quatenus affirmative quoad primam partem, et quoad secundam negative.

11. An dicta praelatio debeatur tantum puellis natis ex masculis dictae familiae, vel etiam ex foeminis ejusdem familiae, et quatenus debeatur utriusque in concursu quaenam sit praeferenda illa scilicet nata ex masculo, vel alia ex foemina, seu intret arbitrium Superiorissarum?

12. An jam dicta praelatio debeatur tantum puellis immediate natis ex patre, vel matre de Bosellis, vel etiam mediate natis ex matre, et sit extensiva ad familias de Adamis, de Livizzanis, de Furestibus, aliasque de quibus in arbore, et ad ulteriores gradus quatenus vero tertium dubium resolvendum esset deberi praelationem omnibus familiis de Bosellis Bononiensibus?

13. An ista debeatur puellis immediate natis a patre tantum de Bosellis, vel etiam immediate ex Matre, seu etiam mediate natis ex matre; itaut sit extensiva ad ulteriores gradus ex linea materna?

14. An puellae praeferendae ultra qualitatem familiae de Bosellis, ut supra necesse sit, quod habeant qualitates volitas a constitutionibus monasterii de quo agitur, et indigeant approbatione Archiepiscopi pro assequendo dicto supplemento?

15. An in concursu duarum puellarum, vel plurium in pari gradu praelatione, aliisque requisitis Monasterii, et approbatione Archiepiscopi gaudentium, et supellectilem, livellum, aliasque res necessarias habentium, ac supplementum petentium sit in arbitrio Superiorissarum potius unam, quam aliam eligere, eidemque dare supplementum seu potius praeferenda sit illa habens majorem quantitatem residui dotis, supellectilis, et livelli?

16. An veniente casu distributionis unius supplimenti, vel plurium teneantur Moniales judicialiter ac specialiter cuicumque familiae, seu puellae jure praelationis gaudenti notificare, seu intimare distributionem faciendam?

17. An non extantibus puellis praeferendis in aetate habili ad profitendum immediate post annum tyrocinii liceat Superiorissis dare supplementum aliis puellis eisdem benevisis praelatione non obstante seu potius expectare teneantur, quod puellae praeferendae perveniant ad legitimam aetatem? S. C. omnium definitionem remisit ad judices suos: *Bononien. Suppl. Dot.* 8. *Junii* 1726. *dub.* 2. *usque ad* 10.

18. Jacobus Porfirius loci Murri Vallium reliquit Societati Mortis quadraginta duo loca Montium cum onere dotandi ex fructibus singulis annis quatuor puellas pauperes oriundas suae patriae, vel territorii, quae essent annorum 17. completorum, extrahendas per sortem. Jujunxit autem ut dato, quod puellae consanguineae, et affines in quolibet gradu, et quolibet loco degentes concurrerent, supra ceteras consequerentur dotem nec essent sorte extrahendae, quamvis aetatem annorum 17. nondum attigerint, consanguineis testatori proximiores remotioribus ante ferendo. Dubio super graduum progressivitate examinato, competere praelationem consanguineis, et Affinibus testatoris in quocumque gradu conjunctis dijudicatum est: *Firmana Sub. Dot.* 9. *Sept.* 1730.

19. Franciscus Stanchi in urbe Advocatus jussit, ut quotannis dos in scut. 60. distribueretur puellae vel in seculo, vel in Domino nubendae, anteferendo tamen illam, quae sibi esset proximior, necnon et proneptem ex Agnete Capecci, quae a Theresia Stanchi consanguinea sua orta est sub lege ut si haec adesset dictum subsidium

per quinque annos consequeretur. Anna Milli ex Theresia ejusdem testatoris Consobrina proneptis Benedictum XIII. adiit, et ut sibi assignaretur dos pro conficienda summa scut. 1000. ad professionem emittendam obtinuit. At Elisabetha testatoris ex Theodora sorore Capecci proneptis probans Annam esse sufficienter dotatam, et testatori minime esse proximiorem, ac praeceteris eam esse non Annam primo loco vocatam, neque ab exequutoribus testamentariis fuisse firmatum illud rescriptum obreptitia labe infectum. S. C. praefatum rescriptum abrogavit: *Romana Subs. Dot.* 29. *Martii* 1738. *confir.* 27. *Sept. ejusd. anni. dub.* 1.

20. Maria Boncompagni haeredes nuncupavit Thomam et Ursulam Philippi fratris sui filios sub eo tamen onere, ut SS. Annuntiationis die distribuerentur quatuor dotes in summa scut. 50. pro unaquaque pauperibus distribuendae puellis, iis vero praeposuit juxta aetatis ordinem filias Ursulae Boncompagni Nepotis suae, et Roberti Orsini uxoris, quibus sive in Domino, sive in seculo nubentibus dari etiam voluit dotem usque ad summam scut. 400. Theresia una ex filiabus Thomae Boncompagni haeredis una cum Ursula instituti precatur praedictam dotem. Opposuit sese Comes Alexander Ursinus, et Flaviae filiae suae, licet in tenera aetate existenti dotem in eadem summa postulat. Excitantur etiam et Oratricis Mariae Theresiae sorores, Anna nimirum Camilla, et Septimia, et unam cum sorore postulationem ejusdem dotis exhibent, et quaerunt omnes in cujus favorem sit consulendum Sanctissimum? responsum fuit, ut pro nunc in favorem Mariae Theresiae sit consulendum: *Romana Subs. Dot.* 6. *Decem.* 1738.

21. Improbato a S. C. cumulo obreptitie obtento ab Anna Milli ex Theresia Francisci Stanchi testatoris consobrina pronepte demandata ejusdem Camilli restitutione, in scenam prodierunt Isabella, et Theresia de Ferettis ex Catharina testatoris consobrina descendentes itidemque Anna Lucretia Savelli, quae tanquam spirituali cognatione a testatore praevisa conjuncta est, contendens unaquaeque earum, ut Elisabethae Capecci testatoris ex Theodora sorore proneptis ejusque filiabus, quae veterem petitionem instaurant, antehaberentur. S. C. rem Card. Praefecto cum facultatibus commendavit: *Romana Subs. Dot.* 24. *Sept.* 1740.

22. Anna Victoria Pacioni grati animi ergo donavit Ferdinando Sciamanna praedium cum apotheca variis tamen adjectis oneribus; et primum ut eorum fructus deponerentur usque ad efficiendam summam 500. scut., ut haec deinde summa puellam, quae Interamnae religiosum habitum susciperet, dotaret. Praelationem vero dedit ex domo praefati Ferdinandi, deinde praetulit puellam ex domo Lulla Gubernari, et deinde aliam puellam e domo Josephi Rocci; quibus demum omnibus deficientibus voluit, ut Episcopus Interamnae civem puellam eligeret. Martha Sciamanna Barbaram ex viro Stephano praemortuo filiam ad dotem prae ceteris vocatam vocabulo *domus* contendit. Ferdinandus contra a testatrice dilectus filiae suae dotem debitam esse demonstravit, et vicit: *Interamnen. Sub. Dot.* 16. *Febr.* 1743. *dub.* 1.

23. Causa in disceptatione versatur, an locus sit consignationi subsidii dotalis temporalis, quod Eleonora Marronia filiabus ad primogenituras a se institutas vocatorum reliquit, Eleonorae Morroniae, quae testatricis praedilectionem, et consensum aliarum familiarum primo vocatarum habet, quaeque jam nuptias contraxit, atque hanc promisit quae jure consequi credit?

responsum fuit, dilata, et scribatur Archiepiscopo pro nova informatione juxta instructionem audiiis interesse habentibus: *Firmana Sub. Dot.* 26. *Junii* 1745. *dub.* 2.

24. Quum Petrus Sensinus Pontoni, civis Camerinensis ab haeredibus praestari voluisset dotes pro puellis a sua suorumque linea descendentibus urbis Camerini, seu Dioeceseos Camerinensis Monasterium Camerinense ingredi cupientibus; Comitissa Justina Pericoli, quae per lineam foemininam a Cruciano Pontoni descendit, quaeque Romae nata in Monasterio SS. Dominici, et Xisti degit, et in eo Monialis esse cupit, ceteris aliis puellis praelationem sibi deberi postulat; sed pro Deo vovendo in Monasterio Urbis praedictam dotem obtinere non valuit: *Camerinen. Subs. Dot.* 15. *Decem.* 1753. Verum aliae Justinae sorores, quae Monasterium in urbe Camerini ingredi paratae erant, et Camerini originarios, et testatoris consanguineos et proximiores se esse ostendebant, petierunt praedictum dotale subsidium, et eas ad subsidia, de quibus agitur, concurrere posse, rescriptum prodiit: 16. *Martii* 1754.

25. Ambrosius Fonti Sodalitium Sancti Michaelis Archangeli in Burgo haeredem scripsit onere injuncto, ut dotem praestaret sive spiritualem sive secularem statum amplectentibus puellis, quae pauperes honestae, bonisque prognatae parentibus essent, et quae antiquiorem habitationem haberent in platea Bancorum, ubi ipse testator habitavit. Hinc saepe facta quaestio fuit inter Sodales, et puellas eligendas de praeferentia; utrum nempe eae anteferendae sint, quae supra narratis qualitatibus pollerent, an vero eae, quae antiquiorem, majoremque habitationem haberent? puellas habitationem antiquiorem habentes ceteris paribus praeponendas resolutio fuit: *Romana Subs. Dot.* 11. *Aug.* 1753.

26. Franciscus Mainardi haeredem instituit Archiconfraternitatem SS. Annuntiationis Urbis sub lege, ut tot quotannis dotaret puellas parentibus orbatas, quae in Monasterio SS. Quatuor Coronatorum aetatis quindecim annorum existerent: sin vero hujus illic aetatis non reperirentur, voluit, ut tot puellis parentum orbatis Romae morantibus, et dotem ordinariam ab eadem Archiconfraternitate ad Religiosum suscipiendum habitum consequutis distribuerentur praedictae dotes. Nunc Monasterium SS. Quatuor contendit, ut puellae etiam patre tantum orbatae admittantur, Archiconfraternitatis contra officialis Advocatus praetendit utriusque parentis orphanas admittendas esse, et parentibus orbatas Urbis, quae utroque parente destitutae sunt, praeferendas: sed Monasterium palmam supra Archiconfraternitatem reportavit: *Romana Subs. Dot.* 12. *Maii* 1759. *Confir.* 30. *Junii ejusd. anni.*

27. Puellas descendentes a fratribus, et Sororibus Sentiae Uxoris testatoris Dominici Guglielmini oppidi Balneariae in subsidio dotali scut. 50. ad quartum usque gradum a testatore volitum in expressione, ut supra antehabendas esse S. C. sententiam tulit: *Viterbien. Dot.* 11. *April.* 1761. *dub.* 1.

28. Descendentes autem ultra quartum gradum a sororibus testatoris dotandas non esse in scutis 50., et ad nullum propterea gradum hanc dotationem extendendam esse rescribitur: *Ibid. dub.* 2.

29. Neque in primo gradu computandae sunt tam ipsae sorores Fundatoris, quam sorores et fratres Sentiae Uxoris; sed illarum filiae computandae veniunt: *Ibid. dub.* 3.

30. Et eorumdem graduum ad praeferendas puellas in dotibus supradictis distribuendis probatio non coram Epi-

scopo sine illius Vicario Generali praesentibus curatis, sed coram solis Curatis, de quibus tantum tanquam voluntatis suae exequutoribus, et gravatis haedibus loquutus testator erat, facienda est: *Ibid. dub.* 4.

31. Necnon et ad distribuenda praedicta dotalia subsidia, non est determinandus numerus subsidiorum dotalium puellis extraneis distribuendorum post deficientiam dictorum graduum consanguineorum testatoris, ejusque uxoris Sentiae; sed juxta quantitatem fructuum cujuslibet anni ad rationem scut. 50. pro quolibet subsidio ad formam testamenti eadem subsidia distribuenda veniunt: *Ibid. dub.* 5.

32. Francisca Bartolocci virum suum Marcum Antonium Barberii haeredem instituit eique substituit Archiconfraternitatem SS. Stigmatum cum onere dotandi tres puellas in summa 30. pro qualibet, ex quibus una eligenda ab haeredibus sui viri, aliae vero duae a PP. Guardianis eligendae erant. Magdalena Polidori neptis ex filia Prosperi Barberii Marci Antonii fratris filii supplicavit pro assignatione aliorum duorum subsidiorum annuorum nempe scut. 15. pro educatione, et aliorum 45. pro multiplico dotis faciendo. Petrus interim Saullus Barberius superveniens, uti ex familia Barberia vocata a S. C. obtinuit gratiam assignationis scut. 250. pro filia majori nata vel neptae, quae prius nuptura esset. Hac de causa quaeritur, utrum rescriptum esset exequendum, seu potius Magdalenae sit tertium indulgendum subsidium? rescriptum exequendum esse, et tertium subsidium in favorem Oratricis esse prorogandum ad aliud quinquennium decisum fuit: *Romana Subs. Dot.* 26. *Novem.* 1763.

33. Francisca Bartolacci Barberi ab haerede suo viro Barberi, cui Archiconfraternitatem SS. Stigmatum Urbis substituit, praestari voluit tria dotalia subsidia in scut. 30. pro quolibet singulis annis distribuendi pauperibus puellis. Praelationem vero dedit illis ex familia Barberia descendentibus absque alio ceterarum respectu quoad illas eligendas. Hac innixa dispositione puella Magdalena Polidori a Marco Antonio Barberi descendens ab Archiconfraternitate petiit fieri cumulum 600. scut. eique assignari pro dote spirituali. Postea venit Theresia Barberi, et petiit anteponi in consecutione praefatae dotis quum ipsa sit Agnata, illa vero Cognata. Ideo S. C. respondit, exequendum minime esse rescriptum emanatum 23. Novem. 1768. in favorem Magdalenae Polidori Barberi, sed annuendum esse precibus Theresiae Barberi: *Romana seu Albintimilien. Subs. Dot.* 18. *Novem.* 1769.

34. In testamento subsidium dotale in scutis 60. puellae, vel in seculo, vel in Domino nubendae reliquit Francisca Ventura, Romae nata, sed Campi Rivi Frigidi Tyburtinae Dioecesis orta, cum lege praelationis consanguinearum. Maria Bernardini ejusdem Castri testatricis in remoto gradu consanguinitatis manens a Parocho S. Mariae in Aquiro, ad quem nominatio pertinet, dotem etiam judicialiter, quia ex defectu dotis non valet emittere professionem, petiit. Interim vero idem Parochus nominavit Dominicam Antoniam Venturam testatrici proximiorem, et pauperiorem. Propterea quaenam praeferenda sit, postea nempe nominata, an illa quae petiit prius? Dominicam antehabendam esse S. C. sancivit: *Romana Subs. Dot.* 16. *Decem.* 1769. *dub.* 1.

35. Gertrudes, et Anna sorores Rovatti, utpote a Matelicanis, immo a pii fundatoris Petri Nicolai Fantozzi Matelicenis civis consanguineis descendentes, primum locum sibi vindicare

contendunt ad subsidia dotalia obtinenda. Testator autem disposuerat, ut si puellae honestae, quae a concivibus suis descenderent Romae adessent, praeferrentur. Descendentiam ad tertium usque gradum ex linea masculina sodalitii S. Appolloniae erecti in Ecclesia Divi Augustini de urbe, haeredis instituti, Deputati cohibere praetendunt. Sed Gertrudem, et Annam sorores praedictas ad dotale subsidium Fantozzi etiam praelative ad alias puellas esse admittendas servata dispositione testamenti, et decretis Card. Franzoni, auctoritate Apostolica emanatis (223) S. C. rescripsit: *Romana Subs. Dot.* 25. *Januar.* 1772.

36. Sacerdos Jacobus Cirilli Mazi pensiones domorum, quas in claustro Haebreorum urbis Senogalliae possidebat, deservire jussit pro tribus subsidiis dotalibus scut. 29. pro qualibet, conferendis totidem pauperibus ejusdem Civitatis, seu territorii puellis. Praelationem ad haec subsidia tribuit puellis descendentibus, et nonnullis ab ipso designatis familiis sibi sanguine conjunctis, in quarum favorem dotem ad scuta 58. auxit, et jus nominandi reliquit famulae Baptistae Petulatae, et Antonio Lombardi, eisque permisit, ut novem in antecessum eorum arbitrio, et in quacumque aetate existentes puellas nominarent. Antonius Lombardi, cuilibet puellae subsidium petenti, nominationem dedit, ita ut 120. hodie nominatae puellae comperiantur. Quatuor vero ejusdem filiae ob prodigam patris adminstrationem pauperes, dotem postulant consanguineis debitam, et tot jam factas nominationes non sustineri contendunt, ac in istarum favorem dotium cumulum fieri cupiunt, ut decenti matrimonio collocari possint. S. C. primum dixit, ut coadjuventur probationes juxta mentem (224): *Senogallien. Subs. Dot.* 8. *Maii* 1773. Deinde resolvit pro Oratricibus juxta modum (225): 11. *Junii* 1774.

37. Familia Lotrecchi primo loco no-

(223) Mandavit testator, ut omnes suae haereditatis fructus erogari deberent in tot subsidia dotalia scut. 35. in favorem puellarum *figlie di Vedova, o Vedovo, o Orfane, e che siano povere, ed anche figlie di persone onorate, e che abbiano almeno* 18. *anni*. Addidit tamen: *caso che in Roma vi fossero Zitelle di onesti parenti, che fossero discesi da' miei paesani, che arrivino all' età sopradetta, siano sempre preferite all' altre*.

Ad tollendas factas inter concurrentes quaestiones, invectosque abusus, Card. Franzonus auctoritate Apostolica anno 1691. plura edixit. Ac primo quidem, ut praeferrentur puellae utroque parente orbatae, dummodo a Matelicanis descenderent, et in urbe a quadriennio saltem morarentur. Deinde, ut admitterentur puellae alterutro ex parentibus carentes, et iisdem pollentes requisitis descendentiae a Matelicanis, et permanentiae in urbe a quadriennio. Haec autem requisita adesse voluit in aliis puellis utrumque parentem habentibus, quas tertio loco ad subsidiorum dotalium consecutionem admitti praecepit. Ac demum in quolibet ex relatis casibus praeferri jussit puellas a Matelicanis descendentes, quae in urbe natae fuissent, exhibita tamen prout de omnibus disposuerat, fide honestatis, paupertatis, et aetatis testimonio: *sub die* 11. *Januar.* 1772. §. *Romana*.

(224) Inquiri diligentius jussit ab Episcopo, quanto tempore, quibusque annis Antonius Lombardi haereditatem Sacerdotis Magi possederit; quot numero nominationes, et quibus pariter annis in puellarum favorem contulerit, et quia delatae etiam fuerant querelae de dispersione pecuniarum proveninentium ex pensionibus domorum, quae in dotalia subsidia erogari debent, idcirco injunctum Episcopo fuit, ut sedulo incumberet, ne pecuniae distraherentur, et siquid a Michelina perceptum fuisset restitui curaret: *Ead. caus.* 14. *Maii.* 1774. §. *Haec*.

(225) Nempe satisfactis primum novem subsidiis puellis nominatis ab Antonio Lombardi juxta earum anterioritatem desumendam, vel ex tempore factarum nominationum, vel ex annis, pro quibus nominatio-

minata in testamento Andreae Borgogna, quo una simul septem familias ad dotale subsidium a se institutum vocaverat, ita tamen ut sorte extraherentur puellae, quae ex dictis familiis consequi debent dotem, praelationem postulavit in dicto dotali subsidio, ejusque petitio rejecta fuit: *Fanen. Subrog.* 18. *Decem.* 1773. *dub.* 2.

38. Fridericus Mortale Civitatis Alatrinae haeredi substituit Societatem S. Sixti, onere tamen adjecto, ut teneretur de fructibus percipiendis dotare duas parentibus orbatas puellas, et miserabiles anno quolibet in perpetuum pro summa scut. 12. et obul. 50. pro quolibet. Nunc Bruno Mortale preces porrexit, ut dicta subsidia dotalia assignarentur geminis suis filiabus spatio quadrienni, et Alatrinae urbis puellis anteferrentur, utpote testatoris ipsius familiae, et sexto agnationis gradu ipsi junctae, et pauperes. S. C. protelavit decretum, ut coadjuventur probationes super sanguinis conjunctione cum testatore: *Alatrina Dot.* 30. *Martii* 1776.

39. Postquam bis proposita, et nunquam resoluta causa fuerat, redeunt sorores Margaritha, et Rosa Nardi ut consortes faciat subsidii, quod ab Advocato Caesare Valentino relictum fuit puellis ab Archiconfraternitate SS. Annuntiationis juxta eorum decreta, et statuta dotandis octo, et confitentes se esse testatoris affines, quamvis in undecimo quadruplicis affinitatis gradu cum testatore existentes ex una parte, et ex parte altera in octavo sanguinis gradu conjunctae, praelationem supra puellas Romanas, et cumulum sibi debere plaudunt, et acerrime contendente dicta Archiconfraternitate, perceperunt scut. 150. pro unaquaque: *Romana Subs. Dot.* 27. *Junii* 1778.

40. Puellas consanguineas Jacobo Fornaciari ex oppido Carticeti fundatori subsidii dotalis ad quintum usque canonicum gradum inclusive constitutas ceteris, quae pariter consanguineae sunt praeferendas esse judicium S. C. fecit: *Fanen. Subs. Dot.* 9. *April.* 1785. *d.* 1.

41. Dictam ad quintum consanguinearum gradum praelationem extendi quoque debere ad puellas attinentes Comitatus Carticeti, responsum pariter fuit: *Ibid. dub.* 2.

42. Nec non sub nomine attinentium, quibus testator cavit specialiter affines minime comprehendi decisum fuit: *Ibid. dub.* 3.

43. Quumque idem testator sive consanguineas sive attinentes considerasset extraneas puellas oppidi Carticeti pauperiores, latebat, de quanam paupertate pro assecutione dicti subsidii dotalis constare debeat extranearum respectu? Arbitrio, et conscientiae Collatorum explicatio remissa fuit: *Ibid. dub.* 4.

44. Clericos Regulares ministrantes Infirmis haeredes institutos a Francisco Passarini, et ad distribuendum quotannis dotem in summa 12. scut. gravatos, ad subsidium hoc dotale puellas per foeminam a familia Passarini praedilecta, et antelata descendentes, nominare cogi debere S. C. arbitrata est: *Reatina Subs. Dot.* 8. *Junii* 1786. *d.* 1. Sed reclamantibus PP. jus ad dotem nominandi habentibus indefinitam nimis esse datam praelationem foeminis agnatis et cognatis, S. C. subjunxit in decisis, et usque ad quintum gradum Canonicum inclusive praelationem cohibuit: 9. *Sept. ejusd. anni*.

45. Duae unicum petierunt subsidium Valerii Bonafede puellae, pauper Ursula Antolini admissa inter Cho-

nes factae sunt, esse locum deinde assignationi dotium pro filiabus Lombardi in summa scut. 58. pro qualibet: *Ead. caus.* 11. *Junii* 1774.

rales Albani Moniales, et Maria Josepha Toni divitis Stamnearii filia, recepta inter Moniales Barcenni. Per sodales Orationis, ac Mortis fuerunt ad sortem; ac tredecim utrique ex 24. suffragati sunt, licet ob discessum alterius sodalis, in uno superata fuerit contrario suffragio Antolina, precibus exhibitis S. C. dandum esse subsidium dotale juxta votum Card. Protectoris (226) : *Romana Subs. Dot.* 28. *Novem.* 1789. *Confir.* 20. *Martii* 1790.

46. Quum contendere coepissent Capitulares Ecclesiae Calaritanae de praelatione nubentium in Domino ad dotalia subsidia relicta, Bernardo de Carignena, et Ipensa Archiepiscopo Calaritano, S. C. decrevit esse locum praelationi puellarum nubentium in Domino juxta votum Archiepiscopi (227) : *Calaritana Subs. Dot.* 5. *Junii* 1790.

§. XI.

Subsidium Dotale quoad Reductionem.

1. Virgilius Lucarinus in favorem puellarum terrae Trebii dotes scut. 100. reliquit, ac pro manutentione Collegii Puerorum. At diminutis reditibus, sodales Societatis Sac. Stigmatum Trebii ad explenda praefata pia Opera deputati supplicant vel numerum dotium, vel sortem pro eis assignatam reduci. S. C. reduxit dotes ad annua scut. 60. pro qualibet : *Spoletana Red. Dot.* 10. *Maii* 1687.

2. Isabella Columna Principissa Sulmonae ducat. 150. cum onere quotidiano duarum Missarum reliquit. Aliam legavit summam filius ejus Pompejus de Lanoya pro distribuendis subsidiis dotalibus. Extincta familia feuda ad Cameram Regiam devoluerunt, ac reditus fiscales assignati passi sunt diminutionem. Itaque reductio onerum fuit postulata, et obtenta detracta summa ducat. 150, pro Legato Missarum Principissae Isabellae : *Neapolitana Subs. Dot.* 26. *April.* 1698. *dub.* 1.

3. Quoad legatum pium subsidiorum dotalium Andreae Lucatelli S. C. denegavit die 12. Decem. 1693. reductionem petitam sub obtentu diminutionis sortium assignatarum, quum Episcopus asseruit superesse adhuc reditus sufficientes. Inde repetita instantia, rescripsit, factis novis diligentiis pro reductione arbitrio Card. Praefecti : *Romana Red. Oner.* 16. *Maii* 1699.

4. Antonius Giugni della Simona legavit Universitati Pomariorum erectae in Ecclesia S. Mariae de Horto loca decem Montium cum onere distribuendi puellis duas annuas dotes scut. 25. pro qualibet. At imminutis fructibus ob reductionem, ac extractionem Montium Locorum usque ad annua scut. 27. 60. S. C. censuit esse locum reductioni : *Romana Reduct. Dot.* 19. *Febr.* 1701.

5. Mensa Nummaria, ac Domus SS. Annuntiatae Neapolis, quae onere distributionum subsidiorum dotalium gravabatur, decoxit. Gubernatores proinde soliciti fuerunt de temporali aliquo remedio, donec negotium componeretur; et a S. C. reductionem consecuti sunt ad decennium subsidiorum dotalium ad scut. 50. pro quolibet : *Neapolitana Red. Oner.* 15. *Martii* 1704. *d.* 2.

6. Necnon subsidia dotalia ab Ascanio ordinata ducat. 100. esse quoque

(226) Qui ait, ut in puella Maria Josepha Toni, tamquam filiae divitis, commodique Stamneari deficit, ac deest extrema paupertas a pio Fundatore requisita. „ facile autem annuisse precibus Ursulae Antolini propter istius egestatem, si non absolutam, certe respondentem suae conditioni ". *Ead. caus.* 28. *Novem.* 1789. §. 3.

(227) Qui ait „ A recepta hactenus consuetudine recedendum non esse censerem, ut in competitione dotis, de qua agitur, facta a puellis, quarum una sit monacanda, reliquae carnali matrimonio jungendae, nullum omnino album conficiatur, sed dos illico monacandae prae aliis assignetur. " *Ead. caus.* 5. *Junii* 1790. §. 5.

ad ducat. 50. pro quolibet accomodanda S. C. putavit: *Ibid. dub.* 2.

7. Johannes Minellus de Aricia reliquit vigore sui codicilli censum in sorte scut. 1000. fructus quinque pro quolibet centenario Societati SSmi Sacramenti dicti oppidi cum onere dotandi quotannis puellam in scutis 40. Modo restitutus fuit census, et erogata sorte in minori fructu rogavit Societas retinendi pro se quintam partem ac reducendi subsidium dotale; at S. C. sub die 16. Maii 1697. rescripsit ut fructus integri erogentur in annuum subsidium dotale, deinde decretum confirmavit: *Albanen. Subs. Dot.* 24. *Sept.* 1707. *dub.* 1. *ac* 28. *Aug.* 1708.

8. Nuncupatis haeredibus PP. Theatinis S. Andreae de Valle Emmanuel Henriquez jussit distributionem dotalium subsidiorum assignatis locis Montium, et voluit, ut ii nisi sufficerent, tunc Patres tenerentur coemere alia loca Montia. Dicti PP. cesserunt hanc distributionem Archiconfraternitati Confalonis Urbis, ac loca Montium nonnulla, quae sufficiebant pro volita distributione tradiderunt, ac obligarunt se onere supplendi ex stipulatu sine beneplacito Apostolico. Inspecta deinde redituum assignatorum sufficientia Officiales liberarunt Patres ab onere supplendi. At reductis locis montium reduxerunt illi Officiales subsidia dotalia, et adierunt S. C., quae tam quoad praeteritum, et quoad futurum pro serenitate eorum conscientiae *per sum. prec. die* 28. *Januar.* 1708. respondit lectum in omnibus, et agant contra haeredes. Postea ut proponeretur causa citatis etiam PP. Theatinis jussit: *Romana Red. Subs. Dot.* 14. *Novem.* 1711. *Confir.* 23. *Feb.* 1715. *dub.* 1. 11. *Januar.* 1716.

9. Nec non PP. Theatini teneri supplere de proprio pro integra distributione dotium, de quibus agitur, sancitum: *Ibid. dub.* 2. *Confir. Ibid.*

10. Quum Fratres de Ciccolinis consanguinei ac haeredes medietati testatoris Annibalis Giardini, qui mandavit, ut isti quotannis solverent subsidium dotale scut. 100. exposuissent detractiones factas, ac imminutionem assis haereditarii, qui impar est huic oneri, S. C. largita est reductionem dotalis subsidii scut. 25. ad decennium, quod tempus ad triennium prorogavit. Modo rogant reductionem perpetuam. S. C. voluit, ut firmetur status bonorum juxta instructionem Card. Praefecti (228): *Maceraten. Subs. Dot.* 30. *Martii* 1715. Inde prodiit responsio negativa 20. *Sept. ejusd. anni*.

11. Haeredes Fideicommissarii pii Johannis Surchii praetendunt reductionem dotium ob eodem Johanne relictarum, eo quia as haereditatis, qui de tempore ejus obitus ascendebat ad scut. 16234., nunc consistat in praedio valoris scut. 5085. 88., quia alia distracta fuerant causa alienationum. S. C. locum non esse reductioni petitae, decrevit: *Ferrarien. Reduct.* 14. *Novem.* 1716. *dub.* 1.

12. Post sequutam notoriam decoctionem Mensae Nummariae Domus SS. Annuntiatae Civitatis Neapolis, supplivit pro suspensione nonnullorum operum piorum et nonnullorum subsidiorum dotalium, expeditumque desuper fuit Breve. Constitutum ob id fuit dubium, an in hac reductione comprehenderetur etiam legatum Ascanii de Elia, qui mandaverat, ut ex ejus fructibus singulis annis puellis egenis 50. subsidia dotalia ducat. centum pro qualibet, et quod pariter solverentur annui duc. 120. puellis parentum orbatis SS. Annuntiatae urbis Luceriae. At-

(228) *Vide not.* 28. *lit. F. tom.* 4.

tamen Archiepiscopo Neapolitano commissum per Breve fuit, ut mandaret adplicandi subsidia dotalia pro collatione puellarum expositarum ordinatis tamen subsidiis ducat. 50. pro qualibet. Administratores hujus Domus precantur pro executione Brevis, et pro applicatione dotium. Tributa fuit nova facultas expediendi Breve, eoque expedito desiderio tenent pro approbatione dotium distributarum, et ad mentem S. C. dixit: *Neapolitana Reduct. Oner.* 7. *Maii* 1718.

13. Virgilius Lucarinus e Trebio haereditatem suam destinavit partim sex pauperibus dotandis puellis, quibus singulis dari voluit scut. centum, partim vero fundationi Collegii primum scut. 600. pro puellis detractis. Diminutis illius proventibus obtenta subsidiorum reductio fuit ad scut. 60. pro qnolibet. Reclamantibus puellis decretum revocatum fuit. Sed quum Collegium jam clausum aperiendum duxerat Benedictus XIII. sponte sua jussit, ut in scutis 50. praestarentur dotes. Post laudati Pontificis obitum postulatum fuit, ut subsidia sex illa ad pristinum scut. centum statum redigerentur. Pontifex rem ad S. C. praevia oris aperitione remisit. Pertractatur ideo, num constaret de reductionis dotium invaliditate, ita ut esset danda redintegratio? S. C. nihil decrevit, ut interim Episcopus auctoritate S. C. mandet firmari statum haereditatis, et cogat Administratores ad redditionem rationis juxta intructionem (229): *Spoletana Colleg. et Dot.* 24. *Maii* 1732. Ex statu vero firmato adparebat reditus haereditatis ad scut. 859. ascendere, et quod solutis dotibus in scut 50. aliisque oneribus superextare scut. 435. pro sumptibus ad Collegii manutentionem in scut. 510. necessariis. Reproposita jussum est, ut firmaretur status coram Card. de Gentilibus Protectore Collegii cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, non retardata interim collatione dotium promissarum, aliarumque distributionum pro nunc ad formam Brevis: 4. *Aug.* 1736. Denique reductionem praefatam non esse exequendam, quo vero ad aperitionem Collegii, et administrationem bonorum Urbis arbitrio Card. Praefecti cum facultatibus S. C. res delata est: 18. *Maii* 1737. *dub.* 1.

14. Marcus Antonius de Florentiis ab Archihospitale S. Spiritus donatario duas dotes puellis Perusinis in scut. 30. pro qualibet praestandas reliquit. Loca Montium propterea assignata decreverunt, decreverunt ulterius pensiones domorum, quibus illa erogata fuerunt; et ideo quum ejusdem Archihospitalis Administratores petiissent reductionem dictarum dotium, donec de jam impensis reficiantur, contradicente Marchione Hectore de Florentiis, et probante domorum pensiones non casu fortuito sed administratorum voluntario facto, qui ad horrei usum eas redegerunt, fuisse imminutas repulsam retulerunt: *Romana Subs. Dot. et Celebr. Miss.* 1. *Decem.* 1736. *dub.* 1. *confir. bis* 2. *Decem.* 1752. *et* 20. *Julii* 1754.

15. Possessores primogeniturae Barnabae de Benignis, qui ad subsidium dotale in scut. 25. Monialibus S. Catherinae Senensis Civitatis Camerini tradendum onerati fuere, id praestare ab-

(229) Censuit S. C. ante illius decisionem scribendum esse Episcopo Spoletano, ut auctoritate ejusdem S. C. statum haereditatis nedum tempore obitus Testatoris, sed etiam tempore praesenti coram se, utraque parte audita, firmari juberet, idoneum Exactorem qui excuteret debitorem nomina, deputaret, necnon ad rationis redditionem cogeret eos, qui praeterito tempore montem frumentarium, aliaque bona haereditaria administrant: *Ead. caus.* 7. *Julii* 1736. §. *anno.*

nuentes, reductionem saltem implorant eo quod bona omnia a Barnaba relicta factis detractionibus, parvos redditus exhibere fatentur; sed deminutione, et parvitate redituum non abunde probata, immo Monialibus S. Catherinae eam clare negantibus, et legitimum inventarium de bonis haereditariis deficere ostendentibus, resolutio prodiit negativa: *Camerinen. Subs. Dot.* 27. *Junii* 1761. *dub.* 2.

16. Carolus Antonius Salio haeredem scripsit Monasterium S. Ursulae Oppidi Varalli, et binas ab eo dotes praestandas et duas in hebdomada celebrandas Missas jussit. Facto inventario, impar ad onus dotium, et missarum invenitur haereditas. Hac de causa supplicante, et quaerente Monasterio in tenui fortuna posito, an esse possit locus cessationi subsidiorum dotalium a supralaudato pio testatore reliotorum? praesto illi responsum fuit, esse locum reductioni subsidiorum dotalium ad ratam partem redituum juxta modum ab Episcopo praefiniendum, firma tamen remanente celebratione Missarum: *Novarien.* 30. *Julii* 1774.

17. Quum sortes a pio testatore Josepho Tamburelli e terra S. Ginesi, Camerinensis Dioeceseos pro dotanda puella pauperrima in Flor. 50. relictae, imminutae pro solvendo aere alieno testatoris, ac pro restituenda Lavianiae illius uxori dote fuissent, haeredes gravati multum posuerunt in reductione dotis; quibus S. C. respondit, ut reditus superextantes detractis expensis erogentur in subsidium dotale quotannis conferendum uni puellae, juxta dispositionem testatoris, et Episcopus incumbat rectae bonorum administrationi: *Camerinen. Red. Oner.* 2. *Decem.* 1780.

18. Nicolaus Marcantonii petiit reductionem trium subsidiorum dotalium scut. 8. pro quolibet quibus gravatur ex testamento Angeli Antonii Marcantonii ejus consobrini, et S. C. denegavit. Nam adiit haereditatem absque inventario, et sufficienter non reddidit illius rationem et reditum redundantem: *Firmana Red. Oner.* 18. *Julii* 1795. *d.* 1.

§. XII.

Subsidium Dotale quoad Reversionem ac Restitutionem.

1. Aloysius Jacobellus ex oppido Collis veteris nonnulla subsidia dotalia distribuenda reliquit, legavitque Hortensiae. Catherinae fratris filiae in casu Deo vovendi, vel Matrimonii causa dotis summam scut. 1717. pro alimentis pariter legavit menstrua scut. 10., donec nuberet in seculo, vel in Domino, sed dotem praedictam reverti voluit ad opus pium institutum si discederet absque filiis. Proindeque Hortensia deprecata est, ut substitutiones in favorem pii Operis in enuuciatis legatis praescriptas aboleret. S. C. apertam testatoris voluntatem noluit derogare: *Romana Derog. Volunt.* 11. *Sept.* 1717. *dub.* 1.

2. Quum Felix Alexandra Becchelli an. 1710. emisisset professionem Regularem in Monasterio Monialium Beatae Clarae de Montefalco, et post multos annos narrasset se evasisse hermaphroditam sexumque virilem in se praevalere, quod periti deputati testati sunt, S. C. irrita professione declarata locum esse restitutioni dotis etiam decrevit: *Spoletana* 14. *Martii* 1722. *dub.* 2.

3. In fundatione dotis Johannes Baptista Canobius nulla onera reperiuntur puellis, quae dotem consequuntur, adjecta. Joseph Pavonius pro sua uxore dotem hanc obtinuit, et licet sine filiis sit uxor defuncta eamdem restituere nequit. At quum in schedulis Societas Sanctissimi Sacramenti S. Mariae in Via adposuerit plures conditiones, de cautione scilicet a dotata praestanda, et de restitutione, si sine filiis moreretur,

deque vitae honestate servanda et de necessitate inhabitandi in Urbe. Idcirco Pavonius ,et adposita onera non sustineri , et ad restitutionem non teneri contendit, et ita S. C. consultum: *Romana Dot*. 2. *Decem*. 1724.

4. Petrus Polli altercatur sibi restituendam esse dotem librarum sex millium solutam occasione, qua Clara ejus filia admissa fuit inter puellas Collegii Immaculatae Conceptionis urbis Placentiae, et mortua post quinque menses a die suscepti habitus, et nondum integre completo anno tyrocinii. Monasterium seu Conservatorium non adhuc Pontificia auctoritate cum rigorosa clausura adprobatum, sed tale vulgo creditum, impugnat restitutionem dotis et fatetur Claram per annum ibi uti educanda, in habitu seculari premansisse. Consilium S.C. petitum fuit, quae scribi mandavit Episcopo juxta instructionem (230): *Placentina Restit. Dot*. 3. *Sept*. 1729. Episcopo mandatis obtemperante, et super admissionis vestitionis, et professionis tenore instruente, S. C. dotem minime esse restituendam putavit: 14. *Januar*. 1730.

5. Antonius Tregua mandavit, ut haereditatis suae fructus in tot dotes puellis consanguineis vel affinibus in ducat. 50. pro qualibet erogaretur. Fieri distributionem voluit a P. Guardiano Cappuccinorum urbis S. Germani quo facultate distribuendi dotes a S. C. Episcop. et Regul. spoliato, eas Ordinarii Casinenses extraneis in exclusionem consanguinearum, vel Affinium distribuerunt. Idcirco ambiguum fuit, an locus esse deberet restitutioni dotium pro Ordinarios Casinenses distributarum personis extraneis contra expressam testatoris mentem? sed S. C. coadjuvandas probationes censuit: *Nullius, seu Montis Casini Distrib. Subs. Dot*. 24. *Sept*. 1729. *dub*. 3. Reproductam causam inde remisit ad Card. Praefectum juxta mentem: 28. *Januar*. 1730. *dub*. 2.

6. Interest examinari, an Capitulo Cathedralis liceat in instrumento solutionis dotium, seu subsidiorum dotalium apponere pactum reversivum in favorem massae puellarum in casu obitus sine filiis, vel vitae inhonestae, et cum onere impendendi, vel praestandi cautionem? responsum fuit negativum quoad dotem Campellam, in reliquis dilata, et concedendam esse compulsoriam: *Spoletana Dot*. 2. *Decem*. 1730. *dub*. 1. Sed termino unius mensis ad compulsandum elapso, Capitulum, et Massa puellarum resolutionem petierunt, et negativam reportarunt responsionem: 10. *Martii* 1731.

7. Idemque Capitulum dotes reversas ad dictam Massam puellarum, et denuo distribuendas aliis puellis restituere non teneri statutum fuit: *Ibid. d*. 2.

8. Anna Milli ex Theresia consobrina Francisci Stanchi pii testatoris obtinuit a Benedicto XIII. dos in scut. 1000. ad professionem emittendam, quam pronunciavit renunciatis bonis in favorem Petri Clementis Milli ejus patris, ex dote in scut. 60. quotannis a dicto testatore distribuenda constituta. S. C. censuit jam labe obreptitia esse infectum impetratum ob praejudicium praelative vocatarum rescriptum, modo decernit teneri patrem ad restitutionem ejusdem subsidii ad effectum deponendi, et deinde distribuendi, cui de jure: *Romana Subs. Dot*. 29. *Martii* 1738.

(230) Quae fuit, ut referret, praecisam puellae aetatem, in qua admissa fuit inter Collegiales, ac ulterius quanto tempore eadem Clara steterit in dicto Collegio ante susceptionem habitus, et votorum emissionem, et an dicto tempore steterit inter Educandas, vel admissa fuerit ad explendum annum probationis, et pro hujusmodi effectu actum praefatae admissionis transmitteret: *Ead. caus*. 3. *Decem*. 1729. §. *Placentina*,

dub. 2. confirmat. cum reservatione juris in favore Clementis Milli super bonis renunciatis: 27. *Sept. ejusd. anni.*

9. In testamento condito a Jo. Baptista Sernerio de Casteldensibus demandatum fuit Societati Sanctissimi Crucifixi in Ecclesia S. Egidii Viterbii erectae ab eodem haeredi scriptae, ut nonnullas dotes praestaret honestis Virginibus, et insuper injunctum, ut dictae Societatis Guardiani in praestandis dotibus cautionem a puellis acciperent de restituenda dote si absque legitimis filiis decessissent. Ideo Canonico Carolo Grandini interrogante, an puellae ad formam testamenti laudati Sarnerii tenerentur dare cautionem, et obligationem de restituendo? ut obligationem praesterent tantum ad effectum denuo ditribuendi S. C. respondit: *Viterbien. Subs. Dot.* 2. *Aug.* 1739. *dub.* 1.

10. Ac proinde restitutioni dotis hujusmodi a Lucia Hieronymi assequntae, et absque filiis defunctae, locum esse debere, statuit: *Ibid. dub.* 2.

11. Eleonora Marronia post sex distinctas primogenituras, filiabus vocatorum jure legati, fructus omnes censuum, qui in haereditate erant, reliquit causa dotis spiritualis tantum. Primus vocatorum ordo obtinuit a Benedicto XIII. ut si non adessent puellae, quae nomen dare vellent Ordini Monastico, ex fructibus censuum summa aureorum 500. detraheretur, quae in dote seculari constitui posset. Puellae facili animo declarant sese statui Religioso dedituras sed inde non implent, et sic Chirographi executio impeditur. Sed S. C. definivit ut non censerentur caducatae post lapsum mensem, et annum probationis: verum praefigendum esse tempus unius anni a die nominationis, completa tamen aetate conciliari, et ut non nominarentur, nisi quae annum duodecim aetatis absolverint: *Firmana Subs. Dot.* 26. *Junii* 1745. *d.* 1.

12. Societas Sanctissimi Rosarii in Ecclesia PP. Praedicatorum Camerini erecta ex pio legato Victorii Lancellotti jus habet distribuendi annua duo subsidia dotalia pro unaquaque scut. 100., et legem insuper Ordinarii approbatam tulit; ut puellis eligendis terminus praefigeretur quinque annorum ad assumendum habitum Regularem, injuncta alioquin poena caducitatis, et reversionis in favorem Sodalitii, ut aliis daretur puellis. Tale subsidium habuit Catharina Marchetti, et biennii valetudinis causa prorogationem a Sanctissimo postulare satagens, quinquennium interim labi passa est. Hinc Dominicani PP. qui Sodalitio, cessionis causa, successerunt, reversionem certant, et Catharina quae preces Pontifici obtulit antequam biennium expiraret, reversioni praedictae sese opponit, sed S. C. jussit, ut terminus protelaretur ad biennium puellae Marchetti ad assumendum habitum: *Camerinen. Sub. Dot.* 28. *Febr.* 1761.

13. Alexander Ruspoli altercatur jus sibi competere denuo conferendi subsidium dotale, quod per obitum puellae ab ipso nominatae ante dotem receptam secutum, recidit. Desumit ille hoc nominandi jus ex transactione, quam cum Archiconfraternitate SS. Annuntiationis haeredis olim scriptae a Principe Bartholomaeo, Marchionissa Hieronyma Vidua Marchionis Francisci Ruspoli nepotis Bartholomaei inierat. Opposuit sese laudata Archiconfraternitas Benedicti XIII. de reincidentiis exhibendo gratiam, quam ad onerosum contractum trahi non posse Princeps Alexander existimabat; et hic vicit: *Romana Subs. Dot.* 20. *Januarii* 1770.

14. Initis Sponsalibus inter Ludovicam Alaleonam, et Johannem Baptistam Corvi, cum promissione dotis scut. 1700. pater puellae persolvit in partem dotis scut. 875., inde comperiit exiguum

patrimonium familiae Corvi scut. 2774. egit de dissolutione, ac de dotis restitutione. S. C. decernens minime dicta Sponsalia esse exequenda, esse locum restitutioni dotis in summa liquidanda coram Card. Praefecto decrevit: *Maceraten. seu Asculana Spons.* 28. *Aug.* 1773. *dub.* 3.

15. Jo. Maria Ingegneri Sacerdos oppidi Cuprae Montanae haeredi suo injunxit, ut sex sorte eligerentur puellae pauperes, quarum singulis decem scuta in actu Matrimonii ineundi solverentur. Experientia compertum est, quod quandoque puellae extractae decedunt, antequam Matrimonium ineant hinc in dubium venit, an dotalia subsidia, quae illarum morte vacant, ad testatoris haeredes libere spectant, vel potius locum sit aliarum puellarum extractioni? dubii solutionem postulat Margaritha Grana Leoni, quae Sacerdotis Ingegneri haereditatem possidet. S. C. autem aliarum puellarum extractioni locum esse, non vero legatum cedere commodo haeredis respondit: *Æsina Subs. Dot.* 27. *Novem.* 1784. *ac* Confir. ad formam testamenti: 23. *Januar.* 1790.

16. Ac distribuenda esse subsidia dotalia devoluta, et quoad summam in illa coram Vicario Capitulari liquidanda exclusis expensis litis, et exempli testamenti per haeredes factis ad impugnandam iterum illarum collationem: *Ibid. dub.* 2.

17. Ob maximam oppiduli Montis Rinaldi per cautionum difficultatem, abrogationem earumdem postulat exequutor testamentarius dispositionis Jo. Felicis Domizii quoad dotium regressum, et commutare testatoris voluntatem S. C. abnuit, sed sufficere obligationem juratoriam viri statuit. Nam dictus testator disponendo distributionem dotium in favorem puellarum pauperum dicti oppidi voluit, ut caveretur de illarum regressu: *Firmana Commut. Volun.* 14. *Martii* 1789.

18. Extincta testatoris Augustini de Augustinis familia puellam nominare ad subsidium dotale scut. 25. Communitas Proecini, dotemque Sodalitium SS. Benedicti et Scholasticae Nursinorum Urbis ad tramites substitutionis a testatore peractae, conferre consuevit. Nuper optant Sodales muniri auxilio applicationis dotium illarum, quas morte praeventae consequi non poterunt innuptae puellae, aliasque ex eadem causa caducandas. S. C. sibi persuasit dotes devolutas rursus a Sodalibus conferri debere, denegata Sodalitio illarum applicatione: *Romana, seu Spoletana Subs. Dot.* 5. *Junii* 1790.

19. Sorores Laetitia, et Francisca de Angelinis professa inter Tertiarias Mulieres Jesu, et Maria sub Regula S. Augustini oppidi Fabricae, ubi tantum vota simplicia emittuntur legitimis de causis religiosis legibus solutae fuerunt. Ideo Conservatorium damnatus fuit ad restituendas dotes, sed appellationem quo ad medietatem dotium in suspensivo, quoad aliam medietatem in devolutivo obtinuit, ac re in S. C. delata censuit esse locum repetitioni dotium, minime vero restitutioni medietatis jam solutae a dictis sororibus: *Civitatis Castellanae* 3. *Martii* 1792. *dub.* 2.

20. Praevia donatione bonorum mandavit Lodovicus Manni, ut distribueretur dos scut. 50. in favorem puellae familiae Manni cum fructibus ejusdem summae a nativitate puellae superlucratis. Ab initio ob multiplices puellas Manni duplex dos tradita fuit scut. 25. et numquam soluti fructus superlucrati. Hinc Seminarium Civitatis Plebis, qui bona legati suscepit, contulit subsidium dotale scut. 25. Luciae Salvatori, qui etiam in statu nubili eam assequendi facultatem obtinuit praestito, juramento servandi coelibatum, et fi-

diejussione dotem restituendi in fine suae naturalis vitae. Hoc casu mortis purificato Seminarium postulavit restitutionem, sed eam impugnantes haeredes puellarum, qui similem dotem consequutae sunt, orarunt, ut cogatur Seminarium ad solvenda scut. 50. et dubio agitato, an sit locus restitutioni subsidii dotalis Luciae Salvatori, negative in casu de quo agitur respondit: *Civitatis Plebis Subs. Dot.* 17. *Junii* 1797. *dub.* 2.

§. XIII.

Subsidium Dotale quoad Supplementum, et Fundum.

1. Aloysius Jacobellus ex oppido Collis Veteris nonnulla dotalia subsidia distribuenda reliquit, legavitque Hortensiae Catharinae fratris filiae in casu Monasticae professionis, vel matrimonii causa dotis copiam scut. 1717. Hujus intuitu dicta Hortensia petiit summam aliquam pro supplemento congruae dotis assignandam ex aliis subsidiis dotalibus a dicto Aloysio relictis; sed id haud obtinuit: *Romana Derog. Volunt.* 11. *Sept.* 1717. *dub.* 3.

2. Johanna Lucilla de Blondis haeredes scribens Moniales SS. Bernardini, et Marthae Bononiae, eas gravavit, ut si qua civis Bononiensis religiosum habitum sibi sumere vellet, et neque modum ad hanc explendam voluntatem haberet, ab eis suscipere deberet juvamen aliquod, ignoratur igitur, cujusnam arbitrio fieri deberet supplementi quantitas? arbitrio Superiorissarum remissum fuit: *Bononien. Suppl. Dot.* 18. *Maii* 1726. *dub.* 1.

3. Cajetanus Dionisius, qui Polysenae testatricis, et fundatricis duarum dotium in summa 16. scutorum pro qualibet puellae, haereditatem possidet, orat, ut sibi, vel haereditati retrocedatur praedium pro dotibus assignatum, et frequenter neglectum in puellarum praejudicium, sese obstringens quolibet anno ad geminas conferendas dotes; et rescriptum illi primum fuit dilata, et ad mentem (231): *Auximana Subs. Dot.* 28. *April.* 1781. Reproposita causa Oratoris Dionysii precibus S.C. flexa est: 24. *Novem. ejusd. anni*.

§. XIV.

Subsidium Dotale quoad Suspensionem.

1. Assignata sunt ab Isabellae Columnae Principissae Sulmonae ducat. 150. cum onere Missarum duarum in singulis diebus. Legavitque Pompejus de Lanoya filius aliam summam pro distribuendis subsidia dotalia. Feuda ad Regiam Cameram devolverunt ob familiae extinctionem, et constituti reditus fiscales maximam passi sunt diminutionem. Ideo obtenta reductione onerum, ita tamen ut prius detrahenda veniat annua summa ducat. 150. pro legato Missarum Principissae Isabellae quaesitum est an, et in quam causam?

2. Et qua methodo eroganda sit summa residualis?

3. An posito, quod sit eroganda in subsidiis dotalibus, an suspendenda sit distributio hujusmodi subsidiorum usque ad integram satisfactionem jam distributorum, et donec Monasterium non fuerit solutum de Missis jam ce-

(231) Et mens est, ut referat de annuo fructu praedii legati ducto calculo per decennium, et inquirat a Dionisio, utrum paratus sit recipere idem praedium titulo Emphyteusis ad tres generationes masculinas, vel saltem in perpetuum, et utrum adsit periculum ullum futurae imminutionis vel fundi, vel fructuum: *Ead. caus.* 24. *Novem.* 1781. §. 2

-lebratis? res arbitrio Card. Sacripantis Praefecti ejusdem S. C. commendavit: *Neapolitana Sub. Dot.* 26. *April.* 1698. *dub.* 1. 2. *et* 3.

4. Quum ob temporum injurias fructus locorum Montis Pietatis Florentiae, quae de tempore quo tributae fuerunt Capitulo Cathedralis a Bartholomaeo de Leonetti pro eroganda in subsidia dotalia in favorem quarumdam familiarum, reddebant centum scuta modo vix triginta; moderni seniores ex nominatis familiis remedio suspensionis dotium, quousque integer reditus investiatur scut. 100. juxta disponentis praescriptum nituntur, dum nulla est foemina ex praedilectis familiis dotanda. S. C. suspensionem non donavit: *Praten. Benepl.* 10. *Januar.* 1711.

5. Gubernatores piae Domus S. Mariae *della Solitaria* Nationis Hispaniae sedulo perpendentes, nihil jam Ordinarii remedii superesse ad retardandam imminentem loci pii ruinam ex deficientia reditnum, extraordinarium implorant. Hac de causa perpenso dubio, an sit locus suspensioni dotationum, et applicationi fructuum pro manutenendis Monialibus, et puellis in Monasterio, et pro quo tempore? rescripsit S. C. dilata ut scribatur juxta instructionem, et ad mentem: *Neapolitana Conser.* 1. *Junii* 1715. *d.* 1.

6. Valerius Bonafede reliquit suam haereditatem Archiconfraternitati S. Johannis Decollati Nationis Florentinae, et pracceteris gravavit onere distributionis dotium, quae peragi tunc debebat, quum haereditas pervenerit ad summam scut. 600. redituum. Hac conditione purificata dotium distributio confecta est; at ob reductiones, et extractiones locorum Montium modo diminuti sunt fructus, ac dubitatum est, an suspendi debeat etiam dotium distributio? S. C. decrevit distributionem continuari debere quolibet anno ad mensuram annuorum fructuum, non supersederi quoadusque summa ascenderit ad scuta 600. *Romana Subs. Dot.* 28. *Novem.* 1716.

7. Concedenda non est Capitulo Ecclesiae Cathedralis per sexennium suspensio legati unius subsidii dotalis relicti pauperibus puellis a Canonico Clavellonio. Nam postulabat Capitulum suspensionem per sexennium, ut possit distribuere dotes per anticipationem nonnullis supplicantibus pauperibus puellis, idest praeventive satisfacere testatoris voluntati: *Reatina Legati* 2. *Decem.* 1719.

8. Marcus Antonius de Florentiis ab Archihospitale S. Spiritus donatario duas dotes puellis Perusinis in scut. 30. pro qualibet praestandas reliquit. Loca Montium propterea assignata decreverunt, decreverunt ulterius pensiones domorum quibus illa erogata fuerunt, et ideo quum ejusdem Archihospitalis administratores petiissent suspensionem dictarum dotium, donec de jam impensis reficiantur, contradicente Marchione Hectore de Florentiis, et probante domorum pensiones non casu fortuito sed administratorum voluntario facto, qui ad horrei usum eas redegerunt, fuisse imminutas, at preces ratae haud fuerunt: *Romana Subs. Dot., et Celebr. Miss.* 1. *Decem.* 1736. *dub.* 1. *confir.* 2. *Decem.* 1752., 20. *Julii* 1754.

9. Lucas Fredianius haeredes scripsit parentibus orbatos pueros educandos, et alendos, et puellas pariter parentibus orbatas dotandas. Cuique ex iis duobus operibus scut. 2000. assignavit. Testamentarius executor quum reditus valde esse imminutos ostendisset, et qui orbati, orbataeque sunt parentibus numero a testatore praescripto satis fieri non posse patefecisset, opinatus est, ut pium illud dotationis opus in alterum conservationis, et e-

ducationis parentum orbatorum commutaretur, sed Salvator Fredianius, qui pro filiae suae constituenda dote dictarum dotium a Benedicto XIV. impetraverat suspensionem, obtinueratque jam Breve Apostolicum, commutationi huic refragatus est. Quaerit hinc ad cujusnam favorem servandum, et respective relaxandum sit Breve, servandum esse in favorem Catharinae Felicis Frediani S. C. respondit: *Lucana Exeq. Brev.* 13. *Januar.* 1748. Ad novum examen producta causa suam sententiam mutavit, et Breve non esse exequendum dixit: 22. *Junii ejusd. anni.*

10. Sodalitium S. Josephi Arimini gratiam impetravit, qua suspensionem unius ex duobus subsidiis dotalibus pauperibus Coriani Pagi puellis ad formam testamenti Caroli Jononi distribuendis, ob aes alienum pro lite in S. C. acta contractum, consecutus est. Rustici autem Coriani Virginum dotandarum causam suscipientes, quia interesse habentes non citati, neve instructi fuerunt una cum Archipresbytero, et Rectoribus, gratiam suspensionis ad decennium a praefato Sodalitio obtentam infirmare conantur. Et revera nulla declarata gratia, locum praestationi duorum subsidiorum de elapso anno, deque aliis etiam futuris annis esse debere decisum fuit: *Ariminen. Subs. Dot.* 22. *Sept.* 1759. *confir.* 15. *Decem. ejusd. anni.*

11. Carolus Rustici hodiernus Sodalitii S. Sixti in Ecclesia B. M. Virginis ab Angelo Annuntiatae erecti Syndicus tam nomine proprio, quam aliorum Syndicorum pro tempore solemnem obligationem nuper emisit restaurandi collabentem Ecclesiam, opus perficiendi infra tempus duodecim annorum, ut cumque longius requireretur propriis sumptibus animo in posterum petendi a legato Marii Cinffetelli, quatenus ab hac S. C. decerneretur suspensio implementi dotandae parentibus orbatae per annos viginti quinque. Precibus Oratoris Caroli fuit indultum juxta votum Episcopi revocata obligatione in forma juris valida, et in bonis propriis, facto verbo cum SSmo: *Aquilana.* 17. *Junii* 1780.

12. Plurima et in statu Ecclesiastico, et in Regno existentia bona per sustitutionem Alexander Bonaventura reliquit Archiconfraternitati B. M. V. Suffragii Urbis cum onere distribuendi in singulos annos quatuor pauperibus puellis dotalia subsidia scut. 25. pro qualibet ad nominationem descendentium lineae foemininae Bonaventurae. Archiconfraternitas nonnullas egit lites adversus haereditariorum bonorum detentores cum gravi sumptu scut. 435., rogatque propterea, ut impensae factae, et faciendae pro vindicatione bonorum summae redintegratio demandetur. Itaque S. C. non voluit, ut ad reficiendam Archiconfraternitatem alienarentur loca Montium ad eamdem haereditatem spectantia; sed jussit suspendi nominationes futuras, et liquidari summam, ita tamen ut ex fructibus bonorum recuperandorum omnia dotalia subsidia suspensa redintegrentur: *Romana Susp. Dot.* 7. *Julii* 1787.

13. Passa est Societas SSmi Sacramenti ad S. Mariam in Via Urbis subreptionem per administratorem factam in scut. 2987. 72. ½., ex qua scut. 1589. 33. pertinebat ad Legatum Pium Jo. Baptistae Canobi, qui quatuor subsidia dotalia scut. 50. de triennio in triennium distribuenda reliquit. Ex reo percipi potuit tantum scut. 692. 95., cujus rata portio in scut. 392. 18. attributa fuit legato praedicto. Eadem Societas modo implorat, ut supendatur subsidia quatuor dotalia per decem triennia adaequandum ejusdem summae defectum, S. C. remisit rem ad D. Secretarium cum SSmo pro de-

rogatione Brevis Paullini, et Decreti Visitationis ad effectum redintegrandi haereditatem Canobi in scut. 1200. ex recadentiis dotium non solutarum: *Romana* 17. *Januar.* 1789. *dub.* 2.

14. Sacerdotes Subsidii Ecclesiastici Urbis a Summo Pontifice obtinuerunt Ecclesiam suppressi Sodalitii SS. Catharinae, et Ursulae cum omnibus honoribus, et oneribus. Possessionem vix adepti Sacerdotes debitricem eam noverunt scut. 596. pro tot dotibus ad annos 1782. promissis, nullamque pro earum solutione esse depositum, reditusque reperierunt. Idcirco precati sunt pro suspensione futurarum dotium, comprehensis etiam illis, quae aut per mortem, aut per aliam quamcumque vicem recasurae sunt, usque ad extinctionem integri debiti; et assequi meruerunt: *Romana Susp. Dot.* 25. *April.* 1789.

15. Officiales Xenodochii Tulpharum, cui Justinus Colelli, et Paullus Pugnaletti reliquerunt onus distribuendi dotes, exorant ob sumptum scut. 216. pro reparatione Ecclesiae suspensionem dotium ad decennium. Et favet eis Episcopus, sed haud S. C. quae gratiam denegat. Annui enim reditus ipsius Xenodochii superant exitum: *Sutrina Suspens. Dot.* 14. *Januar.* 1792. *dub.* 1.

16. Quoad subsidia dotalia, quae reliquit Antonius Caputius scut. 100., reducta postea ad scut. 25. quum praemature fuerint promissae, ac solutae a PP. Rapresentantibus Civitatis Spoleti Administratoribus, ob defectum paupertatis consulendum est Monti Pietatis, idcirco suspenditur earum collatio usque ad omnimodam ejusdem redintegrationem pro dotibus praemature solutis: *Spoletana Sub. Dot.* 19. *Decem.* 1795. *dub.* 2.

17. Inspecta redituum imminutione Domus Pia Misericordiae pro infirmis et peregrinis erecta plurimis oneribus Missarum, et dotium gravata, anno 1736. reductionem reportavit ad Missas annuas 338., et dotes tres. Sed ob maximum terraemotum anni 1755. alteram passa est proventuum imminutionem, qua de causa onera omissa sunt. Modo orat S. C. pro suppressione, vel suspensione tum Missarum, tum dotium collationis; et S. C. denegando suppressionem annuit pro suspensione tum Missarum, tum dotium ad decennium celebrato Anniversario infra Octavam omnium fedelium defunctorum applicando collective pro omnibus, qui onera reliquerunt. Nam ejusdem Domus reditus annua scut. 800. attingit, et aegrotantium, aliorumque piorum operum sumptus est in scut. 1100. *Pharaonen. Suppres. Oner., et Miss.* 9. *Julii* 1796. *dub.* 1.

§. XV.

Dotale Subsidium quoad Vocationem, Admissionem, et Substitutionem.

1. Puellae degentes in Monasterio sub Regula S. Augustini absque tribus votis solemnibus, et clausura, dotem pro sanctimonialibus faciendis relictam petebant, in dubitationem adductum fuit, an juxta praenarrati testamenti formulam dotem consequi possent puellae, quae senis Moniales fiunt in Monasterio, ut dicunt *di Maria Agnese, e del Rifugio?* rescripsit, non posse consequi: (232): *Senen. Dotis* 19. *Maii* 1668.

2. Subjugata Insula Chios Appolonia Justiniani, et Angela Soffietti relictis Avibus Romam profugae advenere, et

(232) „ Et resolutio nitebatur, quia agebatur de Legato facto pro Monachandis, et dicta Monasteria erant quidem sub regula D. Augustini, sed in eis non emittebantur tria vota solemnia, nec aderat clausura " Ita Card. Petra *Comment. ad Const. XII. Innoc. IV. sect.* 2. *num.* 42. *tom.* 3. *pag.* 69.

in Monasterio S. Marthae cum piorum eleemosynis fuerunt educatae. Modo cupiunt Deo sese consecrari in eodem petunt dotem necessariam attribuendam ex dotalibus subsidiis distribuendis pauperibus Nobilibus Monasticam vitam professuris ab Archiconfraternitate SS. Annuntiatae relictis a Card. Justiniani, et Marchione Vincentio Justiniani, quum sint de eadem familia ex latere paterno, et materno conjunctae: S. C. assignationi esse locum unius subsidii dotalis pro qualibet resolvit: *Romana Subs. Dot.* 30. *Sept.* 1702.

3. Clemens IX. ex speciali gratia indulsit, ut cumulatis fructibus Locorum Montium donatis a Marco Antonio Florentio pro distributione dotium in scut. 30. in favorem suae puellarum familiae, ad summam scut. 300., ea postmodum assignaretur Ursulae Catharinae Melosiae puellae, pauperi a donatore descendenti. Modo Magdalena Matthia Fenzonia filia praedictae Ursulae similem gratiam efflagitat inspecta ejusdem paupertate, sed S. C. ei gratiam abnegavit: *Romana Dot.* 7. *Febr.* 1705. *Confir.* 3. *Octob. ejusd. anni.*

4. Monasterium, et Moniales S. Euphemiae Arimini haeredes instituens Adamans Rifatta onus injunxit, ut tot puellae inibi ad professionem sine dote reciperentur, quot fructus ferrent haereditatis. Eas vero adamavit in puellis inesse qualitates, quae pauperes, ac periclitantes concomitari solent. Lucretia Olimpia Marrazzani professionem ibi post peractum tyrocinium emittere cupiens, et paupertatis qualitate destituta, dotem hanc petiit, et non est assequuta: *Ariminen. Subsid. Dot.* 23. *Junii* 1708.

5. Donatus ex nobili stirpe Acciajola reliquit Hospitali Nationis Florentiae urbis legatum distribuendi dotem scut. 100. pro puella Florentina, seu status Florentini in urbe commorante. At haec dos distributa fuit promiscue, S. C., cujus Oraculum requisitum fuit, decrevit esse distribuenda promiscue puellis pauperibus natis in urbe ex genitoribus Florentinis, seu Florentini status, cum puellis natis in Civitate Florentiae vel in statu Florentino in urbe habitantibus, vel degentibus: *Romana Subs. Dot.* 27. *Aug.* 1712. *d.* 2. *Confir.* 19. *Aug.* 1713.

6. Subsidia dotalia relicta per Johannem Angelum Baldium, et per substitutam Archiconfraternitatem, S. Rocchi filiis, sive Sororibus aut Neptibus Confratrum in Albo Archiconfraternitatis designatorum suppeditanda, non debent assignari in favorem puellarum descendentium ex haeredibus institutis ab eodem Johanne Angelo; licet sit in summa rerum inopia: *Romana Subs. Dot.* 9. *Junii* 1714.

7. Antonius Tregua mandavit, ut ex omnibus suis bonis annuatim subsidia dotalia ad rationem ducat 50. pro quolibet a P. Cappuccinorum Civitatis S. Germani Guardiano erogarentur; et voluit, ut in favorem puellarum in eadem Civitate, ac duobus oppidis adjacentibus commorantium distribuerentur. Admitti autem jussit eas, quae sibi consanguinitatis, vel affinitatis qualitate pollerent exclusis extraneis. S. C. Episcop., et Regul. Cappuccinos declaravit incapaces hoc munere distribuendi dotes, et ad Ordinarium spectare dixit. Plures testatoris consanguineae, et Affinae recurrunt, et exponunt extraneis, non vero consanguineis, et affinibus hactenus fuisse dotes distributas; ob id aedem postulantes, an eis privative quoad personas extraneas praestanda sint subsidia? responsum tulere favorabile et comprehensis etiam affinibus ad formam testamenti: *Nullius, seu Montis Casini Distrib. Subs. Dot.* 24. *Sept.* 1729. *dub.* 1.

8. Eademque subsidia dotalia distri-

buenda esse ab Officialibus Societatis SS. Sacramenti haeredis, praevio Edicto, consanguineis, et affinibus, servata gradus praerogativa, et in casu aequalitatis gradus, per extractionem, iis vero deficientibus, distribuenda modo, quo supra aliis extraneis, servata forma testamenti S. C. edixit: *Ibid. d.* 2. Inde reclamante ab hac sententia Ordinario, et contendente sibi praefatam competere distributionem, confirmata fuit; sed Ordinarius obtinuit, ut ipse seu ab se deputatus assistat, et omnia faciat loco P. Guardiani Cappuccinorum servata forma testamenti, et faciat gratis: 28. *Januar.* 1730. *dub.* 1.

9. Subsidium dotale a Praeposito Syro Andrea Vezzoli urbis Papiae puellis per Parochias per orbem distribuendum relictum, et quatenus non adessent capaces dispensandum puellis Orphanotrophii, non puellae Annae Minopriae a P. Guardiano Cappucinorum electae, sed sine alia nominatione ejusdem P. Guardiani in favorem unius ex puellis dicti Orphanotrophii adplicandum esse S. C. putavit, et subjunxit ad mentem (233): *Papien. Subs. Dot.* 21. *April.* 1731. *dub.* 2. Instante dicta Maria probante, se ad domum consobrini intra Parochiam S. Nicolai, cui dos distribuenda contigebat, habitatum propter dotem non ivisse recessit S. C. a decisis: 18. *Aug. ejusd. anni Confir.* et additum quod in posterum servaretur edictum Episcopi (234): 1. *Decem. ejusd. anni.*

10. Hippolyta Galeana in testamento jussit constitui dotem uni puellae Religiosam disciplinam amplexurae in aliquo ex Monasteriis Interamnae existentibus. Seligendas vero dixit esse puellas ex honestioribus familiis Interamnensibus, quibus res familiaris angusta foret, et impedimenti ad votum Deo religiosum emittendum. Praeferri demum voluit puellas idoneas ex descendentia masculina Paulli de Simonettis, qui ipsius testatricis erat consobrinus. Natalia de Simonettis a Benedicto XIII. obtinuit pro Casildi Balestreriae, ex filia nepte dotem; etiamsi non in Monasterio Interamnae, sed inter Sacras Virgines Romani Coenobii cooptaretur. Hippolytae haeredes gratiam impugnantes impetrarunt audiri, et ad S. C. remitti. Haec praefatam gratiam ad effectum perduci non posse judicavit, et ad mentem: *Interamnen. Subs. Dot.* 8. *Martii* 1732.

11. Barnabas de Benignis Camerinensis primogeniturae possessoribus ordinavit, ut quotannis subsidium dotale in scut. 25. solverent puellae, vel viduae, quae in Monasterio Monialium vocatarum *fatte in casa* habitum S. Dominici indueret. At quum praedictae Moniales receptae fuissent in Monasterium sub invocatione S. Catherinae Senensis, et mutatum proinde sit Monialium *fatte in casa* nomen; Possessores de Benignis praedictam dotem illi exsolvere detrectarunt quamvis diu jam antea praedecessores persolvissent. Necesse fuit S. C. consilio, utrum sit locus attributioni praefatae dotis dictis Monialibus sic mutatis assignandae? dotem ad formam testamenti illi tradendam esse statutum fuit: *Camerinen. Subsid. Dot.* 19. *April.* 1738. *dub.* 1. *Confir.* 27. *Junii* 1761.

12. Praedictum subsidium Cassandrae de Masseis utpote pauperi, et dotem a patre ex haereditate aere alieno grava-

(233) Haec addita fuit, quia subiit EE. PP. animos dubitatio, num P. Guardianus Cappuccinorum sit capax Juris nominandi ad hujusmodi subsidium dotale, an vero obstet Institutum Ordinis, ideoque sit providendum saltem in futurum: *Ead. caus.* 18. *Aug.* 1731. §. *Venio*.

(234) *Vide not.* 212. *praecedentem*

ta incertam relictam habenti adjudicandum esse non fuit dubium : *Ibid. dub.* 2. *Confir. Ibid.*

13. Pium Montem dotalem fundavit Sacerdos Johannes Giovinazzi commissa cura, et administratione Capitulo Ecclesiae Cathedralis Castellanetae in favorem familiarum Frosoloni , ac della Fratta, sive masculis, sive foeminis , relictis exequutoribus Episcopo, Archidiacono, et Cantore, necnon Thesaurario pro tempore dictae Cathedralis. Anno 1745. petebant dotale subsidium Catharina la Fratta, Catharina Pizziferro, Franciscus Chiesius, et Sacerdos Joseph Pizziferro . Executoris spreto consensu, et interventu Episcopi duo elegerunt Chiesium, tertius Catharinam Pizziferro . Ab hac sententia appellavit Catharina la Fratta ad S. C., quae ei deberi declaravit, quia concurrere in ea tantum qualitates a testatore volitas agnovit : *Castellaneten. Subs.* 27. *April.* 1748. *Confir.* 24. *Aug. ejusd. anni* .

14. Franciscus Negrinius fideicommissum masculinum instituerat, et considerans casum defectus substitutorum voluit, et revera in Locis Montium Bugnatum Patriam suam substituit ad sublevandum ejusdem Communitatis populum ; in bonis vero immobilibus, censibus, juribus, aliisque rebus haereditatis vocavit Sodalitium SSmi Sacramenti in oppido Campaneani erecti , ut Capellanus Confessarius eligeretur. Extinctis masculis una relicta Livia filia Francisci Nigrinii bonorum,quae sunt fidei commissaria , possessionem , contra Communitatem , et Sodalitium ea certabat. Sed pecunia ad litem carente satis modo ducit postulare , ut ex bonis fideicommissariis de Nigrinis dotem sibi constitui juberet ; et non impetravit : *Nepesina* 24. *Aug.* 1748.

15. Subsidium dotale a Sacerdote Johanne Juvenazzi in Monte pio fundatum ad Elisabeth Chiesi, quae, quas testator voluit, qualitates habet, deberi pro tota summa conflata decernitur; licet testator quolibet triennio in ducat. 300. dotem taxaverit;at in hoc triennio illam quantitatem reditus excesserint : *Castellaneten. Dotis* 22. *Maii* 1751 .*dub.* 1. *Confir.* 10. *Julii ejusd. anni.*

16. Lapacinae, aliisque filiabus quondam Francisci Mariae Cellesii, quae ab Aloysia altera ex filiabus Juliani Partini testatoris descendunt, subsidia dotalia ab eodem Juliano relicta puellis pauperibus Pistoriensibus competere minime posse, decisum fuit: *Pistorien. Subs. Dot.* 23. *Sept.* 1758. *dub.* 1. *Confir.* 2. *Decem. ejusd. anni.*

17. Ad subsidia dotalia a Jacobo Porphyrii relicta in favorem puellarum pauperum, quae ortae sunt in oppido Murri Vallium, vel in ejus territorio , illas puellas in dicto oppido ex advenis parentibus natas, esse recipiendas S. C. putavit : *Firmana Subs. Dot.* 12. *Maii* 1759. *dub.* 1.

18. Quin immo easdem etiam esse admittendas censuit, licet alio deinde transferantur : *Ibid. dub.* 2.

19. Nec non, et illas esse recipiendas, quae in oppido nascuntur, et fixum tenent domicilium ; quamvis ratione paternae , seu maternae originis credantur extraneae : *Ibid. dub.* 3.

20. Joseph Martinez Figueira Villae de Obidos oriundus Legatum scut. 300., pro qualibet, sex puellis parentum orbatis suae patriae reliquit, praelatione suis data consanguineis. Post alia vero legata praesertim Missarum, reliquum haereditatis in tot Missas erogari mandavit.Pauperes admodum testatoris consanguineas, et plures adesse asserit testamentarius exequutor, dicitque testatorem, qui in tenera aetate in Americam profectus est, illarum ignorasse indigentiam. Ac propterea proponi curavit , num subsidia illa dotalia pro sex

puellis absque parentibus relicta cum praelatione consanguinearum adhuc non iisdem dari valerent? at id inutiliter fecit: *Lisbonen.* 10. *Maii* 1760. *dub.* 1.

21. Credens propterea satis consultum consanguineis in paupere oppido esse in scut. 100. pro qualibet ex eisdem distribueretur, proponi insuper fecit, num arbitrio suo eadem subsidia distribui queant non inter sex, sed inter plures Orphanas praeditas qualitatibus a testatore praefinitis cum praelatione etiam consanguinearum? et nil pariter obtinuit: *Ibid. dub.* 2.

22. Satis insuper esse Missas, quae ex legatis celebratae abundanter sunt idem putans, quaesivit, num residuum haereditatis praefatae in tot erogandum Missis distribui valeret suo arbitrio pro subsidiis dotalibus similium puellarum, praeferendo etiam testatoris consanguineas? sed ab hac quoque fuit postulatione rejectus: *Ibid. dub.* 3.

23. Card. Faustus Poli Episcopus tunc Urbevetanus unum reliquit subsidium dotale quolibet anno distribuendum in Castro Ussinei ea tamen lege, ut in urnam eae immitterentur quae nativae essent Ussinei, nec non filiae essent parentum, qui inibi per octo saltem annos cohabitasset. Parochus autem Ussinei, ad quem spectat puellarum electio, in urna posuit nomina puellarum Mariae, et Luciae Gugè, quae a patre Mediolanense natae sunt in contermino Castro Podii Domus, et ab infantia commorantur Castro Ussinei. Expostulant homines Ussinei, quod domiciliariae non comprehenduntur in testamento, sed eas dicunt tantum modo includi debere, quae sunt de Ussinio. S. C. eas minime esse admittendas resolvit: *Spoletana Subs. Dot.* 30. *Martii* 1761.

24. Angela Eleonora Morroni testatrix vocavit ad subsidii dotalis assequutionem indefinite filias ex primogenitis sex designatorum stipitum nascituras; secundo loco, admitti voluit puellas ex aliis tribus certis Familiis descendentes, non quidem omnes sed unam ex qualibet in singulis generationibus. Deinde alias vocavit puellas, quae Deo vovere exoptant. Thecla Ruffo ex familiis tertio vocatis dotem postulavit. Contradicunt sex familiarum primogeniti ob deficientiam pecuniae pro dote, ideo disputata dubia, an sit locus in favorem Theclae Ruffo consecutioni subsidii dotalis pro ejus statu monastico accipiendo juxta mentem piae matronae Eleonorae Morroni?

25. An, et quo tempore sit locus consecutioni ejusdem subsidii dotalis juxta Chirographum Benedicti XIII. pro Conjugio temporali inito a Francisca Grassi Roccamandori una ex familiis primo vocatis. S. C. ad haec respondit dilata, et Archiepiscopus mandet confici statum juxta instructionem: *Firmana Subs. Dot.* 28. *Febr.* 1761. *dub.* 1. *et* 2. *et* 18. *Aug.* 1764. Insuper ad I. dilata, ad II. Negative, et affigantur edicta, et amplius: 31. *Maii* 1766. Denique dub. 2. confirmatum die 29. *Julii* 1769. *dub.* 2.

26. Emilia del Carretto Nobilis Panormitana annuas uncias centum ex fructibus suae haereditatis solvendas jussit Monasterio S. Rosaliae. In concursu autem Monialium Virginum dotandarum voluit illas praeferri, quae, et nobiles sint et de parentela testatricis. Dotem praedictam autumat Honuphrius Paterno Baro Raddusae assignandam esse suis sororibus Innocentiae, et Benedictae Mariae, quae a testatricis patruo descendunt, et nono cum illa conjunguntur gradu; sed ignobile reputans Monasterium S. Rosaliae a testatrice designatum supplicavit S. C. ut dignaretur praevia Pontificis consultatione illis impertiri facultatem, profitendi cum dicta dote in quocumque alio nobiliori Monasterio. S. C. SSmum de hac re con-

sulendum non permisit: *Panormitana Subs. Dot.* 11. *Sept.* 1762.

27. Matthaeus Bartolaccius olim Mansionarius Cathedralis praecepit, ut ex fructibus suae haereditatis perpetuo distribueretur puellis Deo voventibus subsidium dotale scut. 200. vocando ad illius consecutionem puellas certis qualitatibus praeditas, et nec quindecim annis minores, nec majores viginti. Francisca a Flumine vigesimum annum praetergressa dotem a Congregatione Mansionariorum petiit. Congregatio affixis edictis elegit puellam Margaritam Piani omnibus a fundatore volitis qualitatibus pollentem. Ætatis dispensationem postulavit Francisca; sed S. C. Margaritae dotem recte collatam esse judicavit: *Imolen. Subs. Dot.* 11. *Sept.* 1762. *dub.* 1.

28. Canonici Martini de Dominis voluntas commutata fuit a Fabricae Tribunali in unius Canonicatus erectionem. Verum correcta fuit in parte resolutio Fabricae, duobus erectis Canonicatibus, et duobus in summa 50. pro quolibet scutorum fundatis subsidiis dotalibus pro consanguineis. Ideo Susanna Constantia Monetti a Jo. Baptista seniore descendens petiit, ut ex deposito 200. scut., quod extabat, sibi traderetur pro contrahendo Matrimonio cum Paullo Monetti. Promissae pecuniae spe matrimonium postea contraxit, et nunc eamdem poscit dotem dicens se a testatore esse praedilectam, pauperam, et unicam ex familia foeminam, similemque quantitatem sorori Religiosae traditam; fateturque, quod maritus absque spe obtinendi subsidii matrimonium non fuisset contracturus. Hinc resolutum extitit, ut ex deposito nunc extanti 600. scut. erogarentur 200. in favorem Susannae Oratricis consanguineae de Dominis: *Nullius Terrae Pontiani* 22. *Martii* 1766.

29. Marcus Antonius Morellius Viterbiensis haereditatem dedit Sodalitio SS. Crucifixi Viterbii sub lege, ut in matrimonio collocarentur tot puellae, quae a matre, et patre Viterbiense natae essent. Inter nomina puellarum, quae post inquisitionem de earum qualitatibus per deputatos Sodales factam, posita erant in urna, sors arrisit Ceciliae Geltrudi Martinotiae Viterbii natae ex patre tamen, qui in Urbe veteri ortum habuerat. Ob id Sodalitium negavit illi dotem, et ad novam extractionem puellarum cum requisitis testamenti dicti Morelli deveniendum esse praecipitur: *Viterbien. Subs. Dot.* 19. *Julii* 1766.

30. Sacerdos Christophorus Alberici Nucerinus exequutoribus sui testamenti jussit, ut dotem in summa 50. distribuerent suis consanguineis puellis usque ad quintum gradum. At Anna Alberici Spoletana, quae juxta computationem canonicam testatori sanguine jungitur quinto gradu, civili autem sexto, pro dote supplicat. S. C. mandavit scribendum Episcopo juxta instructionem: *Spoletana*, *seu Perusina Subs. Dot.* 20. *Junii* 1767.

31. Carolus Silva Canonicus haeredibus fiduciariis nonnullis Fori Cornelii pro tempore Parochis mandavit, ut suorum bonorum fructus erogarentur in tot dotandis puellis ipsius Civitatis. Ad partem dotis admissa fuit Maria Domenica Caesari, et Bononiae, et a parentibus Bononiensibus nata, quae tamen Fori Cornelii a nonnullis annis in exercitio famulatus habitat. Hoc sciens Anna Villa illam incapacem assequendi dotale subsidium pro civibus Fori Cornelii relictum, ut illius loco sibi idem subsidium adjudicaretur, oravit. Verum S. C. Mariae Dominicae Caesari nihil tribuit; huic vero dixit ad mentem: *Imolen. Subs. Dot.* 8. *Aug.* 1767.

32. Quoniam tribus puellis a Jo. Bap-

tista de Dominis descendentibus ad scuta 200. dotem auxerat S. C., eadem aequitate allecta Bonaventura Felice a dicto stipite descendens dotem camdem ab ipso opere pio praestandam viro in capitulis Matrimonialibus spopondit ac deinde, ut ea sibi tribueretur petiit. Auditis interesse habentibus, très aliae puellae descendentes, Cecilia nempe, Maria Alexandra, et Maria Francisca de Luchettis acriter sese opposuerunt. Bonaventura ait, sibi obstare non posse, jam se matrimonio copulasse, quum se non debuisse dicat occasionem respuere. Tres aliae vero Oratrices inquiunt se promptas, paratasque habere nuptias, si de congrua eis dote provideatur. Quaesito igitur quibus sit assignationi dotis locus? Responsum fuit in scut. 200. in favorem Bonaventurae Felicis, et quoad reliquas, arbitrio Card. Abbatis cum facultatibus: *Nullius Terrae Pontiani* 23. *Febr.* 1771.

33. Petrus Nicolaus Fantotius Civis Matelicanus haeredem instituens Societatem S. Appollinaris erectam in Ecclesia S. Augustini de urbe, voluit, ut in tot subsidia dotalia in scutis 35. distribuerentur haereditatis fructus. Ad has dotes Viduarum, Viduorumque filias parentum orbatas, et 18. agentes annum vocavit; praelationem dedit iis, quae Romae viverent honestis ortae parentibus, qui a concivibus suis descendissent. Descendentiam hanc Sodales cohibere ad tertium usque gradum praetendunt; sed S. C. ad quemcumque usque gradum in infinitum eam extendi praecepit: *Romana Distrib. Dot.* 25. *Januar.* 1772.

34. Subsidium Dotale, quod in scutis 300. Julia Danieli Ufreducci Fanensis reliquerat distribuendum puellae pauperiori, et civi Fanensi, quae in Monasterio SS. Corporis Christi, vel in illo S. Theresiae, aut S. Danielis professionem emittat, non Reginaldae Ceccarini, quaeprofessionem pronnunciare cupiebat in non designato Monasterio S. Philippi, et filia non civis Fanensis est, sed Ursulae Bistocchi, quae utraque pollet quantitate, et Executorum, ad quas puellae electio spectat, consensum retulit, tribuendum esse sancitum fuit: *Fanen. Subs. Dot.* 15. *Febr.* 1772.

35. Septem Familias invitavit in suo testamento Andreas Borgogna ad subsidium dotale a se constitutum, ita tamen ut deficiente aliqua familia ex memoratis reliquae in schedula describerent novam familiam, ac sorte extraheretur, quae subrogari haberet in locum deficientis ex vocatis, additque in sua dispositione, *volendo che la presente mia disposizione abbia luogo in perpetuo senza veruna alterazione, o diminuzione*, defecit una familia vocata, altera ad normam testamenti subrogata fuit, haec pariter defecit; quaestio igitur instituta est, an subrogatio a testatore praescripta locum haberet dumtaxat occasione deficientiae familiarum vocatarum, vel etiam subrogatarum? S. C. rescripsit subrogationem semper faciendam esse quoties etiam familiae subrogatae defecissent: *Fa[illegible]. Subrog.* 18. *Decem.* 1773. *dub.* 1.

36. Pia Mulier Comitissa Maria Bruni Almerici ex Civitate Pergulae Eugubinae Dioeceseos in suo testamento voluit, ut ex reditibus suae haereditatis quotannis deponerentur scuta centum ad effectum eorum medietatem octennio quolibet erogandi *per Dote spirituale di una Zitella delle famiglie più nobili della Pergola da monacarsi ad elezione dell' erede, e suoi Eredi, e successori.* Haeres Marchio Horatius Latoni Pergulensis testatricis pronepos, ad subsidium dotale 400. nominavit Mariam Clementinam Latoni ejus filiam. Haec autem Maria dubitans utrum possit nominationis beneficio uti, eo quod Con-

servatorium oblatum S. Ursulae non strictoris observantiae ingrediebatur, petiit, an id consequi valeret? posse responsum habuit: *Eugubina Subs. Dot.* 24. *Januar.* 1778.

37. Allata est quaestio, an, et in qua summa Hieronymi Nesoli ex praedefuncta filia testatricis Paullae Bandierae Neptis, et in paupertatem lapsae assignanda sit dos ex locis Montium Capellaniae a dicta pia testatrice fundatae? responsum fuit ex hactenus deductis negative: *Sutrina Dotis* 15. *Julii* 1780.

38. Constantia Antonazzi terrae Morlupi anno 1772. ex pia dispositione Catharinae Zeccardini dotale subsidium scut. 300. sibi assignari studuit a S. C., cum conditione rescripto adjecta, ut aliis puellis, quae jam impetraverant, satis prius fieret. Summus vero Pontifex eo contextu, quo sententiam S. C. adprobavit, literas desuper Apostolicas expediri in forma Brevis mandavit. Nupsit Constantia, et per decennium siluit. Interea aliae puellae a testatrice descendentes simile in eadem quantitate meruerunt rescriptum, literas illico expedierunt Apostolicas, et in Curia Episcopali exibuerunt. Postea imminente executionis sui rescripti tempore, illud Constantia Episcopo exhibuit. Episcopus existimans illas, quae ut cumque posteriores in gratia, priores tamen in expeditione Brevis fuerunt, esse anteferendas, decretum iisdem dedit executoriale. Modo Constantia sui rescripti executionem urgens, et decreta Episcopi executorialia posthabenda contendens est voti compos facta, salvo tamen residuo debito in vim Decreti executorialis 23. Januar. 1770. in posterum liquidando: *Nepesina* 8. *Julii* 1786.

39 Quoad conspicuam 30000. scut. summam Archiconfraternitati SSmae Annuntiatae Urbis relictam a Paullo Paganini pro distributione dotium, decrevit S. C., dotem scut. 700. assignatam Mariae de Rubeis Veri Manni testatori consanguineae a Clemente XIV praestanda non esse ex medietate dumtaxat subsidiorum dotalium Paganini, quae traduntur ad nominationem haeredum Magdalenae Paganini, et Theodosii de Rubeis, quum ex illa medietate nisi scut. 48. supersit, sed in ejus defectu ex altera etiam medietate subsidiorum, quae distribuuntur ab Archiconfraternitate praedicta: *Romana Subs. Dot.* 21. *Junii* 1788.

40. Obtinuerunt ex Legato Antonii Pelucchi relicto pro dotibus distribuendis Margaritha Pacini cum filiis testatoris consanguinea, et Anna Pacini soror Margarithae assignationem annui subsidii scut. 50., ac Vitalitium livellum Monialis ejus filia; et exclusa fuit Anna Maria Pacini del Drago altera ex filiabus Margarithae eo quod veluti nuptam mater praetermisit. Haec modo miseriis pressa exorat pro communicatione annui subsidii scut. 50., vel attributione unius ex quatuor dotibus Materterae exemplo, et S. C. annuit quoad assignationem subsidii dotalis unius ex illis quolibet anno distribuendis durante Oratricis vita: *Romana* 7. *Febr.* 1789. *dub.* 2.

41. Constantia Zerbinati ab ejus Viro Comite Astorre de Monte Veteri haerede instituto jussit, ut Monasterium erigeret Monialium in eodem Monte Veteri; et voluit, ut Moniales illic gratis recipiendae essent cives, et incolae ejusdem Montis Veteris. Clemens XI. pium hoc opus in spirituales convertit dotes. Franciscus Baldelli adlectus Montis Veteris civis pro filia Nicolaa dotem ab Episcopo impetravit. Ægre id patiens Maria Angela Ricci filia Caroli originarii civis dotem civibus ab initio relictam petiit. Hinc quaeritur quibus puellis, et in qua summa

debeatur hoc dotale subsidium. Deberi Mariae Angelae Ricci, et in futurum puellis originariis Montis Veteris, et territorii praelative ad filias adlectorum, in reliquis vero integra summa necessaria ad induendum habitum religiosum in Monasteriis viciniorihus, S. C. definivit: *Forosempronien. Subs. Dot.* 8. *Aug.* 1789. *dub.* 1.

42. Dotale subsidium scut. 600. relictum a Jacobo Francisco Tellarini pauperi filiae civis Consiliarii Lugi, denegatur Comiti Virgilio Manzoni licet Consiliario, qui illud poscebat pro quatuor non pro una vel altera, filiabus suis de congrua dote aliunde provisis, reservato ei jure petendi dictum subsidium ad formam fundationis, a Lugensi nempe Congregatione per testatorem deputata: *Imolen. Dotis* 26. *Novem.* 1791.

43. Matthaeus Consegli Arci Nulphae oneravit haeredes subsidio dotali in favorem pauperis puellae consanguineae scut. 25. Haeres hactenus subsidium nemini contulit, tempus expectans sponsalium pauperis consanguineae, ideo Communitas dicti loci supplicavit pro extensione Legati ad extraneas puellas cum praelatione consanguinearum. Sed exoravit incassum negativo rescripto referens: *Spoletana Subs. Dot.* 8. *Febr.* 1794. *dub.* 4.

44. Subsidia dotalia relicta a Magno Priore Hierosolymitano Hipolyto Malaspina, et Equitis Antonii Emmanuelis de Torres in favorem Meretricum, in eorum defectum concedendum esse simplicibus Stupratis rescribitur: *Melevitana Sub. Dot.* 16. *Aug.* 1794. *d.* 2.

45. Item extenditur puellis Stupratis Legatum subsidiorum dotalium relictum a Maria Foscari, quae disposuit in favorem *di qualche donna disonesta, e meretrice;* ideoque in defectum Meretricum conceditur Olimpiae Perotae, Pasquae Attard, et Theresiae di Giorgi, quae simplex passae sunt stuprum: *Ibid. dub.* 2.

46. Tres erant in pari gradu fundatricis Paulinae Gafà consanguineae Maria Antonia Libreri, Maria de Bono, et Elisabeth Aquilina ad obtinenda subsidia dotalia ab eadem ordinata. Sed prima occasionem nubendi arripuit, et Episcopus potestatem fecit concurrendi ad dotem etiam in statu conjugali. Sed ex tribus Oratricibus prelationem in distributione obtinuit de Bono tamquam natu major. Quum autem haec maturae esset aetatis an. 38., senioque haberet Matrem confectam rogat consequendi dotem in statu coelebi. Favet ei Episcopus ob ejus extremam paupertatem, ceterae puellae sese opposuerunt. Et S. C. in favorem de Bono esse locum ex gratia in statu coelebi consecutioni subsidii dotalis Paulinae Gafà suspensi de anno 1792. decrevit: *Melevitana Sub. Dot.* 17. *Junii* 1797. *dub.* 1.

47. Ter Summi Pontifices derogarunt conditioni respectivae paupertatis in favorem Nobilium puellarum, quarum genitores superabant in sorte summam a testatore Sacerdote Petro Sensinio Pontoni designatam, qui legavit subsidium dotale scut. 200. cuique in Domino nubenti puellae. Modo precatur Sebastiana Piccioni, ut religiosum indueret habitum in claustro Monialium S. Salvatoris Ordinis S. Benedicti, cujus paternum patrimonium non excedit summam scut. 1129. 90. ½., et S. C. favente Archiepiscopo habilitavit Oratricem ad consequendum unum subsidium dotale ad formam fundationis facto verbo cum SSmo: *Camerinen. Subs. Dot.* 16. *Decem.* 1797.

Substitutio.

1. Demandata obligatione oneris Missarum Capitulo Cathedralis a Maria Victoria Tani ea conditione, nisi vellet su-

scipere,substituantur Patres Conventuales dictae Civitatis ; quum Capitulum petiisset reductionem , quae denegata fuit a S. C., eadem S. C. locum esse substitutioni resolvit addendo facta obligatione per substitutos celebrandi Missas ad formam testamenti, ac praefixo termino per Episcopum prius vocari ad accipiendum onus ad formam dicti testamenti: *Ferentina Oner. Miss.* 24. *Aug.* 1715. *dub.* 2.

2. Franciscus Johanninius pretium scutorum mille in emptionem lati fundii erogatorum Sodalitio S. Mariae Misericordiae Urbini donavit sub caducitatis poena in favorem alterius Sodalitii S. Josephi in casu inobservantiae impositorum Sacrorum; fructibus latifundii valde imminutis Sodalitii curatores donatarii anno 1677. a sacris cessarunt ad annum usque 1710. quo precati S. C. sunt pro eorum reductione . Reductionem ab Archiepiscopo Marellio anno 1711. factam esse servandam S. C. duxit, et resolvit inde purificatam hanc esse substitutionem in favorem Societatis S. Josephi: *Urbinaten. Red. Oner.* 28. *Martii* 1744. *dub.* 2.

3. Antonius Testa erigi mandavit intra biennium canonicatum in Cathedrali adjectis nonnullis conditionibus, inter quas ut nisi erectio sacra fuisset intra dictum biennium, in favorem Convictricium Asculi bona disposuit. Biennio elapso ob contentiones factas cum Capitulo dictae Ecclesiae super conditiones oppositas S. C. decernit locum esse substitutioni in favorem Convictricium Asculi: *Asculana Erect. Canon.* 7. *Aug.* 1756. *dub.* 1. *confir.* 18. *Sept. ejusd. anni.*

4. Agatha Malacrosta universam suam haereditatem reliquit Collegio PP. Congregationis Doctrinae Christianae Centumcellarum adjectis nonnullis oneribus, cum quibus non accipiente substituit Societatem Confalonis . Inde ob vires haereditatis impares impositis oneribus obtinuit haeres institutus reductionem onerum,et tunc ignoratur, an sit locus substitutioni dictae Societatis? S. C. non esse locum decidit: *Viterbien. Red. et Susp. Oner.* 16. *Decem.* 1786.

5. Andreas Prosperi Maceratensis Congregationis Oratorii Sacerdos haeredem in paternis, maternisque bonis Johannem ejus fratrem, in reliquis vero ab ipso acquisitis proprietarium instituit sacerdotem Thomam Piccioni, eique non suscipienti substituit Ecclesiam S. Francisci de Aquaviva Patria sua iisdem honoribus, et oneribus,et hinc etiam non admittenti Societatem Mortis substituit iisdem conditionibus. Dispositionem accepit Thomas, et ad obitum usque sacra ceterasque conditiones implevit. Carolus Piccioni ejus successor hodie anxius est num substitutiones piorum locorum ordinatae in casu haereditatis repudiatae sustineantur per obitum haeredis suscipientis? et non sustineri S. C. respondit: *Aprutina* 19. *Maii* 1787. *dub.* 1.

Reliqua *Vide Legatum Pium* §. *IV. Subsidium Dotale* §. *XV.*

Suffraganeus Episcopus *Vide Episcopus.*

Suffragia *Vide Regulares* §. *IV. Sodalitium* §. *II.*

Sumptus in Genere *Vide Expensae* §. *I.*

Sumptus Litis *Vide Expensae* §. *II. Matrimonium* §. *I.*

Supellectilia *Vide Utensilia .*

Superiores Regulares *Vide Abbas, Regulares .*

Superioritas *Vide Ecclesia Matrix ec.*

Suppeditatio *Vide Alimenta , Assignatio.*

Supplementum *Vide Subsidium Dotale* §. *XIII.*

Supplicatio *Vide Processio, Regulares* §. *III.*

Suppressio *Vide Canonicatus* §. *II.*

Capellania §. *II. Regularium Monasterium* §. *IV.*

Supranumerarius Canonicus *Vide Canonicus* §. *IV.*

Suspensio *Vide Anniversarium* §. *IV. Archidiaconatus etc. Canonicatus* §. *II. Capellania* §. *X. Juspatronatus* §. *V. Legatum Pium* §. *XIII. Missa* §. *XV. Subsidium Dotale* §. *XIV.*

Suspensionis Censura.

1. Clerici seculares Abbatiae Ferentilli ordines suscipientes et non literas dimissoriales ab Episcopo intra cujus fines ordinandi existunt suspensi sunt juxta *cap.* 8. *sess.* 23. (235) *Spoletana anni* 1583.

2. Censuit S. C. Abbates aliis, quam Regularibus sibi subditis dimissorias, concedentes ab officio, et beneficio per annum ipso jure suspensos esse: *Tarraconen. Febr.* 1590. *dub.* 5.

3. Episcopus ex causis sibi notis suspendit a' celebratione, et Ordinum exercitio Presbyterum Dominicum Guillelmum, quem subinde irregularem declaravit, ex quo iste neglecta suspensione celebravit. S. C. consulta suspensionem esse validam censuit: *Iserniεn. Susp. et Irreg.* 20. *Decem.* 1687. *d.* 1.

4. Suspensum fuisse credidit ipso jure Archiepiscopus Hispalensis suum subditum Clericum Josephum Fuentes de Lebrixas, eo quod promotus ad Sacros Ordines fuisset ab Episcopo Samensi, cujus obsequiis addictus erat sine literis Commendatitiis, et ad titulum insufficientis beneficii. Et S. C. idem sensit, et sancivit: *Hispalen. Irregularit.* 6. *Febr.* 1700.

5. Die 14. Novem. 1699. dub. 1. et 3. S. C. decrevit suspensionem in Antonium Rennam titularem Ecclesiae S. Antonii Viennensis a divinis intentatam ab Abbate Generali Montis Virginis vim habere. Ille enim notulam distinctam satisfactionis onerum dictae Ecclesiae tradere abnuit sub praetextu, quod esset Vicarius Basilicae Lateranensis, ideoque ab Ordinarii jurisdictione exemptus. Pariter eadem S. C. injunxit Abbati, quatenus conficiat processus, procedat ad poenas pro ut de jure. Modo haec omnia confirmantur: *Nullius, seu Montis Virginis Censurar.* 26. *Junii* 1700.

6. Angelus Malpicius Parochus Ecclesiae S. Nicolai Urbis Æsii ab Episcopo suo ab administratione Sacramentorum suspensus, eo quod cuidam praecepto habendi Domum pro carcere sub eadem poena injuncto non obtemperavit, recursum habuit in S. C. nullitatem, ac injustitiam praecepti redarguens, tum quia emanatum nulla praecedenti monitione, et absque causae expressione, tum quia sibi personaliter praesentatum non fuit. Oratorem esse immunem a dicta censura S. C. decernere arrisit: *Æsina Susp. et Irreg.* 19. *Aug.* 1702. *dub.* 1.

7. Necnon Episcopo super deductis in ejus informatione, ut praefatum Parochum non molestet, mandavit: *Ibid. dub.* 2.

8. Coram Vicario Generali Episcopi Leodiensis institit Jo. Dominicus Doignies Parochus Oppidi Marienburgensis, ut declaretur, puellas educandas in Monasterio Monialium Sepulchrinarum in sua Parochia Sacramenta sumere, et occasione obitus jura solvere funerea debere. Sed quum contraria probata fuisset consuetudo, contrarium ei Vicarius decretum emisit. Parochus vero dictas Moniales variis modis vexare non destitit. Recursum habuit ad Judicem Laicum. Vicarius et sub poena suspensionis eumdem ad comparendum monuit, et ei recusanti iterum extrajudicialiter idem nunciavit, inde speciale expedivit monitorium, termi-

(235) *Vide not.* 27. *Lit. I. tom.* 4.

nisque praefixis elapsis declaratoriam suspensionis a divinis edidit, cujus validitatem S. C. admisit: *Leodien. Censur. et Irreg.* 7. *Julii* 1703. *dub.* 1.

9. Vertente antiqua praeeminentiali controversia inter Ecclesias Collegiatas Civitatis Lucae Vicarius Capitularis in edicti promulgatione pro habenda casuum Conscientiae Congregatione Ecclesiam S. Michaelis alteri SS. Jo. et Reparatae praeposuit. Prior istius, et Canonici reclamarunt, ac debitam emiserunt contestatam denunciationem; et interim Congregationi Prior non interfuit. Vicarius vero eum ab audiendis Confessionibus suspendit: S. C. audita, suspensionem minime sustineri, et servari solitum quoad formam servandam in futuris Congregationibus statutum est: *Lucana Susp.* 28. *Julii* 1703.

10. Quum Archiepiscopus Compsae, Oratori in Aula Palatii Baronis Castri Novi locati, quod privatum existimabat, demolitionem praecepisset, a divinis etiam Sacerdotes Scipionem de Martino Baronis filium, et Capellanum inibi contra Vicarii Generalis interdictum occasione Visitationis emanatum celebrantes, suspendit, ideo S. C. consulta validas censuras contra eosdem latas non judicavit: *Compsana Cens.* 31. *Maii* 1704. *dub.* 3.

11. Suspensio a divinis contra simplices Sacerdotes lata ab Episcopo valida non est. Ita S. C. sancivit, addiditque, ad D. Secretarium cum Agente Episcopi juxta mentem. Nam ipse Episcopus Oraculo S. C. pendente existimans interdictam sibi non esse possessionem compellendi dictos simplices Sacerdotes ad servitium Ecclesiae Cathedralis, plures de illis suspendit: *Trojana Serv.* 20. *Sept.* 1704. *dub.* 3.

12. Vicarius Generalis ab exercitio Ordinum Franciscum Amatum a Sancto Mauro Ariminensis Dioecesis suspendit, quod is notam Constitutionem Innocentii XII. non servaverit. Nam per Episcopos ordinantes in literis testimonialibus expressus haud fuit annuus reditus scut. 16. Beneficii simplicis terrae Sextini nullius Dioecesis congruam conservationem juxta consuetudinem Ariminensis Dioecesis non constituentis. Dispensationem vero ab interstitiis, et literas dimissoriales ab Archipresbytero terrae Sextini, quod agere non poterat, obtinuerat. Licet autem dictus Franciscus id bona fide fecisse affirmet, tamen suspensionem validam S. C. declaravit, et scribendum Archipresbytero Sextini, ut doceat de praetensa facultate concedendi literas dimissoriales, injunxit: *Ariminen. Ordinat.* 10. *Januar.* 1705. *dub.* 1.

13. Completo munere Camerariatus Capituli Civitatis Castellanae Canonici Antonius Samirrima, et Jacobus Ludovicus Paradisus Syndicos pro rationum redditione a Capitulo obtinuerunt. Sed Episcopus publico edicto rationes reddendas esse Revisoribus deputandis sub poena suspensionis a divinis praecepit. Canonici vero cum Syndicis rationes consolidarunt. Declarati propterea fuerunt suspensi. Hac super re quaesita fuit S. C. quae nullo decreto exposito, et impertita eisdem absolutione ab ipsomet Episcopo, satis fuisse provisum rescripsit: *Civitatis Castelanae Susp. a Div.* 19. *Junii* 1706.

14. Edictum Episcopi, quo praecipiebatur, ut coram eo Visitatore ratio administrationis, et librorum exhibitio a Canonicis Camerariis Capituli Ecclesiae Cathedralis fieret, et eorum munera prorogentur, quod sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda injunxit, S. C. interrogata praefatum edictum ratum habuit praeterquam quoad prorogationem officiorum, et poenam suspensionis decidit: *Civitatis Castellanae. Edicti* 31. *Julii* 1706.

15. Celebravit Episcopus Gerundae,

et Cariati Synodum Dioecesanam in Civitate Cariati. De hac celebratione conquesti sunt Capitulares, ceterique de Clero Gerundae, et accedere ad eam recusarunt hanc ob causam Episcopus suspensos eos, qui Synodo non interfuerunt, ab officiis, et beneficiis pronunciavit; examinato dubio a S. C., an censurae fulminatae ab Episcopo validae sint? nullas esse rescribit: *Geruntinen. et Cariaten. Syn.*, *et Grav.* 2. *Octob.* 1706. *dub.* 3. *Confir.* 11. *Febr.* 1708.

16. Comminatus est Episcopus contra Canonicos Curatos Ecclesiae Collegiatae S. Ægidii terrae Tulphae ob practermissam Missam Parochialem, ad cujus celebrationem teneri alios quoque Canonicos illi asserebant, suspensionis poenam ipso facto incurrendam. Hanc sustineri deleta clausula *ipso facto* sententia fuit S. C. *Sutrinu Miss. Par.* 12. *Januar.* 1709. *d.* 2.

17. Renuentibus Presbyteris Ecclesiae S. Jacobi Nationis Hispanicae Neapolis praetextu suorum privilegiorum, ac ab omni Ordinarii jurisdictione exemptionis ad supplicationem SS. Corporis Christi accedere. Curia Archiepiscopalis nonnullos ex eis suspensione a divinis irretivit, qui reclamantes censuras esse validas audierunt: *Neapolitana Proces.* 3. *Aug.* 1709. *d.* 2. (236)

18. Ignatius Lamorea, qui ordines minores, et sacros ab Episcopo Laquedoniensi absque literis testimonialibus Episcopi Bituntini, cui ratione originis subjicebatur, illicite initiatus est, remanet suspensus arbitrio Ordinarii Bituntini: *Laquedonien. seu Bituntina Ordinat.* 16. *Novem.* 1709. *dub.* 2.

19. Joseph Reynaud Frater Laicus secularis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia dimisit habitum, ac Congregationem deseruit. Instante Procuratore Generali S. C. definivit, eum exeundo a praefata Congregatione absque dispensatione, seu facultate non incurrisse suspensionem, sed poenas ceteras contentas in Constitutionibus dictae Congregationis: *Carpenctoraten. Voti Persev.*, *et Ordin.* 22. *Febr.* 1710. *dub.* 1.

20. Censura suspensionis relaxata contra Rectorem Ecclesiae Parochialis S. Mariae Montis Morelli a Vicario Generali pendente recursu in S. C. causa inobservantiae decreti Episcopi in Sacra visitatione emanati, vim non habet: *Recineten. Visit.*, *et Cens.* 12. *April.* 1710. *dub.* 1.

21. Episcopus Audomaropolis suspensionem in quatuor Monachos Monasterii S. Bertini in Belgio Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti promulgavit. Hii enim cum literis dimissorialibus Abbatis dicti Monasterii ab Episcopo Namurci, absente, ut dicitur, Episcopo Audomaropolis ad ordinem Presbyteratus anno 1704. promoti sunt. Abbas autem opinabatur id fecisse vigore indulti Clementis VIII. Pont. Max. diei 15. *Martii* 1596. facultatem dimissorias absente Episcopo, vel ordinationes non exercente concedentis. S. C. occasione dubitationis censuit ordinatos in suspensionem ex hactenus deductis non incurrisse: *Audomaren. Dimiss. et Cens.* 10. *Januar.* 1711.

22. Sodales Societatis S. Crucis in Ecclesia S. Martini loci de Treppiniana existentis propria auctoritate Sacram Imaginem in Ara Majori Ecclesiae sitam amoverunt, ac oppositionem fecerunt, quominus cadaver Jo. Baptistae Conti dictae Ecclesiae Rectoris nuper defuncti, in eadem Ecclesia, ubi sepulcrum sibi delegerat, tumula-

(236) Advocatus Dominicus Ursaya rationes in hac causa sustinuit Curiae Archiepiscopalis, ut habemus in sua *Discep. Eccl.* *tom.* 2. *part.* 2. *per tot.*

retur. Vicarius Generalis praeceptum promulgavit sub poena interdicti, et suspensionis, quo Sodalibus, ut Sacram Imaginem reportarent, ac patientiam pro sepeliendo cadavere haberent, injungebatur. Non obtemperarunt Sodales, eo quod Societas eorum esset Laica, Ecclesia haud Parochialis. Hinc Ecclesiam, Sodalesque interdictos, suspensosque declaravit. Facta controversia rescriptum a S. C. fuit, ut praevia repositione Iconis S. Martini in Ara Majori, et restitutione clavium, suspenso interdicto, proponatur causa super negotio principali in S. C: *Lucana Censur.* 18. *April.* 1711.

23. Archangelus Tramazzius Clericus Romanus cupiens initiari ad titulum simplicium beneficiorum, quae in Dioecesi Agathopolis obtinuit, literas testestimoniales a Vicario Urbis monentes eum de congrua more Romano requisita sub poenis in Constitutione Innocentiana contentis habuit. Ordinatus fuit illorum titulo, et cujusdam Capellaniae cum onere diuturni servitii Ecclesiae SSmae Annuntiationis Urbis Agathopolis. Accessit inde ad Urbem, ubi celebrare inspecto Romano ritu de patrimonio Clericorum non valuit, et S. C. invocavit, quae suspensionem incurrisse, et pro absolutione, et dispensatione ad annum, et interim curet de supplemento patrimonii juxta taxam Romanam (237) provideri, respondit: *die* 28. *Novem.* 1711. Rediit inde, et S. C. recessit a decisis, eum non incurrisse censuit, praestito tamen juramento per eumdem de permanendo in Dioecesi Agathopolis: *Romana seu S. Agathae Gothorum Patrim. et Susp.* 27. *Maii* 1723.

24. Congregatio Clericorum Secularium Doctrinae Christianae in Gallia vigore indulti Pontificii facultatem habet, ut omnes ejus Clerici postquam vota simplicia, et juramentum perpetuo perseverandi in eadem Congregatione emiserint, de licentia Praepositi Generalis, vel Provincialis ad omnes Sacros Ordines promoveri valeant ad titulum Congregationis, et qui sine venia ascendere praesumat, suspensus ipso facto evaderet; hujus rei causa ad dubium; an Clerici dictae Congregationis, qui absente Provinciali cum licentia Exprovincialis vices gerentis ipsius Provincialis ad Sacros Ordines fuerunt promoti, praefatam suspensionis poenam incurrerint? rescribitur non esse molestandos; etsi jam S.C. antea decreverat illum licentiam concedere non valere: *Congregationis Doctrinae Christianae Ordin.* 13. *April.* 1715. *dub.* 2.

25. Quum Prosper Ascentianus Canonicus Cathedralis Maceratae contra formam Constitutionis Innocentianae ab Episcopo Maceratae absque testimonialibus Archiepiscopi Firmi, cui subditus ratione originis erat, ac domicilii, fuisset ordinatus, S. C. incurrisse eumdem in suspensionem decrevit: *Tolentina Ordinat.* 2. *Octob.* 1717. *dub.* 2.

26. Suspensionem a Divinis ab Episcopo Melevitano intentatam Beneficiatis Parochialis S. Paulli Urbis Vallettae sedentibus in primo Stallo Parocho ipsius Ecclesiae ab Episcopo assignato validam non esse; sed poenis minoribus agendum esse arbitrio Episcopi, S. C. existimavit: *Melevitana Divin. Offic.* 29. *Januar.* 1718. *dub.* 6.

27. Guillelmus Melfort origine Scotus Londini natus ex haereticis genitoribus, qui tamen haeresim abjurarunt, Catholicamque subinde amplexi fuerunt Religionem, in aetate duorum annorum baptismum ab Administro Ecclesiae Anglicanae recepit; inde confirmatus, ac postmodum peractis studiis in Univer-

(237) *Not.* 79. *Lit.* 6. *pag.* 58.

sitate Duacensi, ab Episcopo Nivernien-si ad primam tonsuram, et Minores Ordines promotus est. Dum vero ad Sacros Ordines ascendere coactus sit ob Archipresbyteratum, quem Romae in Collegiata S. Eustachii obtinuit, petiit a S. C., an remanserit suspensus a susceptorum ordinum exercitio, quos absque dimissoriis proprii Episcopi suscepit; affirmativum datum fuit responsum: *Romana* 21. *Maii* 1718. *dub.* 4.

28. Sacerdos Marcus Antonius Macrinatus Jemini Dioecesis Uxentinae, sed ejus pater natus est in terra Casarani Dioecesis Neritonensis ordinatus ab Episcopo Uxentino absque literis testimonialibus Episcopi Neritonensis non incurrit suspensionem. Nam exponebat patrem ejus a triginta annis domicilium continuum cum animo perpetuo habitandi constituisse in oppido Jemini, ubi majorem partem bonorum possidet: *Uxentina, seu Neritonen. Ordin.* 17. *Junii* 1719.

29. Episcopus suspensionem a divinis adversus Canonicos Procuratores Capituli Cathedralis inflixit. Occasionem praebuit expositio reliquiarum S. Pamphili Protectoris Civitatis Sulmonis, ut impetraret pluviam, ac ut Augustissima Imperatrix felicem ederet partum. Contendit Episcopus Capitulum id fecisse absque sua venia; e contra Capitulum defectum canonicarum monitionum opposuit, ac de obtenta licentia Magistratus testimonium ostendit; ob id S. C. consulta suspensionem ratam non habuit; et addidit ad mentem (238): *Sulmonen.* 2. *Decem.* 1719. *dub.* 1.

30. Paullus Jordanes Montis S. Angeli Sipontinae Dioecesis a suo Episcopo ad titulum patrimonii sacri in subdiaconum ordinatus Mansionariam quemdam residentialem, quae ad nutum amovibilis esse dicitur, obtinuit in Ecclesia Cathedrali Vestana, et ad ejus titulum fuit ordinatus ab Episcopo Asculano ad reliquos sacros ordines cum literis dimissorialibus Vicarii Capitularis Vestani sine testimonialibus Archiepiscopi Sipontini. S. C. consulta Jordanem suspensum, ac irregularem *sub die* 4. *Maii* 1719. *Inter. Sum. prec.* declaravit. Deinde causa examinata iterum, coadjuvari probationes super qualitate Mansionariae, an sit perpetua vel ad nutum amovibilis rescribitur: *Vestana seu Sipontina Ordinat.* 11. *Maii* 1720.

31. Patres S. Francisci de Paulla Archiepiscopo Oratorium Claustro S. Mariae Lauretanae adjectum, in quo erecta est quaedam Sarcinatorum, seu Vestiariorum Societas, visitanti restiterunt; id visitandi jus illi negantes. Archiepiscopus eosdem Patres suspendit, excommunicavit, et interdixit. Controversia hinc orta inter eos est tam super jure visitandi, tam super censurarum validitate. De jure nulla prodiit definitio, et censurae suspensae fuerunt usque ad exitum causae, amotis interim cedulonibus: *Consentina Visitat., et Cens.* 19. *Sept.* 1722. *dub.* 1. *et* 2.

32. Clerici nonnulli Patriarchatus Occidentalis origine, et domicilio subditi a petitione sacrorum Ordinum rejecti, recursum habuerunt ad Capitulum Orientale, et ad Episcopum Tagastensem Vicarium Capitularem, qui eos ad titulum nonnullarum Capellaniarum in Ecclesiis Dioeceseos Orientalis existentium ordinavit. Capellaniae istae nec Episcopi auctoritate fundatae erant, nec in dominium Ecclesiae unquam

(238) Mens fuit, ut duo Canonici nomine Capituli accedant ad Episcopum ad petendam veniam de facto sequuto supradictae tentatae expositionis Reliquiarum; et mens praedicta Procuratori Capituli in urbe notificata fuit, et etiam Episcopo: *Regist. Lit. Lib.* 25. *die* 2. *Decem.* 1719.

transierant, quum ab Administratoribus, qui solvebant eleemosynam, retinerentur. Postquam Ordinationes sic factae, fuerint illicitae a S. C. judicatae; ita etiam ordinati suspensi declarati sunt, et additum fuit ad mentem: *Ulyssiponen. Occidentalis* 26. *Junii* 1723. *dub.* 2. confirmat. pro nunc quoad Valentinum Pereiram, et Emanuelem Nunez Colares: 19. *Aug.* 1724.

33. Curia Episcopalis Aquensis Hippolytum Macchiolo Praepositum Parochialis Loci Uvadae suspensum ab Officio pronunciavit per quatuor menses, ea de causa, quod absque ordine, et licentia ejusdem Curiae unam publicationem fecisset de patrimonio constituto a Nicolao Molphino Bartholomaeo proprio filio, postquam fuit ordinatus a Card. Archiepiscopo Januensi in praejudicium jurisdictionis Episcopi Aquensis. Hippolytus vero dicit se putasse licentiam habere a Curia Aquensi, quia vir probus id ei asseruerat. De censurarum validitate requisita propterea fuit S. C., et responsum praebuit; Dilata, et expectetur novus Episcopus, concessa interim relaxatione suspensionis, et dispensatione ab irregularitate ad cautelam usque ad exitum causae: *Aquen.* 4. *Decem.* 1723. *dub.* 2.

34. Canonicos Dominicum, et Philippum de Ferignis incurrisse in suspensionem indicatum est non obstantibus binis praecedentibus appellationibus solemniter interpositis. Haec enim censura fuit relaxata ad tramites edicti emanati super adimplemento celebrationis Missarum, a quo defecerat primus ob non celebratas Missas 76., secundus 53., quas celebrare ratione Beneficiorum, et Capellaniarum tenebantur, etiamsi eorum juramento de celebratione expleta affirment, licet descriptae, in libro sacrarii non reperiantur. In dubio venit validitas suspensionis, et S. C., ratam non existimavit, et addidit ad mentem: *Amalphitana* 19. *Aug.* 1724.

35. Abhinc annis septem Jo. Sordagnia Parochus loci Zaptat adulterio nomen suum maculat, ac in negotia secularia se implicat, et graviter in administratione Sacramentorum delinquit, plurimis Parochiae incolis absque Sacramentis ejus culpa mortuis; Haec omnia noscens Archiepiscopus Ragusinus Sacerdotem Johannem de Angelis pro confectione processus delegavit. Delegatus hic Parochum suspendit a divinis, qui ad S. C. confugit; et suspensionis revocationem, et absolutionem ab impactis criminibus postulavit. Sed resoluta non fuit causa, quum S. C. dixisset, dilata, suspensis interim censuris per tres menses, et ad D. Secretarium pro relatione processus: *Ragusina* 19. *Aug.* 1724. *dub.* 1. *et* 2.

36. Sub poena suspensionis, et interdicti in Synodalibus Constitutionibus prohibetur celebratio Missae in diebus solemnibus in Oratoriis privatis. Petrus tamen Pratus Capellanus Ecclesiae S. Mariae de Areneto in die Paschatis Missam inibi celebravit. Episcopus Oratorium esse privatum non Ecclesiam publicam existimans, a divinis Capellanum suspendit. At Ecclesia praefata publica declarata, ideoque invalida suspensio fuit: *Savonen.* 9. *Sept.* 1724. *dub.* 2.

37. Bartholomaeus Turrianus Lucanae Dioecesis cum Literis dimissorialibus sui Episcopi, ut a quocumque Antistite ad ordines Minores promoveri possit, primam tonsuram, et Ostiariatus Ordinem recepit ab Episcopo Mantuano, alios ab Abbate seculari Ecclesiae Collegiatae S. Barbarae dictae Civitatis, tamquam suae Ecclesiae servitio addicto. Novas impetrare literas cupiens a suo Episcopo fuerunt hae denegatae. Re ad S. C. delata, et auditis Episcopo Mantuano, qui Eccle-

siam S. Barbarae exemptam esse, cujus servitio se mancipavit Turrianus, referebat, et Episcopo Lucano, qui illum absolvi posse, ex quo Abbas in possessione immemorabili erat conferendi Ordines Minores Ecclesiae suae adscriptis, firmabat, S. C. dixit, dilata, et ad mentem (239): *Lucana* 14. *April.* 1725. De possessione Abbatis minime dubitatum fuit, sed instauratum fuit examen super titulo, seu privilegio, et rescribitur; dilata, et ad mentem (240): 22. *Sept. ejusd. anni*. Demum decreta fuit relaxatio suspensionis arbitrio Episcopi Lucani: 16. *Martii* 1726. (241).

38. Parochus Ecclesiae Lindkurchensis Johannes Kleydorffer a Consistorio Ratisbonae suspensus fuit ab exercitio parochiali, ex quo Sacramentum Eucharistiae denegaverat Georgio Baurt ea ductus ratione, quod tempore paschali confiteri alteri Sacerdoti absque sua venia ausus fuerat. Hanc suspensionem sustinendam esse firmatur: *Ratisbonen.* 4. *Aug.* 1725.

39. Suspensio imposita ab Episcopo Canonicis Ecclesiae Cathedralis in casu absentiae non sustinetur nisi in subsidium: *Acerrarum* 23. *Aug.* 1727. *dub.* 16.

40. Propterea eadem relaxata contra nonnullos Canonicos non est valida: *Ibid. dub.* 18.

41. Sub nomine poenae correctionis intelligi suspensionem a divinis S. C. declaravit: *Pacen. seu Nullius Jurisdictionis* 15. *Januar.* 1729. *dub.* 4.

42. Quum occasione Visitationis Ecclesiae Parochialis terrae Centulae exemptae Episcopus jure delegato ad examen Dominicum Gabrielem Parochum, seu Œconomum dictae Ecclesiae vocavisset, et ipse renuens praeviis terminis ab Officio suspendisset, in occulto delituit suspensionis validitas. Putat Parochus de nullitate ejusdem constare, quum semel adprobatus novo examini subjici, nisi nova indicia de illius imperitia supervenisset, nequiret. S. C. autem pro validitate stetit: *Caputaquen.* 2. *April.* 1729. *dub.* 1.

43. Suspensio a celebratione Missae in Sacerdotes Franciscum Vassalli, et Sabbatum de Stephano ab Episcopo Capritano ex causis sibi notis, et ex informata conscientia, lata valida est: *Capritana* 16. *Decem.* 1730. *dub.* 1.

44. Vicarium Generalem Abbatiae S. Mariae de Casanova, qui literas dimissoriales Francisco de Fulgentiis subdito Episcopi Valvensis concessit, suspensum fuit declaratum, quamdiu ab Episcopo Valvensi videbitur: *Valven. seu Sulmonen. DubiumOrdinat.* 22. *Martii* 1732. *dub.* 2.

45. Quum Episcopus Larinensis in Synodo Dioecesana anni 1728. praescripserit Sacerdotibus, ut quotiescumque illi Congregationi de quaestionibus ad forum conscientiae spectantibus, haberi consuetis non interessent, in sequenti die se abstinerent a Missae celebratione; S. C. poenam suspensionis deleri jussit (242): *Larinen. Decret. Sy-*

(239) Qua D. Secretario fuit a S. C. demandatum, ut ex officio colligeret, quae sibi colligenda occurrerent circa privilegium Abbatis S. Barbarae in puncto collationis Ordinum: *Ead. caus.* 1. *Sept.* 1725. §. 7.

(240) Quae fuit, ut colligerentur ea, quae facere possent super articulo excitato, an privilegium concessum a Summo Pontifice Pio Papa IV. Abbati S. Barbarae, conferendi tonsuram, et minores Ordines, fuerit ab eodem Pontifice revocatum *in Const.* 94. *ejusd. Pont. Bullar. tom.* 2. *Ead. caus.* 17. *Novem.* 1725. §. 1.

(241) In hac causa habentur Annotationes Secretarii S. C. rel. *in Thesaur. Resolut. tom.* 3. *pag.* 293. *Edit. Rom.*

(242) „ Etsi enim haec levissima esset, et unica tantum die Sacerdotes arceret a Sacro Altaris Ministerio, levior tamen Sacrae Congregationi visa est culpa, propterquam infligebatur " Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. Lib.* 7. *cap.* 45. *num.* 4. *tom.* 12. *pag.* 449.

nodal. 30. *Aug.* 1732. *dub.* 2.

46. Poenam item ipso facto incurrendam scilicet suspensionis a Missae celebratione, sub qua demandata fuit emptio Codicis Constitutionum Synodalium, soluto pretio quinque Carolenorum, sustinendam minime esse fuit resolutum: *Ibid. dub.* 12.

47. Quum Sacerdos Petrus Xaverius de Antoninis illicite Ordines suscepisset, quia sine literis testimonialibus Episcopi Montis Alti, ab Episcopo Ripano ordinatus, fuit in suspensionem ille incidit, quam S. C. arbitrio Episcopi Montis Alti juxta mentem commendavit: *Asculana, seu Montis Alti Ordinat.* 7. *Febr.* 1733. *dub.* 2.

48. Sacerdotem Jo. Wolfangum Baumharter vitam inhoneste colentem pluries paterne monuit Ordinarius Augustanus. Illo non resipiscente ad sententiam devenit Episcopus, qua eumdem condemnavit ad permutandum simplex Primiceriatus beneficium cum altero beneficio in Liechtenau existente. Appellavit ille ad Metropolitanum Moguntinum, et hac appellatione non obstante eumdem Episcopus a divinis suspendit. Spreta hac suspensione jugiter celebravit Johannes; inde inquisivit, num suspensio a divinis, et respective irregularitas, in quam incurrit, sustineri deberet? et utique sustinendam S. C. resolvit: *Augustana* 29. *Januar.* 1736. *dub.* 2.

49. Quosdam Sacerdotes de inhonesta consuetudine cum muliere quadam Sacerdos Donatus de Hippolyto criminatus fuit. Episcopus eum ad informandum super infamia mulieri irrogata citavit, contumacemque bonorum sequestro vexavit. Appellavit hic ad Metropolitanum, qui Episcopo, ne ulterius in causa procederet, inhibuit. Episcopus interim ex informata conscientia per annum a divinis Donatum suspendit, qui contatus est S. C., num suspensio ab Episcopo in eum lata sustineatur? et responsum habet, dilata, et scribatur Episcopo, ut exprimat causas intra mensem: *Oritana, seu Tarrentina Attent.* 20. *Aug.* 1735. *dub.* 2. Inde audiri postulavit Episcopus, et in pristina sententia addendo ad mentem S. C. permansit: 24. *Sept. ejusd. anni.*

50. Sacerdos Joseph Ronca in Ecclesia Fratrum Min. S. Francisci oppidi Terlitii Missam inchoavit, multis die Dominica adstantibus, post oblationem Hostiae peractam, repertis Urceolis vino vacuis, et post horae circiter quadrantis lapsum, toedio affectus ab Altari discessit, seque eadem die ad celebrandum in Collegiatam dictae terrae contulit. Incertum fuit, an incurrerit ille suspensionem? Non incurrisse censuit S. C., et mandavit rescribi Episcopo, ut imposita aliqua salutari poena Oratorem denuo ad Altaris ministerium admittat: *Juvenacen. Suspens., et Irreg.* 3. *Decem.* 1735.

51. Episcopus Juvenacii cuicumque Sacerdoti sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, ne Candelas quisque privatim benediceret, et distribueret vetavit. Procurator tamen Generalis Capituli, ac Capituli deputatus in alia Ecclesia occulte Candelas benedixerunt, ac distribuerunt. Suspensi proinde illi fuerunt, licet appellationem ad Metropolitanum interposuerint; hinc actum est, an valide sint censurae latae post interpositam, et admissam appellationem ad Metropolitanum? Utique validas esse, S. C. respondit addendo ad mentem: *Juvenacen.* 22. *Septemb.* 1736. *dub.* 3. Confir. addendo iterum ad mentem: 9. *Febr.* 1737.

52. Dubio proposito, an diebus dominicis, et festis ante Missam parochialem Sacerdotes valeant facere sacrum in aliis Ecclesiis Normanni, praemisso sonitu tintinnabulorum? et an contra facientes suspensionis poena, vel alia

multari possint? datum est responsum ad mentem: *Cassanen.* 15. *Decem.* 1736. *dub.* 14.

53. Non est locus praetensae suspensioni a divinis contra Canonicos Grandinum, et Contestabilem Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis SS. Faustini, et Jovitae. Nam hi contendebant Episcopum, veluti S. C. in prioribus dubiis decrevit, impedito Canonico Curato vel defuncto Canonicis imponere Œconomatus onus non posse: *Viterbien.* 28. *Sept.* 1737. *dub.* 3.

54. Vicarius Generalis Cotronensis suspensum, excommunicatum, et irregularem Vincentium Amalphitanum Cathedralis Canonicum coadjutorem declaravit, eo quod in pervigilio festi Sanctissimi Corporis Christi, et in sequenti die functionibus interesse noluit, necnon coram illum comparere ad causam dicendum neglexit. De his S. C. interrogata respondit non sustineri censuras, mandavitque ut scribatur Episcopo pro abrogatione poenae suspensionis contentae in Synodali constitutione, et procedat ad formam Concilii (243). Probaverat enim praedictus Canonicus illo tempore fuisse a rheumatico morbo vexatum, ut absque vitae discrimine divinis officiis, supplicationi interesse nequiverit; et licet Promotor Fiscalis censuras tueri desudaverit, quod Canonicus eo die in alia Ecclesia Sacrificium peregerat. *Cotronen. Censurar.* 28. *Januar.* 1741.

55. Erecta est nova Parochia in Ecclesia S. Agathae Abbatiae Canonicorum Regularium Insulae Tremitanae a Pro-Vicario Generali Larinensi juxta Resolutionem S. C. Putavit Abbas contra mentem ejusdem S. C. id factum esse, ideo protestatus est, se ab omnibus ejus decretis ad S. C. provocare velle. Et hac contestata denunciatione repetita Provicarius praedictus suspensum a Divinis Abateem declaravit. Sed S. C. consulta non sustineri suspensionem edixit: *Larinen.* 15. *April.* 1741. *dub.* 5.

56. Episcopus Termularum animadvertit, Presbyteros receptivae Ecclesiae S. Mariae Majoris Collis Nisii, penes quos actualis residebat animarum cura, sine sua auctoritate admitti in stallo consuevisse, et a S. C. responsum tulit, ut sibi interdicere liceret, ne prius in possessionem cooptatos admittant, quam a se praevia disquisitione fuerint adprobati; ob id Episcopus S. C. resolutioni suspensionis a divinis poenam adjunxit. Presbyteri adversus hoc decretum ad Metropolitanum appellarunt, qui Episcopo literas dedit inhibitoriales. Sed quia interea temporis idem cuique Sacerdoti in locum consortialis pridem defuncti possessionem tradidere, Episcopus tam electum, quam eligentes publico edicto suspendit a divinis. Rogata fuit S. C. num censurae illae sustinerentur? et non sustineri respondit: *Termularum* 12. *Aug.* 1741.

57. Franciscus Joseph Zuniga ab Antistite Gadicensi, cui originis et domicilii ratione subdebatur, tonsuras, Minoresque ordines suscepit, inde ad Hispalis se contulit Civitatem, et praeviis testimonialibus Gadicensis, ac Hispalensis Episcoporum a Magno Prioris Hierosolymitani, seu a Vicario generali Commendatoris de Acre literas dimissoriales pro Sacris Ordinibus suscipiendis, obtinuit. Harum vigore ab Episcopo Auxiliario Titulari de Metuan ordinatus est. Ad Gadicensem postmodum reversus dioecesim, a Curia Episcopali suspensus fuit ob non servatam Bullam *Speculatores* (244). Adiit proin-

(243) Nempe *Sess.* 21. *cap.* 3. *Sess.* 22. *cap.* 3. *de Reform.*, ac *Sess.* 24. *cap.* 12., in quibus poena amissionis distributionum absentibus statuitur.

(244) *Vide not.* 45. *pag.* 278.

de S. C. quae, sicut censuit illum illicite fuisse ordinatum, ita suspensionem eum incurrisse non dubitavit: *Gadicen. seu Hispalen.* 20. *Januar.* 1742. *dub.* 1.

58. S. C. deliberavit invalidam esse suspensionem in Sacerdotem Sanctem Colacicchium Canonicum Collegiatae oppidi *del Borgo* ab Episcopo intentatam. Ille enim expleto munere Procuratoris Capituli ducat. 42. ad idem Capitulum spectantia retinuit, de qua summa vero testati sunt nonnulli Sacerdotes duc. 15. alteri Procuratori eum tradidisse, et duc. 27. in favorem Capituli investita fuere: *Civitatis Ducalis Susp.*, *et Irreg.* 10. *Martii* 1741. *d.* 1.

59. Episcopo Policastrensi suspensionem a celebratione Missarum contra Sacerdotes Cleri S. Jacobi oppidi Laureae Inferioris ob praetensam Sacrorum Rituum ignorantiam intentatam validam non esse S. C. decrevit: *Policastren. Procur.* 28. *Sept.* 1743. *d.* 4.

60. Ab audiendis praesertim mulierum Confessionibus Raymundum Meculum Archipresbyterum Collegiatae oppidi Proxeudis arcuerat Ferentinus Episcopus. Causa hujus fuit quod audiendi sensu carebat, vitamque ducebat inhonestam. Appellavit ille, et appellationis tutela non resipiscens, monitus ab Episcopo fuit, ut sub poena suspensionis ipso facto incurrendae compareret. Non comparuit, et statim exploravit, num praeceptum illud sub praedicta poena injunctum ratum sit? Non definivit primo adspectu S. C., sed voluit Meculum interim se abstinere a celebratione Missae: *Ferentina Coadj.* 8. *Febr.* 1744. *dub.* 4. Reproducta causa validitatem explicavit: 29. *Febr. ejusd. anni.*

61. Popularem tumultum in Pago Petrellae artificio, et calliditate Archipresbyteri Dominici Carissimi occasione cujusdam mandati, quod exequi in Ecclesia Divi Paulli a Delegato deberet, commotum fuisse Episcopus opinatus est. Ideo ex informata conscientia Archipresbyterum praefatum a divinis suspensum, testibus tantum de auditu rem comprobantibus pronunciavit. Pluribus inde imputatis criminibus eidem Archipresbytero, causae cognitio commissa Episcopo Guardiensi fuit, qui de ejus innocentia, ac probitate retulit; et S. C. interrogata; suspensionem nequaquam sustineri judicium fecit: *Bojanen. Cens.* 9. *Maii* 1744. *confir.* 27. *Junii ejusd. anni.*

62. Quum Sacrum agerent Ludovicus Cosma Hieronymus de Rivas, et Franciscus Gonzalez cum literis dimissoriis Vicarii Commendae Hierosolymitanae de Pazos, qui Capellanias in titulum eis contulit, ad Sacros Ordines promoti, Auriensis Episcopus, in cujus Dioecesi situm est Levosendae oppidum, in quo ii sunt, eos monuit, ut ordinationum titulos ederent. Repugnarunt illi primum, sed inde eos panderunt, et Episcopus male initiatos fuisse credidit, suspensosque declaravit. Re in S. C. deducta, rescriptum est, suspensa exequutione Decretorum, ad mentem (245): *Aurien. Ordinat.* 8. *Maii* 1745.

63. Dioecesim visitaturus Isclanus Episcopus accessit ad oppidum Forigii, ubi edictum proposuit, ut Sacerdotes omnes, et Confessarii post tertiam diem ad se conferrent, ut de eorum studiis, atque doctrina periculum facerent. At Clerus reclamavit penes S. C., et abnuens accedere, in eum poenam suspensionis a Missarum celebratione Episcopus indixit. Clerus vero interposuit appellationem; quaesitum propterea fuit, an suspensio illa sustineretur? S. C. responsum dedit; praevia absolutione a censuris ad cautelam scriba-

(245) *Vide not.* 92. *pag.* 300.

tur Episcopo juxta instructionem (246): *Isclana Nullit. Edicti, et Susp.* 29. *Maii* 1745. *dub.* 2.

64. Vicarius Capitularis in Antonium Simonetti Parochum Tarpani, qui vi ductus in Matrimonium Christophorum Longhum, cum Catharina Rachliza vigente consanguinitatis impedimento dirimente copulavit, sententiam tulit, qua Parochum ab officio per triennium suspendit, et per duos menses carceribus esse mancipandum voluit. Redintegratus hic postea fuit, et S. C. sciscitatus est, num in dicta sententia contineatur suspensio a divinis? et non contineri resolvitur: *Stagnen.* 19. *Novem.* 1746. *dub.* 2.

65. Eugenium Imbellonum Sacerdotem Ecclesiae S. Jacobi oppidi Laureae in suspensionis poenam minime incurrere ob multam ab Ordinario intentatam non solutam decernitur, et additur ad mentem: *Policastren. Nulit. Susp.* 15. *April.* 1747. *dub.* 1.

66. Episcopus del Tufo indignatione commotus in Antonium Mari Parochum SS. Blasii, et Leonis Castriveteris quaesito colore ejus absentiae a Parochia decretum suspensionis, et irregularitatis in eum tulit die 6. Maii 1745. Causa hinc delata ad S. C. absolutus fuit, et declaratum insuper Curiam Episcopalem nulliter, et indebite processisse; ac tandem Decretum praedictum Episcopi nec adprobandum, nec exequendum esse definitum fuit: *Hieracen. Cens.* 13. *Januar.* 1748. *dub.* 1. *confir.* 18. *Julii ejusd. anni.*

67. Censuram suspensionis a divinis in fratres Patrucles Sacerdotes Franciscum, et Paschalem Gretii incolas oppidi Lucuniani causa sexennalis consuetudinis cum duabus mulieribus praeviis monitionibus, donec resipiscerent, a Curia Episcopali relaxatam validam S. C. declaravit; etiamsi Curia Metropolitana, ad quam illi appellarunt, ex defectu formae Conciliaris haud servatae sententiam circumscripserit: *Ugentina Cens.* 17. *Sept.* 1746.

68. De nullitate suspensionis ab Archiepiscopo intentatae in Josephum Valentem Canonicum Poenitentiarium, et Vicarium Curatum Cathedralis, qui morbo obnoxius moribundo, qui absque Sacramentis obiit, assistere praepediebatur, constare S. C. sententiam dixit: *Sipontina Nullit. Susp.* 11. *Maii* 1748. *dub.* 1.

69. Postquam Anna Maria Sarmiento perpetuam assignato integro Censu Millium Regalium de Vellon pro dote Capellaniam fundaverat, comperta est nihil superesse, unde vitam vivere possit, clam inde convenit cum Emanuele de Villaba, cujus filios vocavit post primum nominatum Capellanum Franciscum de Clara Diez, ut ipsa integros fructus inscio ipso Capellano perciperet, qui ejusdem titulo ad Sacros Ordines ascendit. Inde in ancipiti cura versati sunt de conventione simoniaca, deque Capellani suspensione, et S. C. copiam fecit sui consilii, et dixit, consulendum esse SSmum pro absolutione, et dispensatione ad cautelam: *Vallisoletana Capell.* 26. *April.* 1749. *dub.* 1.

70. Decretum Episcopi occasione Visitationis editi, quo celebratio Missarum lectarum interdicitur, dum Episcopus Missam pontificaliter celebrat, vel Sacrum solemniter die jovis cum expositioni SSmi Sacramenti perficitur; et etiamsi ex gravi causa celebrentur Missae, non pulsentur parva tintinnabula sub poena suspensionis, sustineri quoad sonum parvorum tintinnabulorum tantum, in reliquis nequaquam, definivit S. C. *Segnen. Dec.* 22. *Novem.* 1749. *dub.* 3.

(246) *Vide not.* 1. *tom.* 3. *pag.* 2.

71. Aquinas Episcopus Sacerdotibus universis, et Clericis sub poena suspensionis a divinis, et Censurarum indixit, ut Synodi Codicem Carolenis quatuor quisque emeret. Nonnulla ejusdem exemplaria ad Capitulum Cathedralis misit, sed Canonici ex illo Codice damnum irrogatum fuisse Capituli juribus animadvertentes, ad Curiam Episcopalem, ut errores, qui irrepserant, emendaret, remisit. Denuo Episcopus adjecta poena suspensionis ipso facto incurrenda exemplaria, ut a Capitulo reciperentur, mandavit: ac censuram post a Capitulo appellationem ad Sanctam Sedem interpositam relaxavit. Hujus censurae validitas incerta fuit, donec S. C. de ejusdem nullitate deliberasset: *Aquinaten. Susp.*, *et Cens.* 28. *Febr.* 1750.

72. Sacerdos Philippus Battalea Rector S. Bartholomaei oppidi Tudiani a Populo, et Universitate electus impedimento fuit, quominus Sacerdos Franciscus Florucci, qui Plebaniam S. Mariae *delle Cascine* peracto concursu assequutus erat, animarum curam exerceret; quod Rector S. Bartholomaei Plebanus S. Mariae semper fuit. Battalea, quum latitaret, Episcopi praecepta haud recepit, haud eis paruit; ob id quaeritur, an poenae in praeceptis comminatae sustineantur, suspensio scilicet a divinis ipso facto incurrenda? et sustineri decisum est: *Spoletana Cens.*, *et Irreg.* 31. *Julii* 1751. *dub.* 1.

73. Suspensionem Priori Francisco Chelio, et Petro Simio rationum Congregationis Presbyterorum Urbis Piscinae Exactoribus ab Episcopo ejusdem Dioeceseos intentatam, eo quod libros rationum non tradiderunt, quos tamen in Archivo Capitulari repositos esse judicialiter Capitulum asseruerat, edere idcirco negligebant, sustineri non posse S. C. consilium cepit: *Piscen.* 24. *Martii* 1753. *dub.* 6.

74. Sacrum agendum solemne in Ecclesia Cathedrali Episcopus, quando is aberat, a Parocho quodam, qui pro Vicarii Generalis munus agebat, fieri voluit. Archidiaconus ejusdem Ecclesiae Antonius Gentili suum jus spretum agnoscens, arrepto itinere Episcopum adiit, qui eum recipere renuit, ac poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda injunxit, nisi ad Ecclesiam intra spatium 24. horarum rediret. Huic praecepto ratione infirmitatis obtemperare non valuit. Et S. C. tamen eam poenam non esse validam demandavit: *Nebien.* 17. *Novem.* 1753. *confirmat.* 9. *Febr.* 1754.

75. P. Humbertum Pslaundler, qui insalutato Episcopo Basileensi, ejusdem monitione posthabita, Monialium Monasterii Olsberg Ordinis Cisterciensis in Dioecesi Basileensi siti, et subjecti Monasterio Salernitano Dioeceseos Constantiensis, Sacramentales excepit Confessiones, suspensionem a Divinis et irregularitatem incurrisse S. C. suos sensus exposuit: *Basileen.* 9. *Febr.* 1754. *dub.* 9.

76. Constare de nullitate, et de injustitia Decreti Episcopi super suspensione a Divinis, et remotione ab omni Ecclesiastico Officio Presbyteri Francisci Tonnelli Vicarii Curati Tennensis, S. C. sententiam protulit. Nam licet constitutus coram laico Judice ad interrogationem de praenotione criminis, et reorum responderit, utrumque novisse in Sacramentali Confessione, nec aliud dicere posse; tamen nec citatus, nec processatus Sigilli Sacramentalis tanquam fractor a Divinis, et ab officio suspensus fuit: *Feltrien. Susp. a Div.*, *et Remot. ab omni Eccles. Offic.* 30. *April.* 1757.

77. Juxta immemorabilem consuetudinem Dioecesis Amerinae Rectores, seu Capellani Ecclesiarum Ruralium

insciis Parochis Candelas, Palmas, aliaque benedicunt; contra hanc reclamavit Parochus Montis Lampani de turbata Parochiali jurisdictione; propterea Episcopus sub poena suspensionis Rectori Ecclesiae S. Laurentii, ut se abstineret, praecepit. S. C. quaesita Rectori favit, poenam esse invalidam putavit: *Amerina Funct.* 3. *Decem.* 1757. *dub.* 2.

78. Quum Canonicus Poenitentiarius Cathedralis facultatem a casibus reservatis absolvendi recusasset, obstitit Episcopus, suspensionemque a divinis ipso facto incurrendam comminatus est, nisi facultate illa usus fuisset. Ille vero uti hac delegata facultate renuens, plures poenitentes absque absolutione dimisit, ac inde controversiam excitavit in S. C., quae comminationem suspensionis a divinis ipso facto incurrendae sustineri existimavit: *Pisauren. Cas. Reser.* 21. *Novem.* 1761. *dub.* 3.

79. Postquam Honorius III. Pont. Max. Priverni, Setiae Ecclesias Terracinensi univit, plurimae exarserunt de antiquitate, primatu ac potestate controversiae. Episcopus anno 1794. Synodum Priverni indixit. Capitulum Terracinense ad eam Archipresbyterum, et quinque Canonicos deputavit, data lege, ne sua jura imminui paterentur. Sed iidem quum a latere Episcopi Archidiaconum, et Praepositum Setinos vidissent, de injuria illata questi sunt, et e Synodo, ac e Civitate abjerunt; licet eorum discessum sub poena suspensionis Episcopus vetasset. Poenae hujusce validitas in dubium vocata fuit. Difficultatem vero S. C. enucleavit, pro validitate decernens, et addidit ad Card. Praefectum ad mentem; etiamsi justam illi causam recedendi habuisse asseruerint: *Terracinen. Setina, et Privernen.* 1. *Martii* 1766. *dub.* 6.

80. Non sustineri S. C. exposuit censuram suspensionis a divinis ab Archidiacono de Trappe Collegiatae S. Martini exequutore literarum Apostolicarum, nulla praemissa monitione, nec audito, Capitulo imo uti judice recusato tanquam suspecto, et lite pendente latam in Michaelem de Champs: *Leodien. Benef.* 14. *Maii* 1768. *dub.* 3.

81. De legitimis causis suspensionis, quam Curia Episcopalis Alexandrina Alexandrum a Patre, et Paterno Gamalero praesentatum literis S. C. incurrisse ostendit, ob nempe non adimpleta Missarum onera suo beneficio, et Legato pio adnexa, et ob alienationem patrimonii, non constare eadem S. C. respondit, et quoad investimentum sortium quae restitutae fuerunt, Episcopum uti jure suo. Nam ex necessitate celebrationem praetermisisse, ac deinde absolutionem, et compositionem a Rev. Fabrica S. Petri obtinuisse affirmat Orator: *Alexandrina Susp.* 18. *Sept.* 1771. *dub.* 1. *confir.* 11. *Januar.* 1772.

82. Suspensionis poena est indicta extrajudicialiter Sacerdoti Dominico Blomer, et renovata, ne a loco discederet, nisi prius onera Missarum explevisset, de implemento doceret. Ille autem discessit, Missam celebravit, confessionesque Sacramentales excepit. Haec poena ex decreto S. C. sustinetur; licet idem Sacerdos non fuisse latam in scriptis, praemissis monitionibus, et cum causae expressione conniteretur: *Savonen.* 14. *Sept.* 1782. *dub.* 1.

83. Declaravit S. C. suspensionem a divinis quoad Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Archangeli validam haud esse; et dubio, an incidissent in eam Canonici *extra Capitulares* vocati praedictae Ecclesiae, qui, cum essent juxta antiquas Constitutiones Capituli, ac veterem consuetudinem immunes a punctaturis, quoque impugnarunt dimissionem tertiae

patris fructuum pro distributionibus assignandam, pro qua dimissione Capitulariter instante Episcopo conventum fuerit. S. C. dedit responsum; consulendum esse SSmum pro absolutione ad cautelam: *Civitatis Castellanae Punctatur.* 16. *Maii* 1795. *dub.* 3.

Suspensionis Censura quoad Absolutionem Vide *Absolutio* §. X.

Suspensiva Appellatio *Vide Appellatio suspensiva.*

Suspensus *Vide Sacramentum Ordinis.*

Syndicus *Vide Administrator.*

Synodales Constitutiones *Vide Synodus* §. *II.*

Synodales Examinatores *Vide Examinatores Synodales.*

Synodaticum *Vide Episcopus* §. *III.*

§. I.

Synodus Dioecesana quoad Convocationem (247).

1. Editum fuit decretum ita conceptum S. C. Patribus auditis, ac Sanctissimo Dno Nro approbante, censuit, Episcopum Pinnae, et Hadricae, debere primam Dioecesanam Synodum cum ultima in Civitate Pennensi coacta fuerit, in Adriensi Civitate indicere, ac celebrare, ad quam celebrandam praescripsit eidem Episcopo Dominicam SS. Trinitatis proxime futuram, nec ad eam Synodum censuit ullatenus admitti posse ut debere Archidiaconum, Canonicos, et Capitulum Pinnae, nec e converso Archidiaconum, Canonicos, et Capitulum Hadriae ad Synodum postea celebrandam in Civitate Pinnae, sed quoad hoc perpetuis futuris temporibus esse observandas literas in forma Brevis Clementis VIII. editas die 3. Maii 1590. quibus hac in parte, quatenus opus sit Sanctitatis suae autoritate S. C. expresse derogavit, Clerum verò Dioecesanum censuit, debere eidem Synodo, interesse absque praejudicio divisionis Dioecesis litis super hoc pendentis, ac jù-

(247) „ Qua in re praestat audire Sacram Congr. Concilii, quae praecipuas suggerit industriae substinendas Synodo, cum ab Episcopo fieri nequit. Etenim cum Episcopus Canariensis, occasione visitationis Sacrorum Liminum, ad praefatam Congr. transmisisset relationem status suae Ecclesiae, eidemque significasset, impossibile sibi esse Dioecesanam Synodum cogere; S. C. literis ad ipsum datis anno 1720. rescripsit: *Reliquum est, ut tuis postulatis respondeam. Primum difficultates Dioecesanae congregandae Synodi nobis ob oculos ponis, et eae quidem maximae sunt, vetantque profecto omnem Ecclesiasticorum Conventum fieri: Verum S. C. certior a te fieri cupit, an in unaquaque insula possent per annos singulos, definito a te per edictum loco, ac die, aut omnes, aut major Clericorum pars, quibus Synodo interesse jus est, commodè coire, vices suas uni aut pluribus Procuratoribus delegaturi; an, qui electi fuerint, possent, accepto authentico legationis suae testimonio, statuto pariter tempore te convenire, ut referrent suarum Ecclesiarum statum, Cleri, et populi mores, religionem, pietatem, templorum decus, piorum locorum administrationem, ceteraque omnia, quae opus forent. Collatis tunc ipse consiliis, quid agendum esset, imperares, veluti de Synodi sententia, imperataque illi ad suos adducerent, curarentque perfectum iri. Id enim vero Synodi speciem obtineret, maximumque inde fructum caperes; quippe qui ubique tuae dioecesis agatur, penitus internosceres habitoque cum gravissimis viris, quales hujusmodi Procuratores creandi essent, sermone melius universis Ecclesiae tuae rebus consuleres. Hoc si fieri nequeat, Dioecesim tibi per edicta regere necesse erit, quae invalescentibus fortasse animorum morbis remedium in dies afferunt, exacuant populos ad virtutem. Curandum tamen erit, ut eadem edita non negligantur, et haud quaquam neglecta fuisse, ex una quaque insula testimonium tibi identidem afferatur.* Salutaribus hisce S. C. monitis morem gerere deberent Episcopi extra Italiam, ac praecipuè in Germania degentes, si verum est, quod scribit Leopoldus Pilatus, Canonicus Tridentinus *in suis Originibus Juris Pontificii lib.* 5. *tit.* 2. *de Conciliis Ecclesiasticis*, fieri nimirum non posse, ob Dioecesium amplitudinem, Parochorum paupertatem, atque iti-

rium utriusque partis tam in petitorio, quam in possessorio judicio. *Pennen et Adrien.* 12. *April.* 1625. Inde S. C. rescripsit, Synodum ab Episcopo congregatam, et celebratam in Civitate Pinnae, quae ratione alternativae celebranda erat in Civitate Hadriae non esse absolvendam, sed acriter corripiendum Episcopum et faciendam declarationem quod hujusmodi celebratio nullo modo praejudicet civitati Hadriae ratione dictae alternativae, prout haec S. C. declarat. 27. *Julii* 1647. (248).

2. Proximam futuram Synodum esse indicendam, ac celebrandam in Civitate Castellana, in qua ad praesens Episcopus reperitur, deinde vero in Civitate Hortana et sic deinceps singulis annis observare deberi, absque tamen praejudicio partium tam in petitorio, quam in possessorio judicio, et donec articulus praecedentiae plene cognitus, ac definitus fuerit. Ceterum ad Synodum in altera ex dictis Civitatibus celebrandam nequaquam teneri accedere Clerum alterius Civitatis: *Civitatis Castellanae, et Hortanae* 8. *Junii* 1624. *dub.* 2.

3. Censuit S. C. necessariam esse Synodi celebrationem quolibet anno, et deputationem Examinatorum, nam si a die ultimae Synodi sex Examinatores non supersint ceterorum facultates expirant, et concursus fieri nequeunt, aliasque facti non valent: *Leyrien.* 7. *Sept.* 1730. *dub.* 4. (249).

4. Dubio ponderato, an Episcopus solus sine Capitulo possit Synodum Dioecesanam indicere, et publicare, vel requiratur consilium, vel consensus Capituli? posse Episcopum solum sine consensu, vel consilio Capituli Synodum Dioecesanam indicere, et publicare: *Oriolen.* 27. *Martii* 1632. *dub.* 14.

5. Item, an Episcopus possit ad Synodum vocare laicos, si illorum consilio uti velit? Episcopum non posse: *Ibid. dub.* 16.

6. Demum, an celebratio Synodi Dioecesanae impediri, vel retardari possit intuitu cujusque appellationis? Celebrationem Dioecesanae Synodi impediri, vel retardari nequaquam posse, etiam ratione cujuscumque appellationis: *Ibid. dub.* 17.

7. S. C. definivit, posse Episcopum etiam in dicto oppido Dioecesanam Synodum congregare, sed satius esse, ut

nerum difficultatem, ut illi singulis annis Synodum celebrent. " Ita Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. *pag.* 7. *et seq. edit. Rom.* 1755. *in fol.*

(248) „ Quoniam in hac, cum probata esset consuetudo Synodum alternis vicibus habendi in utraque civitate, non ex mera decentia, sed ex justitia, ab eadem S. C. prodiit decretum etc. " Ita Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. *pag.* 14. *edit. Rom.* 1735. *in fol.*

(249) „ Augustinus Valerius celeberrimus Episcopus Veronensis, qui in citato libello ad Clerum suum testatur, se obtemperasse Concilio Tridentino, Synodum quotannis celebrando; in qualibet Synodo sermonem habuisse ad Clerum de Ecclesiastica disciplina, singulos hortando, ut ad hujus exactam normam suos mores componerent; sed nullum in Synodo edidisse decretum; quod tamen addit, nonnulli displicuisse Sacerdotibus; et propterea libellum scripsit, in quo factum excusat, et salubria monita tradit, loco constitutionum, quas in Synodis non fecerat: *Cur autem* (inquit) *cum singulis annis, ex quo ipse Episcopus sum factus, Synodus sit celebrata, et a nobis sint habiti longi sermones, ad me ipsum, et ad vos excitandos nullam Constitutionem nomine meo ediderim, cum ad aures meas pervenerit, esse nonnullos bonos Sacerdotes, qui hoc meum consilium non satis probent, illis hujus facti rationem reddendam judicavi:* Deinde difficile videtur, hoc tempore, quo Ecclesiastica disciplina quotidie consenescit, et labefactatur, aliquam inveniri Dioecesim, cui opus non sit ulla nova Constitutione, qua saltem antiquae leges corroborentur, et quae morum corruptela pete absolverunt, revirescant. " Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. *pag.* 18. *edit. Rom.* 1755. *in fol.*

illam apud suam Cathedralem celebret: *Acernen.* 17. *Maii* 1636. *dub.* 2. (250).

8. Episcopus potis est Synodum Dioecesanam consuetis temporibus congregare non requisito assensu, vel consilio Capituli : *Fulginaten.* 26. *Febr.* 1639. *dub.* 2.

9. In disquisitionem venit, an inspecta latitudine Dioecesis Colimbriensis sufficiat absque contraventione dispositionis S. Concilii Tridentini (251) celebrare Synodum Dioecesanam singulis tantum triennis? respondit, Synodum Dioecesanam singulis annis esse celebrandam, nec concedendam longioris temporis prorogationem: *Colimbrien.* 16. *Julii* 1639. *dub.* 5.

10. In S. C. habetur. Approximante tempore celebrationis Synodi, Episcopus stante quod Ampuriensis Dioecesis unita sit aeque principaliter Civitatensi Dioecesi nulla in hac parte suffultus consuetudine supplicat edoceri, an ipse teneatur celebrare Synodum in utraque Dioecesi, et quatenus negative renuentibus Civitatensibus accedere?

11. Et an ad Cathedralem Ampuriensem, eos juris remediis ad accessum, compellere possit? S. C. respondit ad 1.° affirmative alternatim, ad 2. negative (252): *Ampurien. Synodi* 8. *Maii* 1694. *dub.* 1. *et* 2.

12. Dubiis propositis ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Pientinae, an Priores, Guardiani, ceterique superiores parvorum conventuum teneantur accedere ad Synodum Dioecesanam quatenus fuerint vocati ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato? et quatenus affirmative.

13. An casu, quo vocati non interveniant subjacere debeant multis in praedicta Synodo Dioecesana adversus contumaces comminatis? rescriptum fuit ad 1. affrmative, ad 2. affirmative, arbitrio Ordinarii (253) excepta multa pe-

(250) „ Verum, etsi solo jure spectato, liberum sit Episcopo Synodum congregare in quolibet suae Dioecesis oppido, expedit tamen, cum nullum obstat impedimentum, ut illam cogat in civitatem " Ita Bened. XIV. *loc. cit. num.* 3. *pag.* 13.

(251) „ Sed quoniam postea haec disciplina (celebrandi Synodum Dioecesanam quottannis) relaxata fuerat, et Synodum celebratio intermissa, idcirco plerique religionis studio permoti, Tridentinos Patres ursere, ut illam instaurarent. Inter petitiones ab Oratoribus Regis Christianissimi factas in Sinodo Tridentina, atque ex Angelo Massarello ejusdem Concilii Secretario relatus *tom.* 8. *amplissimae Collectionis veterum Scriptorum, et monumentorum, editae a* Martene, *et* Durand *col.* 1311. trigesima quarta, et ultima haec est: *Decernat Sancta Synodus ut non solum Synodi Episcopales quottannis semel ut minimum, sed etiam tertio quoque anno Provinciales congregentur, in quibus de his, quae ad statum Ecclesiasticum pertinent, diligenter tractetur, de ministrorum delictis maturae cognoscatur, et in eos, qui deliquerint, severe animadvertatur*. Quibus petitionibus, antiquo jure innixis, libenter indulsit Sacrum Tridentinum Concilium, districte praecipiens *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.*, ut a singulis metropolitanis quolibet triennio Synodus Provincialis, et ab unoquoque Episcopo semel in anno Dioecesana cogatur: *Synodi quoque Dioecesanae quotannis celebrentur*: contra contumaces vero huic decreto parere recusantes, poenas a Sacris Canonibus jamdiu Sanctitas renovat, iterumque infligit: *Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, et alii suprascripti negligentes fuerint, poenas Sacris Canonibus sancitas incurrant*. " Ita Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. *pag.* 17. *edit. Rom. in fol.* 1755.

(252) Respondit „ non juris apicos, sed decentiam, et aequitatem respiciendo " Bened. XIV. *cit. loc. num.* 4. *pag.* 14 *ait*.

(253) Non debet Episcopus pecuniariam poenam imponere Regularibus, ii quippe viritim accepti, rerum temporalium proprietatem non habent; nec aequum videtur, ut pro unius, vel alterius Religiosi contumacia, Communitas, seu Monasterium poenam subire debeat " Ita Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib* 3. *cap.* 12. *num.* 2. *pag.* 84. *edit. Rom.* 1755. *in fol.*

cunaria: *Pientina Synodi* 16. *Junii* 1703. *dub.* 1. *et* 2.

14. Reclamante autem Priore et PP. Conventus B. M. V. Servorum loci Scrofani sub fundamento, quod dictus eorum conventus non sit comprehensus in decreto Innocentii X. quod incipit *Ut in parvis*, renovato per Alexandrum VII. eo quia ut asseritur numquam fuit suppressus, ac semper ibidem manserunt de familia sex Religiosi. S. C. respondit dictum Conventum Scrofani non esse comprehensum: *Ibid.* 15. *Sept. ejusd. anni.*

15. Indicta ab Episcopo Geruntino Synodo, habenda in civitate Cariatensi, aeque principaliter unita Ecclesiae Geruntinae, hujus Capitulares, ceterique de Clero Geruntino ad Synodum accedere recusarunt, eam obtendentes excusationem, quod in utriusque Ecclesiae unione, reservata fuisset praeeminentia Ecclesiae Geruntinae. Re delata ad S. C., ejusque discussioni propositis, his dubiis = 1. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. sustineatur?

16. 2. Et quatenus affirmative, an liget dioecesim Geruntinam? S. C. respondit ad primum affirmative, ad secundum negative: *Geruntinen. et Cariaten. Synodi et Gravam.* 2. *Octob.* 1706. *dub.* 1. *et* 2. Deinde ad secundum praevio recessu a decisis, rescripsit, affirmative (254): 1. *Febr.* 1708.

17. S. C. Consilium quaeritur, an Archiepiscopo Matherae, et Acherontiae liceret convocare Synodum Dioecesanam in Civitate Matherae pro utraque Dioecesi, seu potius eam celebrare teneretur in Civitate Acherontiae aeque principaliter unita; S. C. causam differendo dixit non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indictae in Civitate Materanensi sine praejudicio jurium ambarum partium (255): *Matheranen. et Acheruntina Synodi* 24. *Martii* 1736. *dub.* 1.

18. Et quaesito ulterius, an idem Archiepiscopus compellere possit Ecclesiasticos dictae Civitatis, et Dioecesis Acheruntinae ad interveniendum praedictae Synodo? idem S. C. dedit responsum *Ibid. dub.* 2.

19. Massanae Archimandrita praetendebat, quasi Episcopalem in locis sibi subjectis, ratione Monasterii S. Salvatoris de Lingua Phari, exercere jurisdictionem, ac Synodum convocare, et in ea examinatores convocare. Legitimum illi sese contradictorem exhibuit Messanensis Archiepiscopus, et palmam ab S. C. retulit, quum praetensum jus illud convocandi Synodum Archimandritae denegaverit (256): *Nullius, seu Mes-*

(254) ,, Ideo autem S. C. in secundi quaesiti decisione nonnihil anceps fuerat, quae Clerus Geruntinensis sibi assistere contendebat consuetudinem " *idem Bened. XIV. cit. loc.*

(255) ,, Capitulum Acheruntinum nondum legitime probaverat eamdem, quam asserebat, consuetudinem sibi suaeque Ecclesiae favorabilem, cujus pretextu adesse renuebat Synodo, quam Archiepiscopus celebrandam indixerat in Civitate Matheranensi. " Ita Bened. XIV. *cit. loc. n.* 4.

(256) ,, Verum cum post nostram (ait Bened. XIV. Pont. Max.) assumptionem ad Supremum Pontificatum, Card. Silvius de Valentibus, Commendatarius Archimandrita praefati Monasterii S. Salvatoris, Nobis supplicasset, ut potestatem, qua hactenus caruerat Apostolica auctoritate, ei concedere dignaremur, Nos ejusdem Card. precibus annuentes, Nostris in forma Brevis Litteris datis *die* 14. *Januar.* 1741., privilegium eidem Card. indulsimus, celebrandi Synodum, in aliquo loco suae jurisdictionis, extra civitatem Messanensem; quod, tamen privilegium personale dumtaxat esse declaravimus, nec suffragari, volumus, futuris Archimandritis, nisi simile indultum a Sede Apostolica ipsi quoque obtinuerint. Eodem Apostolico privilegio, nunc tempora-

sanen. Juris convoc. Synodum 5. Julii 1738.

20. Ad Synodum Dioecesanam tenentur accedere in casibus a jure praescriptis singuli Edituus seu Rector, et Capellani Ecclesiae S. Angeli ad Nidum Neapolis: licet praeseferrent privilegia exemptionis ab Ordinarii jurisdictione: *Neapolitana* 21. *Julii* 1742. *dub.* 10. (257).

21. Quum a Sacro Senatu Consilium a sua doctrina, postulatum fuisset, utrum Synodus alternatim ab Episcopo convocanda sit in Cathedrali Viterbiensi, et in altera Tuscanensi, vel potius separatim in, et pro unaquaque ex dictis respectivis Ecclesiis? responsum prodiit arbitrio, et prudentiae Episcopi quoad utramque partem, pro ut magis in Domino, et utriusque Ecclesiae utilitatem expedire judicaverit: *Viterbien. seu Tuscanen.* 11. *Januar.* 1783. *d.* 1.

Reliqua *Vide Abbas* §. *IV.*

§. II.

Synodus Dioecesana quoad Validitatem Decreta, eorumque exequutionem.

1. S. C. declaravit Episcopum in Synodo Dioecesana Constitutiones condere absque Capituli, atque Cleri consensu posse, debere tamen eum requirere consensum Capituli, licet illum non teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis. Quamquam ex forma Romani Pontificalis (258) in celebranda Synodo expresse habeatur, ut Constitutiones Synodales publicandae a partibus per verbum *placet* confirmentur: *Venetiarum* 21. *April.* 1592.

2. S. C. ad quaesitum Episcopi in sua relatione, nempe, an Canonici, ac Rectores parochialium, et Vicarii perpetui in Synodalibus Constitutionibus faciendis, faciant unum votum in Synodo, an vero singula vota habeant? S. C. respondit, Episcopum posse in Synodo Dioecesana constitutiones facere absque consensu, et approbatione Cleri; debere tamen exquirere consilium Capituli, licet illud sequi non teneatur, si qui nisi in quibusdam casibus jure expressis: *Algaren.* 12. *Januar.* 1595.

3. Respondit S. C. petentibus veritatem Episcopum in Synodo Dioecesana posse statuta condere de consilio Capituli, sed illud non teneri sequi, nisi in quibusdam casibus a jure expressis: *Januen.* 2. *Decem.* 1604. *dub.* 1.

4. S. C. censuit Episcopum in Synodo Dioecesana posse constitutiones facere absque consensu et approbatione Cleri, debere tantum eum requirere consensum Capituli; licet illud non teneatur sequi, nisi in quibusdam casibus in jure expressis: *Oriolen.* 26. *Julii* 1614.

5. Dubio perpenso, an Episcopus in Synodo Dioecesana possit facere constitutiones, statuta, vel decreta sine consensu Capituli, et aliorum vocatorum illorum tantum consilio requisito? Episcopum in Synodo Dioecesana facere posse constitutiones statuta, et decreta absque consensu Capituli, sed tantum requirere illius consilium, licet illud non teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis: *Oriolen.* 27. *Martii* 1632. *dub.* 15.

6. S. C. benigne ex gratia convali-

rio, nunc perpetuo, a Sede Apostolica exornatus fuisse alios plures inferiores Praelatos tertiae speciei, non ignoramus; cum frequenter occurrunt Synodi, ab iis habitae, ac praesertim ab Abbatibus, Cassinensi, Nonantulano, Farfensi, S. Salvatoris Majoris, et similibus " *De Synod. Dioeces. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 7. *tom.* 12. *edit. Rom.* 1748. *pag.* 62.

(257) Inde emanavit *Const. Praeclarum* 4. *Octob.* 1755. Bened. XIV., qua declarando exemptionem ab Archiepiscopi jurisdictione dictae Ecclesiae, et personarum eidem, et Hospitali inservientium eos ad Synodum accedere non teneri sancitum est §. 15.

(258) Quod agens de Ordine ad Synodum ait, *Post haec leguntur Constitutiones, si quae sint, per Synodum approbandae.*

davit Synodum Dioecesanam ultimo loco per Episcopum S. Miniati celebratam, etiamsi in ipsa Synodo Capituli consilium minime fuerit requisitum: *Sancti Miniati* 4. *Decem.* 1638.

7. Quum Episcopus Civitatensis, cui unita Ampuriensis Dioecesis aeque principaliter teneatur in utraque Dioecesi Synodum celebrare, ob id ad observantiam Synodi unius alteram compellere nequit: *Ampurien. Synodi* 8. *Maii* 1694. *dub.* 2.

8. Impugnata per Archipresbyterum et Capitulum terrae S. Viti Synodo celebrata ab Episcopo, anno 1694. sub umbra gravaminis, et injustitiae Synodalium constitutionum et ex capite nullitatis, ex defectu nempe consensus totius Cleri, et consilii Capituli, S. C. re perpensa pro validitate stetit: *Ostunen. Synodi* 15. *Decem.* 1696. Deinde causa reproposita quaesitum fuit, an sit locus moderationi decretorum Synodalium juxta votum Card. Relatoris et esse locum reformationi decisum fuit. 6. *Julii* 1697.

9. Adversus nonnulla Decreta a moderno Episcopo Vigiliensi promulgata, tam in Synodo, quam extra Synodum complures de Clero conquesti sunt apud S. C. ideo deputata super assertis gravaminibus particulari Congregatione EE. Card., haec censuit praefata decreta esse servanda et respective moderanda (259): *Vigilien. Synodi* 16. *Maii* 1699.

10. Dubio exhibito, an decreta Synodalia impugnata per Capitulum, et Clerum Civitatis, et Dioecesis Cortonensis sint servanda vel potius reformanda juxta votum Card. Relatoris? Nam nullam exequutionem mereri autumant, utpote bono regimini Ecclesiae et dispositioni Sacrorum Canonum adversantes, etiam inscio Capitulo confecta. S. C. rescripsit, praefata decreta moderanda, approbanda, et respective declaranda esse prout in folio impresso, et calce hujus Congregationis alligato: *Cortonen. Synodi* 27. *Maii* 1702.

11. Renuentes Canonici Cathedralis Geruntinae accedere ad Dioecesanam Synodum indictam ab Episcopo in Cathedrali Cariati eam obtendentes excusationem, quod in utriusque Ecclesiae unione, reservata fuisset praeeminentia Ecclesiae Geruntinae, actum fuit in S. C., an Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariati sustineatur? quae respondit affirmative: *Geruntinen. et Cariaten. Synodi, et Gravam.* 2. *Octob.* 1706. *dub.* 1. *confir.* 11. *Febr.* 1708.

12. Et censuit non ligare Dioecesim Geruntinam: *Ibid. dub.* 2. Inde recedit a decisis, et respondit ligare dictam Dioecesim. Nam S. C. nonnihil anceps fuerat, quia Clerus Geruntinus sibi assistere contendebat consuetudinem (260): *Ibid.*

13. Coacta Synodo Dioecesana anno 1703. per Episcopum Melevitanum Capitulum, Regulares, Moniales, Rector S. Mariae *della Melleca*, necnon Promotor Fiscalis Curiae Laicalis sese respective gravatos sentientes a constitutionibus in ea conditis, appellationem in-

(259) „ Sarnellus Episcopus Vigiliensis anno 1697. usum comae fictitiae suis Clericis ademit sub poena excomunicationis ipso facto incurrenda. Appellarunt Ecclesiastici ad Sedem Apostolicam: Sed in Congr. particulari, habita 16. Maii 1699. Edictum approbatum fuit quoad Clericos constitutos in Sacris, aut beneficium ecclesiasticum possidentes; quoad vero attinet ad Clericos Minorum Ordinum, nullum obtinentes Ecclesiasticum beneficium, responsum est, poenam esse moderandam, sed, firma remanente prohibitione, in contumaces aliis poenis animadvertendum ad formam Sacrorum Canonum, et Sacri Concilii Tridentini *cap.* 6. *sess.* 23. *de reform.* " Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib* 11. *cap.* 8. *num.* 1. *pag.* 413. *edit. Rom.* 1755. *in fol.* ita loquitur

(260) *Vide nota* 255.

terposuerunt. Impugnante Capitulo validitatem ejusdem ex capite non requisiti ejus consilii S.C. respondit, constare de Synodi validitate : *Melevitana Synodi* 26. *Martii* 1707. *dub* 1.

14. Et quoad ejusdem Constitutiones distulit resolutionem : *Ibid. dub.* 2. Deinde *sub die* 9. *April. ejusd. anni* decrevit quoad primam constitutionem (261) sustineri ; et quoad non intervenientes tempore Adventus, et Quadragesimae in Concionibus sub poenis a S. C. alias praescriptis. Quoad 2. sustineri. Quoad 3. sustineri sub poena unius librae cerae albae. Quoad 4. sustineri sub poena suspensionis ferendae sententiae. Quoad 5. sustineri ut supra. Quoad 6. sustineri ut supra. Postmodum *sub die* 7. *Maii ejusd. anni* Ad 7. constitutionem quoad primam partem sustineri sub poena amissionis annuli tantum; et quoad secundam partem sustineri ad formam Decretorum S. C. Rituum. Quoad 8. sustineri. Quoad 9. sustineri. Quoad 10. sustineri, reservatis tamen sepulturis in Choro fabricatis ante constitutionem, et Episcopus exequatur Decretum S. C. Episcoporum quoad Sepulturas Episcoporum. Quoad 11. sustineri. Quoad 12. sustineri deleto nomine, et cognomine Episcopi tam in Kalendario, quam in Martirologio. Ac die 21. ejusd. mensis, et anni quoad 13. sustineri ad formam Caeremonialis Episcopalis. Quoad 14. sustineri itaut absente Hebdomadario succedat dignior de gremio Capituli. Quoad 15. sustineri ad formam Caeremonialis. Quoad 16. sustineri ad formam Caeremonialis. Quoad 17. sustineri. Quoad 18. sustineri cum poena suspensionis in subsidium tantum. Quoad 19. sustineri. Quoad 20. sustineri. Quoad 21. sustineri salvis juribus Capituli, et quoad Ratiocinatorem dummodo deserviat gratis. Quoad 22. sustineri. Ac sub die 4. *Junii ejusd. anni* quoad 23. sustineri. Quoad 24. sustineri praeterquam quoad inquisitionem. Quoad 25. sustineri. Quoad 26. sustineri ad formam SS. Canonum, et resolutionum SS. Congregationum. Quoad 27. sustineri cum licentia tamen gratis danda. Quoad 28. sustineri, et quoad tempus Vacationum Canonicorum servari Decreta S. C. Quoad 29. sustineri juxta votum Card. Relatoris et quoad poenas ad formam Concilii. Quoad 30. sustineri reservatis juribus Capitulo justificandi non omnes Canonicatus esse Presbyterales. *Ac sub die* 2. *Julii ejusd. anni* quoad 31. sustineri quoad tempus vocationis, et quoad interventum teneri confessarios, et Curatos, reliquos vero esse hortandos et non cogendos. Quoad 32. sustineri juxta consuetudinem. Quoad 33. sustineri deletis verbis a §. *verum* usque ad finem. Quoad 34. sustineri quoad Scrutatores, et quoad Depositarium nominationem spectare ad Capitulum et confirmationem ad Episcopum. Deinde *die* 22. *Sept. ejusd. anni* rescripsit S. C. dilata, et probetur praetensa consuetudo, et extrahantur partitae prout jacent. *Et die* 18. *April.* 1711. recedendo a decisis decrevit servari Constitutionem XXXIV. Synodalem; confirmat. 27. Junii ejusd. anni. Quoad 35. sustineri apposito tamen signo in Schedulis in parte exteriori. Quoad 36. et 37. sustineri.

15. Huc usque quoad Synodales Constitutiones, veniunt modo nonnullae, quibus obstrepitur per Regulares, et per Moniales, ac sub die 3. Sept. ejusd. anni rescripsit S. C. Primam sustineri juxta votum Card. Acciajoli. Quoad 2. sustineri ut supra. Quoad 3. sustineri. Quoad 4. sustineri deletis verbis, *et immemorabilem consuetudinem*, salvis tamen juribus Regularium. Quoad 5. sustineri. Quoad 7. sustineri, et quoad

(261) *Vide Card. Petra tom.* 3. *pag.* 271.

poenas excommunicationis ferendae tantum sententiae. Quoad 8. sustineri. Quoad 9. sustineri post tertium scrutinium.

16. Sequuntur aliae, quae impugnantur per Rectorem S. Maria de Meleca, et aliae quae per Curiam Laicalem, de quibus S. C. *sub die* 3. *Decem. ejusd. anni* censuit quoad primam Constitutionem impugnatam a Rectore S. Mariae de Melleca sustineri per modum consilii, et hortationis tantum *Confirmat.* 22. *Sept. ejusd. anni.* Quoad 2. pariter sustineri deleto verbo *albescente.* Quoad Constitutiones impugnatas per Magistratum, quoad primam sustineri, et quoad Chorreas sustineri, quoad prohibitionem tempore divinorum officiorum tam matutinorum, quam diurnorum deleta clausula *nisi de licentia Vicarii Generalis, et Promotoris Fiscalis.* Quoad 2. censuit sustineri, soluta mercede quoad copias, et deletis verbis *ipso facto* quoad excommunicationem, quae una cum prima *confirmatur* 22. *Sept. ejusd. anni.* Quoad 3. sustineri ad formam S. C. Trid. *ad cap.* 9. *Sess.* 22. *de reform.* Quoad 4. susteneri, et ante verba *quavis aegritudine* apponi verbum *alia.* Quoad 5. sustineri deletis verbis *nec ullam* usque ad finem. Quoad 6. sustineri.

17. Quaesitum est, an Parochus Ecclesiae S. Laurentii in Corrignano teneatur olea Sacra ab Archipresbytero S. Putrignani recipere? responsum est, ut Constitutiones Synodales servarentur: *Ariminen. Praeemin.* 28. *Julii* 1731. *dub.* 2.

18. Capitulum Cathedralis Alexani Dioecesanam Synodum sub anno 1739. celebratam multiplici nomine invalidam esse impugnabat; ac insuper optabat, ut ubi de illius validitate constaret, nullatenus exequendae sint sex constitutiones in eadem Synodo editae. Examinatum itaque primo fuit de Synodi validitate dubium, et de nullitate constare S. C. firmavit: *Alexanen. Synodi* 20. *Januar.* 1742. *dub.* 2.

19. Proponi etiam simul curabat Capitulum, an esset locus correctioni, sive abolitioni edicti sub diem 11. Junii 1739. et responsio prodiit, ad Card. Praefectum juxta mentem: *Ib. dub.* 2.

20. An sit exequenda Constitutio Synodalis sub titulo de Praefectis Fabricae, et Depositariis multarum (262); et idem responsum, quo supra prodiit: *Ibid. dub.* 3.

21. An sit exequenda Constitutio Synodalis sub titulo de punctatoribus (263); idem sortita causa fuit responsum: *Ibid. dub.* 4.

22. An exequenda sit constitutio Synodalis sub titulo de Doctrina Christiana (264); responsum ut supra: *Ibid. dub.* 5.

23. An sit exequenda Constitutio Synodalis sub titulo de Sacramento Baptismatis (265); pariter responsum prout supra: *Ibid. dub.* 6.

24. An sit exequenda constitutio

(262) Qua pecuniae ex multis colligendae destinantur Fabricae Cathedralis Ecclesiae Leucadensis, easque deponi praescribitur in Arca Sacra ad hunc finem designata: 16. *Decem.* 1741. §. *Primam.*

(263) Qua Episcopus sibi assumpsit Punctatorum electionem, quae ad Capitulum privative spectare propugnatur: *ibid.* 16. *Decem.* 1641. §. *Secundam.*

(264) In qua primum praecipitur Parochis, aliisque Confessariis tam Saecularibus, quam Regularibus, ut antequam Confessiones Poenitentium excipiant, ab ipsis recitari faciant quatuor fidei rudimenta, et ante absolutionem hanc imponant Poenitentiam, praeter alias, ut dd. quatuor rudimenta certo praefinito tempore ediscant. Deinde jubetur Clericis, Subdiaconis, et Diaconis, ut in explicatione Doctrinae Christianae, ac in supplicatione ad Sonum Campanae pro colligendis pueris, aliis fidelibus facienda omnino interveniant. *sub die* 15. *Decem.* §. *Tertiam.*

(265) Qua praecipitur, ut cauti sint Parochi, ne ullo modo permittant ab aliis res-

Synodalis sub titulo de Censuris (266); idem quoque exiit rescriptum : *Ibid. dub.* 7.

25. Et demum, an sit exequenda constitutio Synodalis sub titulo de vita, et honestate clericorum (267); idem similiter habitum est responsum prout secundo fuit dubio : *Ibid. dub.* 8.

26. Coacta in Ecclesia Viterbiensi ab Card. Episcopo Jacobo Oddi Synodus fuit, celebrata, ac promulgata. Clerus secularis, ac regularis conquesti sunt de nullitate ejusdem, ejusque legum, nemine prius audito, conditarum, at S. C. ut sibi communicarentur locum non esse censuit, ac delevit appellationem, cum apertam putaverat esse postmodum appellantibus eam viam juris, quae legitima esset: non autem ab administratione suae Ecclesiae prohibendum interea Episcopum. Hinc secernit ea, quae componi possent, et proponi, quae disceptari necesse esset. Sic disceptatio de monialibus omnis finita est Oraculo Pontificis accedente. De aliis disputatio redacta fuit ad 15. Capita. Novem ex iis nempe I. II. VI. VII. VIII. X. XI. XIII. XV. de multis agunt, quas reclamantes, vel injustas omnino, vel immodicas esse praedicant; eas Episcopus justas necessarias affirmat. Reliqua 6. respiciunt ipsam substantiam Decretorum poenasque impositas, ut III. IV. V. IX. XII. XIV. S. C. vero ad omnia rescripsit dilata, et ad mentem: *Viterbien. Synodi* 12. *Maii* 1764. *dub.* 1. usque ad *dub.* 15.

27. Synodus celebrata in Cathedrali Privernensi die 24. Junii 1764. obligat totam Civitatem, et Dioecesim Terracinensem: Etiamsi Canonici deputati a Capitulo Terracinensi abierunt e Synodo ob controversias exortas quoad eorum praecedentiam : *Terracinen. Setina, et Privernen.* 1. *Maii* 1766. *d.* 5.

Synodus Provincialis.

1. Censuit electionem loci celebrandae Synodi Provincialis ad Archiepiscopum pertinere, verum pro nunc probavit, ut in Civitate Matharensi convocetur, cum illa pro hujusmodi celebratione aptior, et commodior supponatur : *Matheranen. seu Acheruntina* 3. *Junii* 1628.

2. S. C. non consuevisse invisere, et approbare nisi Synodos Provinciales ex Const. Sixti V. (268) Ideo Episcopus utatur jure sibi a S. C. competente : *Strongolen.* 17. *Junii* 1645. *dub.* 4.

ponderi in Catechismo, nisi a solis Patrinis ab Obstetrice edoctis, et a Sacrista; ne oriatur cognationem spiritualem imperfectam: 16. *Decem.* 1741. §. *Quartam.*

(266) Ubi exprimitur, ne Confessorum, et Poenitentium animae illaqueatae remaneant ex erronea opinione, quod a quibuscumque censuris in nostris Edictis comminatis cum clausula ipso facto incurrendis possint absolvere ob non appositam alteram clausulam *nobis reservatis*, operae pretium duximus redarguere eorum ignorantiam uti non distinguentium censuras a jure latas ab illis ab homine, in quibus non nisi, qui legavit, solvere potest; uberius inspecta nostra declaratione, quam nunc etiam confirmamus: 16. *Decem.* 1741. §. *Quintam.*

(267) Qua decernitur, ne Ecclesiastici more Laicorum in vestibus, in capillis, in armis, in ludis, in incontinentiis, et ebrietatibus recessisse ab eorum vocatione videantur : 16. *Decem.* 1741. §. *Et Sextam.*

(268) *Vide Introductionem* §. *VI. tom.* I. *pag. XXVI.*